This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


617
H65

R. 198. 792

SYLVA SENTENTIARUM

AD

CHIRURGIAM

PERTINENTIUM,

EX

LIBRIS HIPPOCRATIS

IN

STUDIOSORUM UTILITATEM

DESUMPTA.

Auctore

MATTHIA NARVATIO

Curvæquercu, Aragonensi,

Med. Licentiato.

Anno

M DC XXXII.

MATTHIAS NARVATIUS
Medicinæ Licentiatus
BENEVOLO LECTORI
S. D.

SYLVULA hæc, candide Lector, eo animo à nobis est edita, ut ea, quæ alii, nullâ factâ Auctoris sui mentione, impudẽter suffurati sunt, alii verò non integrè tradiderint, Hippocrati, veluti Medicinæ parenti, primò cognita referamus. Præstãtius enim duximus, ex ipso fonte purissimam aquam, quàm longis emensis spatiis ex rivulis cano & pulvere conspurcatã, ac in diversam naturã fermè degeneran-

tem haurire. ideóq; quò laborem tuum in evolvendis Hippocratis voluminibus levaremus, ad Chirurgicam facultatem pertinentia, quæ ille alia aliis locis tradidit dogmata omnia, ex omnibus ejus operibus in hunc libellum collegimus. Doctrina, quæ hîc tibi traditur, Hippocratis est, ut vides: cujus nomini vel per somnium detrahere, piaculum. Nostros verò conatus, qualescunq; sunt, eo animi candore accipias velim, quo nos in tuam & publicam utilitatem eos emisimus.

Vale.

MATTHIÆ NARVATII
SENTENTIARUM SYLVA.

SENTENTIA I.

De extractione telorum.

CONSIDERANDA vulnera in militiâ accepta, circa extractionem telorum. Nam in urbanis conversationibus modicus horum usus existit, rarò enim per omne tempus civiles ac hostiles expeditiones fiunt. Hujusmodi autem sæpè ac frequentissimè circa externas militias fieri solent. Qui igitur hac Chirurgiâ uti volet, eum militare oportet, & externos exercitus sequi: sic enim exercitatus fieri poterit ad hujusmodi usum ac necessitatem. *Hippocrates lib. de Medico.*

Chirurgum militare oportet.

II.

Pericula ex contemptis capitis vulneribus.

Nullum capitis vulnus leviter contemni debet. Sæpè enim cutis sola contusa ferro, aut aliâ aliquâ re, si non diligẽter aut cum quâdam cautione curetur; veluti si sanguis cõcretus non expurgetur; aut aliud quiddam negligatur; ulcus increscens nõ parum molestię exhibet, & aliquando etiam febrem inducit; & Medico quidẽ negotia, ægroto verò periculum non minus af-

fert. Verùm hoc multò magis contingit, si calvaria, & cerebri membranæ rumpuntur. Quare si non singula hæc diligenter Medicus curaverit, sæpè mortis causa existit. *Hippoc. lib. de cap. vulneribus.*

III.

Capite vulneratus, quo modo examinandus?

Primùm igitur capite vulnerato interrogare oportet: per quid vulnerátum sit? deindè, quid homo fecerit, quum vulneratus fuerit? posteà, quâ parte vulnus infl ctum sit? Nam hominum capita nihil inter se similiter habent, neque futuræ capitis in omnibus eodem loco consistunt. Verùm quisquis ex priore capitis parte prominentiam habet: est autem prominentia, rotunda ossis pars eminens præ alia: hujus futuræ consistunt in capite, velut litera Græca *Tau* T pingitur. Breviorem enim lineam ad prominentiam transversam cóstitutam habet: alteram verò lineam per medium caput, sed secundùm longitudinem ad collum semper habet. Qui verò ex posteriore capitis parte prominentiam habet, hujus futuræ eriam contrario priori modo consistunt. Brevior enim linea ad prominentiam transversa consistit; longior autem per medium caput, secundùm longitudinem ad fronten semper constituta est. *Hipp. lib. de cap. vulneribus.*

Quid prominentia capitis?

IV.

Vulnus in capite suppuratum quidem quàm celerrimè ulcus facere oportet. Sic enim ambientis ulcus partes quàm minimùm inflámabuntur, & ulcus citissimè purum erit. Necesse est

eſt enim carnes conciſas ac contuſas à telo ſuppuratas fieri ac conſumi. Poſtquàm autem purgatum fuerit, ficcius fieri ulcus oportet. Sic enim citiſsimè ſanum fiet, ſiccâ carne germinante, & non humidâ. Et ſic quoq; ulceri caro non ſuperincreſcet. Eadem ratio membranæ circum cerebrum eſt. Statim enim oſſe perforato & exſecto, ac de membranâ detracto, ipſam denudatam membranam puram quàm citiſsimè ac ſiccam facere oportet, ut ne ubi ad multum tempus humida ſit, computreſcat ac in tumorē attollatur. His enim ita fientibus, periculum eſt ipſam putrefieri. *Hipp. lib. de cap. vulneribus.*

Ulcus ſiccè citiùs curatur.

V.

Quicunque verò ex vulneribus in capite moriturus eſt, & fieri non poteſt, ut ſanus fiat ac ſerveturex his ſignis dignotionem morituri facere oportet, &, quod futurum eſt, prædicere. Patitur enim hæc. Quum quis os fractum aut ruptum, aut cōtuſum, aut quocunq; modo fractum intelligens, per errorem deliquerit, & neque raſerit, neque perforaverit, veluti os non opus habeat, & veluti os ſanum exiſtat; ante decimumquartum diem febris corripiet, utplurimùm in hyeme: in æſtate verò poſt ſeptimū diem febris corripit, & poſtquàm hoc factum fuerit, ulcus colorem omittit, & ex ipſo ſanies pauca fluit, & quod inflammatū eſt ex ipſo, emoritur, & viſcoſum fit, & apparet velut ſalſamentū, colore fulvum, ſublividum, & os tunc corrumpi incipit, & fit valdè nigrum, poſtremùm pallidum aut val-

Prognoſtica morituri ex capitis vulnere.

dè album evadens. Quum verò jam ſuppuratum fuerit, in linguâ puſtulæ oboriuntur, & deſipiēs æger moritur, & convulſio plerosque corripit in alterâ corporis parte; ſiquidem in ſiniſtrâ parte capitis ulcus habeat, in dexterâ corporis parte cōvulſio corripi. ſi verò in dexterâ capitis parte ulcus habeat, in ſiniſtrâ corporis parte convulſio corripit. Sunt autem & qui ſiderati fiunt, atque ſic pereunt ante ſeptimum diem in æſtate, aut decimum-quartum in hyeme. *Hipp. lib. de cap. vulnerib.*

Vulneratos ſideratos fieri.

VI.

Porrò, de curatione vulnerū in capite, & quo modo deprehendere oportet affectiones in capite ſientes non manifeſtas, ita mihi videtur. Ulcus in capite nullo humore humectare convenit, ac ne vino quidem; neque cataplaſmate integere, neque linamento curationem facere. Neque verò comprimere oportet ulcus in capite, ſi non in fronte fuerit, aut in loco pilis nudato, aut circa ſupercilium & oculum. Hîc enim ſientia ulcera cataplaſmatis ac deligatione magis opus habent, quàm in aliis capitis partibus. Continet ac ambit reliquum caput totam frontem; partes autem ulcus ambientes, in quacunque tandem parte ulcera fuerint, inflammantur ac intumeſcunt, propter ſanguinis influxionem. Oportet autem neque ea, quæ in fronte ſunt ulcera, per omne tempus cataplaſmatis integere ac deligare, ſed poſtquàm inflammatio ſedata eſt, & tumor ſedatus, à cataplaſmatis ac deligatione ceſſare.

Curatio vulnerum capitis.

ſare. At in reliquo capite ulcus neque linamentis, neque cataplaſmatis, neque deligatione curare oportet, ſi non & ſectione opus habeat. *Hipp. lib. de capitis vulnerib.*

VII.

Secare autem oportet ulceribus in capite ac fronte fientibus, quâ parte os carne nudum fuerit, & læſionem aliquam ex telo habere viſum fuerit. Ulcera verò, quæ non habent ſufficientem magnitudinem longitudinis ac latitudinis, ad oſsis inſpectionem, an quid mali paſſum ſit à telo, & quale id paſſum ſit, & quãtum caro contuſa eſt, & quantam os læſionem habet? & rurſus, an illæſum ſit os à telo, & nil mali paſſum ſit? & ad curationem, qualinam opus habet ulcus, & caro, & oſsis affectio? Talia ſanè ulcera ſectione opus habent. Si verò etiam os quidem carne fuerit denudatum, ſubcava verò fuerint ulcera in obliquum, cavitatem quàm plurimùm reſecare oportet, ubi non facile eſt medicamento quocunque pervenire. Sed & orbiculatiora ulcera, ac plurimùm ſubcava, etiam ipſa reſecare oportet, circulo diviſim inciſo ſecundùm longitudinem pro hominis natura, ut longius fiat ulcus. Atverò in capitis ſectione, reliquæ quidẽ capitis partes ſecuritatem habent, dum ſecantur, verùm tempora, & adhuc ſupra tempora venam, quæ per tempora fertur, ſecare non oportet; convulſio enim corripit ſectum. Et ſiquidem ſiniſtra tempora ſecta fuerint, dextera convulſio corripit; ſi verò dextera ſecta fuerit, ſi-

De ſectione ulcerum.

Subcavum ulcera.

Orbicularia vulnera.

Tempora nõ ſecanda.

nistra convulsio apprehendit. *Hippoc. lib. de capitis vulneribus.*

IIX.

Ulcera magna quando inflammari incipiant?

Ulcera magna in capite ac reliquo corpore, quarto die inflammari incipiunt; in septem autē inflammatio sedatur, aut etiam quatuor & decē, aut duo de viginti. Si quis autem diligenter medeatur, & vulnera in capite magna in tempore non sedērur, homines moriuntur. *Hipp. lib. de carnibus.*

IX.

Quæstio formæ vulnerationis?

De omnibus memorabilibus vulneribus capitis interrogare oportet, si adhuc recentes fuerint plagæ, aut etiam jactus fuerit, an conciderit homo, aut an in soporem altiorem collapsus sit: si enim horum quippiam factum fuerit, ampliore custodiâ opus habet; nimirum cùm cerebrum vulnus tunc perceperit: si verò non recens sauciatus fuerit, ad alia signa respicere oportet, ac consilium capere. *Hipp. lib. 2. prædictionum.*

X.

Symptomata, quæ mala in vulneribus capitis.

Optimum igitur quidē est, neque febrire eum, qui ulcus in capite habet, neque sanguinem insuper ipsi irrupisse, neque inflammationem, neq; simul ullum aliquem dolorem accessisse. Si verò quid horum apparuerit, securissimum est, ut in principio fiat, & modico tempore permaneat. Conducit autem in doloribus, etiam inflammationem ex ulceribus accedere. *Hippocr. lib. 2. prædictionum.*

XI. Ce-

XI.

Symptomata quæ mala in principiis febrium.

Ceterùm, in principiis febrium, sive delirium accesserit, sive alicujus membri sideratio, peritum hominem sciendum est, si non omninò aut ex optimis signis aliquid accedat, aut corporis vires adsint. Verùm considerabis modum, nam homini adhuc spes salutis, sed claudum fieri articulum, in quem incubuit, necesse est, etiamsi superstes maneat homo. *Hippocrates lib. 2. prædictionum.*

XII.

Febris quando in vulneribus capitis lethalis.

Incipiente febre in capitis vulnere quartâ die aut septimâ, aut undecimâ, valdè lethale est: judicatur autem plerisque: siquidem quartâ vulneris die febris inceperit, ad undecimam; si verò septimâ die febris inchoârit, ad decimam-quartam, aut decimam-septimam; si verò undecimo febrire inceperit, ad vigesimam, quemadmodum in febribus descriptum est, quæ absque manifestis causis fiunt. *Hippocr. lib. 2. prædictionum.*

XIII.

Quot modis capitis os vulneretur?

Vulneratur porrò os in capite tot modis: singulorum autem modorum plures species fracturæ in vulnere fiunt; os vulneratum rumpitur, & ossi fissuram continenti ac ambienti necesse est contusionem accedere, si ruptum fuerit: nam telum, quod os rumpit, idem hoc etiam os, aut magis, aut minùs contundit; id ipsum videlicet os, in quo fissuram rumpit. Atque hic unus modus est. Species autẽ fissurarum omnigenæ fiunt. *Hipp. lib. de capitis vulnerib.*

XIV.

Oris carne nudati, difficilis est sedis deprehensio.

Quum autem os carne denudatum à telo fuerit, & circa ipsas futuras ulcus fieri cõtigerit, difficile est sedem teli deprehendere, quæ in alio osse manifesta est, an insit in osse, aut non insit, & an sedes facta sit in ipsis futuris: occultat enim ipsa futura, superior existens reliquo osse; & non satis clarum est, ubi in ipso futura est, & ubi ossis sedes, si non valdè magna sedes fiat. Accidit etiam ruptio ad sedem, plerumque & ipsa in futuris fiens: & fit etiam hæc ruptio rupto osse deprehensu difficilior, eò quòd circa ipsam futuram ruptio fit, si rumpitur, utplurimùm. *Hipp. de cap. vulnerib.*

XV.

Vulnera capitis ad cerebrũ pertingentia, lethalissima.

Porrò, ex capitis vulneribus lethalissima sunt, quæ ad cerebrum pertingunt, velut etiam anteà scriptum est; gravia sunt & hujusmodi omnia, os nudum, magnũ, os infractum, os diffractum: si verò etiam oculum ulceris parvum fuerit, fistula verò ossis aliquamdiù permanserit, periculosius est. Hæc autem omnia graviora fluunt, si & juxta futuram sunt, & ex locis semper periculosiores summi in capite existunt. *Hipp. lib. 2. prædictionum.*

XVI.

De ossibus puerorum.

At verò puerorum ossa & tenuiora & molliora sunt, eâ de causâ, quòd sanguinolentiora sunt, & cava, & neque antrorsa, neque densa, neque solida: & à telis æqualibus ac debilioribus si similiter ac minùs fuerint vulnerati, junioris pueri vul-

vulnus & magis & citius suppuratur, & in breviori tempore, quàm senioris: etsi aliàs ex vulnere moriturus est, junior seniore citius perit. Cetertùm, si os denudatum carne fuerit, animadversione habitâ cognoscere conari oportet. *Hipp. lib. de cap. vulnerib.*

XVII.

Atverò sedes telorum acutorum ac leviorum, ipsæ in se-ipsis fientes in osse, & cum fissura & contusione, ac intrò cessione: fiunt autem hæ similiter & in anteriore & in posteriore capitis parte. Ex his mors non contingit secundùm justitiam, etiamsi cõtingat: futura verò in ulcere si compareat, osse denudato, quâcumque capitis parte ulcere fiente, debilissimus ager est ad resistendum vulneri ac telo, si in ipsam futuram telum incubuerit; & maximè omnium, si telum in syncipite juxta debilissimam capitis partem incussum fuerit, & futuræ circa ulcus, si ita contingat, fuerint, & telum ipsas futuras cõtigerit. *Hipp. lib. de cap. vulnerib.* *Sedes telorũ.*

XIIX.

Quisquis autem ex utraque capitis parte, & anteriore, & posteriore, prominentiam habet, huic futuræ sunt similiter constitutæ, velut litera Græca *H* scribitur. Cõsistunt autem longæ quidem lineæ ad utramque prominentiam transversæ. Brevis autem per medium caput secundùm longitudinem ad utramque longam lineã desinens: at qui neutrâ parte ullam prominentiã habet, hic futuras habet velut litera Græca *X* pin- *De futuris capitis.*

pingitur. Consistunt autem hæ lineæ, altera quidem transversa ad tempora pertingens, altera verò secundùm longitudinem per mediũ caput. *Hipp. lib. de capitis vulnerib.*

XIX.

Symptomata cerebri corrupti. Si cerebrum corruptum fuerit, dolor caput tenet, & per collum procedit ad spinam, & æger non audit, & frigus ad caput devenit, & totus intumescit, & derepentè privatur voce, & ex naribus sanguis fluit, & lividus fit. Quòd si morbus leviter corripiat, ubi sanguis discessit, meliùs habet: si verò vehementer correptus fuerit, citò perit, huic sternutationes per odorata inducito, & alvum utramque, aut alteram saltèm purgato, & odorata, quæ leves odores habent, naribus admoveto: & sorbitionem tenuem ac tepidam exhibeto. Abstineat autem penitùs à vino. *Hipp. lib. 3. de morbis.*

XX.

Signa cerebri humidi. Cerebri madentis signa. Si aqua in cerebro fuerit, dolor acutus per synciput ac tẽpora emergit, aliàs alio loco: & rigor ac febris alias atque alias & regiones oculorum dolet, & cæcutit, & pupilla finditur, & ex uno duo se videre putat, &, si surrexerit, vertigo ipsum corripit, & vẽrum nõ sustinet, neque Solem: & aures tinniunt, ac inter audiendum strepitu offenditur, & vomit salivã ac pituitam, quandoque etiam cibos: & capitis cutis attenuatur, & contactu gaudet, quum sic habuerit, primùm dandum est ipsi medicamentum, quod sursum pituitam educit, & posteà ca-

put

put purgato, juxta synciput, ad cerebrum usque perforato, & veluti sectionem ac perforationem curato. *Hipp. lib. 2. de morbis.*

XXI.

Vulnera capitis sive universa sanguinẽ fundentia, insuper rigentia, maligna. Sic affecti loquentes latenter, moriuntur. Affectiones, quæ quintâ die sanguinem largè fundunt, sextâ insuper riguerunt, septimâ perfrigeratæ fuerunt, & repentè recalefactæ, in his alvi malè afficiuntur, post sanguinis fluxionem, nigrorum per alvum egestio, mala. Mala autẽ sunt, & rubicunda valdè, & æruginosa. Quartâ die tales fiunt sanguinis eruptiones. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.* *De vulneribus capitis, sanguinem fundentibus.*

XXII.

Atverò os, quod discedere à quovis alio osse oportet, ulcere in capite fiente, & sede teli in osse existente, aut aliàs osse plurimùm denudato, discedit, ubi plurimùm exsangue factum est. Reficcatur enim sanguis ex osse, & à tempore, & à plurimis medicamentis. Citissimè enim discesserit, si quis ulcus quàm citissimè purgârit, & de cetero & ulcus, & os, tùm majus, tùm minus, resecaverit. Quod enim citissimè reficcatum ac restacium factum fuerit, ex hoc facto maximè dimittitur ab alio osse, quod sanguinolentum ac vivum exsistit; & cùm exsangue ac siccum fiat, à sanguinolento ac vivo valdè discedit. *Hipp. lib. de capitis vulnerib.* *Os discessiri signum.*

XXIII.

Quibus cerebrum vulneratur, febris plerumque *De cerebro vulnerato.*

que ac bilis vomitus accedit, & corporis sideratio, atque tales perniciosè habent. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.*

XXIV.

De febri vulneratorum. Ex vulnere capitis ubi intellexeris febrẽ invadere hominem, & ex aliis signis aliquod ipsi accedere, non cunctari oportet, sed os usque ad membranam perforare, aut scalpro rasorio deradere. Est enim & ad perforationem, & ad rasionem, facile ac expeditum. Deindè reliqua sic curare, prout cõducere visum fuerit, respectu ad id, quod fit, habito. *Hipp. lib. de cap. vulnerib.*

XXV.

De vulneribus ex ruptis ossibus. Vulnera ex ruptis capitis ossibus, difficillima cognitu sunt ea, quæ circa futuras rumpuntur. Rumpuntur autẽ maximè à gravibus ac rotundis telis, & ex his, quæ ex subcontrario afferuntur, & non ex plano loco. Atverò de quibus ambiguum est, rupta'ne sint an 'non, judicare oportet, exhibito ad manducandum in utramq; maxillam asphodeli caule, aut ferulâ, ita ut animadvertere jubeas, an os aliquod ipsi strepere videatur. Nam fracta strepere videntur. Progressu verò temporis, fracta partim septimâ, partim decimâ-quartâ, partim etiam aliter significationem de se præbent. Nam & carnis ab osse discessus fit, & os lividum, & dolore: sanie effluente. Hæc autẽ ægrè jam auxilium admittunt. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.*

XXVI.

Sectio vulnerũ capitis. Quum igitur ulcus in capite secas, ossium gra-

gratiâ carne denudatũ, ſcire cupiens, an habeat os quid mali à telo, aut non habeat, ſecare oportet vulnus tantâ magnitudine, quantâ ſurſum opus habere viſum fuerit. Secantem verò carnem ab oſſe diducere oportet, quę ad membranam, & ad os exiſtit. Deindè linamentum per totum ulcus adhibere oportet, quod ulcus quàm ampliſſimum in poſterũ diem faciat, cum minimo dolore. Ubi verò linamentum adhibuiſti, cataplaſmate utere, quanto tempore etiam linamento, ita ut mazam ex tenui polentâ in aceto ſubigas, aut coquas, & quàm maximè viſcoſam facias. Poſtridie verò, ubi linamentũ exemeris, inſpecto oſſe, quod paſſum eſt, ſi non conſpicua tibi ſit vulneratio qualisnam ſit in oſſe, neque cognoſcas, an os aliquid mali in ſe habeat, aut non habeat; telum autem ad os perveniſſe ac læſiſſe videatur: radere oportet ſpecillo raſorio, ſecundùm longitudinem ac profunditatem pro hominis naturâ. Et rurſus, ſi etiam transverſum ſit os, ruptionum gratiâ ad viſum inconſpicuarum, & contuſionis obſcuræ gratiâ, quæ non intrò ceſſit ex naturâ alterius oſsis capitis. Indicat enim ipſa raſio magis, ſi non etiam aliàs conſpicuæ fuerint hæ affectiones, ex telo in oſſe exiſtentes. Et ſi ſedem teli in oſſe videris, tùm ipſam teli ſedem radere oportet, tùm ambientia ipſam oſſa, ne ſæpè ad ſedẽ ruptio accedat, & contuſio, aut ſola contuſio, & deindè lateant, quum non conſpicua exiſtant. Poſtquàm autem os ſcalpro raſeris, ſiquidem ad perforationem tendere oſsis

fauciatio videatur, perforare oportet, & citra perforationẽ triduum nõ excedere, sed in hoc perforare, tùm aliàs, tùm tẽpore calido, si ab initio curationẽ susceperis, &c. *Hipp. lib. de capitis vulnerib.*

XXVII.

De ossibus contusis, ruptis, aut dissectis. Quæcunque verò ossa intrò contusa cedunt ex sua ipsorum natura, rupta aut etiam dissecta, valdè ampla, talia minùs periculosa sunt, ubi membrana sana fuerit: & quæ pluribus fissuris & amplioribus intrò rupta sunt, adhuc minùs periculosa sunt, & ad detractionem faciliora, fiunt. Et nullum ex talibus perforare oportet neq; periclitari ossa auferre conando, priusquàm sponte suâ emergant, priore formâ exsolutâ. Emergunt autem carne subnascente. Subnascitur autem ex duplicata ossis lamina, & ex sano osse, si superna ossis pars sola fuerit corrupta. Sic verò quàm citissimè & caro subnasci ac germinare poterit, & ossa emerserint, si quis ulcus quàm citissimè suppuratum redditum, purum faciat. Et si per totũ os ambæ partes intrò contusæ cesserint ad membranã, & superna ossis, & inferna, si quis similiter medeatur, ulcus celerrimè sanũ erit, & ossa, quæ intrò cesserunt, celerrimè emergunt ac reverruntur, &c. *Hipp. lib. de cap. vulnerib.*

XXIIX.

Os ægrotãs. Propter os ægrotans caro livida, malum. *Hipp. lib. 7. aph. 2.*

XXIX.

Desipientia ab ossis vulnere. Ab ossis vulnere desipientia, si in vacuum usque penetraverit. *Hipp. lib. 7. aphor.*

XXX. Ma-

XXX.

Moriuntur maximè ex vulneribus, si quis cerebrum sauciatus fuerit, aut spinalẽ medullam, aut hepar, aut septum transversum, aut cor, aut vesicam, aut venam crassam. Moritur autem etiã, si in arteriam & pulmonẽ valdè magnæ plagæ fiant, ita ut pulmone percusso, paucior spiritus per os procedat, quàm is est, qui ex vulnere elabitur. Moriuntur autem, qui in intestina vulnerati sunt, sive ex tenuibus aliquod, sive ex crassis vulneratum fuerit, si per transversum fiat plaga, & magna. Si verò parva & recta, quidam evadunt. Minimè verò moriuntur vulnerati, in partibus corporis ubi hæc non sunt. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.*

Læsio cerebri lethalis.

Sauciata intestina, per transversum, mortẽ inferunt.

XXXI.

Siquidem os fractum fuerit ac contritum, periculo vacat, & curare oportet hunc humectantibus medicamentis. Si verò rumpatur, & fissura fiat, periculosum est. Huic ferram adhibere oportet, ne in ossis scissuram sanies influens membranam cerebri putrefiat; nam ut per angustum intrans, non autem exiens affligit, & furere hominem facit. Huic itaque ferram adhibere oportet, ut sanies exitũ habeat, non solùm ingressum, amplâ serraturâ factâ. Medicamentis autem utendum, quæ humorẽ in sese trahunt, & lavandum. Febricitanti caput ne purgato, ut ne furiosus fiat. Calefaciunt enim caput pharmaca purgativa, & sanè ad caliditatẽ febrilem accedens ea, quæ in medicamento est, insaniam facit. Ex

Ossa fracta, ac contrita, curantur.

Ossi fisso serra adhibenda.

quacunque causa malè affligente quis atram bilem revomuerit, moritur, qui vulnus habet. *Hipp. lib. de locis in homine.*

XXXII.

Ex alto cadentibus ossa rumpuntur, & contunduntur.

Ex his verò, qui cadentes vulnerantur ad os, aut in ipsum os, is, qui ex altissimo loco cadit, & in durissimum ac obtusissimum, huic periculum est, ut os & rumpatur, & contundatur, & intrò cedat ex sua natura. Ei verò, qui ex plano magis loco cadit, & in molliorem, os minùs hæc patitur, aut etiam non patitur. Quæcunque verò illabentia in caput tela, ad os, vulnerant, ex his id, quod ex altissimo loco illapsum est, & minimè ex plano, & quod durissimum ac obtusissimum, & gravissimum ac minimè leve est, & quod minimè acutum ac molle, hoc & ruperit os, & contuderit. Et maximè sanè periculum est, ut os hæc patiatur, quum & hæc fiant, & directò adversùs telum, os sauciari contingat, sive ex manu percutiatur, sive jactum suscipiat, sive quid ipsi incidat, sive ipse collapsus saucietur, ita ut, quomodocunque sauciatus, osse adversùs telum occurrat. *Hipp. lib. de cap. vulnerib.*

XXXIII.

Quâ parte vulnus inflictum, est considerandum.

Primùm exspectare oportet in vulnerato, quâ capitis parte, & non in debilioribus vulnus habeat: & capillos considerare circa ulcus, an dissecti sint à telo, & an intùs sint in vulnere: quod si est, periculum est, os carne nudum esse. Itaque dicere oportet, os aliquam læsionem à telo habere, atque hæc longè priùs considerâsse ac dixisse

xisse oporter, anteà quàm hominẽ attingas. Ubi verò jam contigeris, clarè nôsse conari, an nudũ carne os sit, aut non: & siquidẽ oculis conspicuũ fuerit os nudum, benè habeto; sin minùs, specillo considerato. Et siquidem inveneris, os carne nudum esse, & non sanum à vulnere, ejus, quod in osse est, dignotionem primùm facere oportet, inspiciendo, & quantum sit malum, & quo opere opus habeat. *Hipp. lib. de cap. vulnerib.*

XXXIV.

Conjectura vulneris ex fauciati verbis.

In ulceribus capitis cùm os an ruptum sit ambigatur? Si verò suspiceris, os ruptum, aut contusum esse, aut ambo hæc; conjecturâ factâ, quòd vehementer sauciatus sit, ex vulnerati verbis: & quòd à forti id contigit, qui sauciavit, si alius ab alio vulneratus fuerit: & quòd telum, quo vulneratus est, ex maleficorum telorum ordine fuerit: deindè, quæ vertigo & caligo ipsum corripuerit, quòd in soporem profundiorem inciderit, & quòd ceciderit: his ita sientibus, si non cognoscas, an os ruptum sit, aut cõtusum, aut ambo hæc, neque aliàs videas, super os aliquid maximè nigri coloris, nigro medicamento liquato subactum, imponere oportet: & sub extento linteo oleo imbuto super ulcus, & deindè mazæ cataplasmate appositò deligare: postridie verò exsoluto ac expurgato ulcere deradere, &, si sanum non fuerit, sed ruptũ ac contusum, reliquum quidem os rasum album erit, fissura verò & cõtusio, quæ nigrum medicamentum eliquatum in se ipsam susceperit, in reliquo osse albo nigra erit. Ce-

cerùm hanc fiſſuram conſpectam rurſus ſecundam profunditatẽ radere oportet. *Hipp. lib. de cap. vulnerib.*

XXXV.

Forma paſſionis exquirenda.

Oportet etiã vulneratum interrogare, ut paſſus ſit, & quo modo? Si verò non conſpicuum fuerit os, multò adhuc magis interrogationem facere oportet, an habeat quid mali, an non habeat? Et ſi nudum eſt os, ut factũ ſit, & juxta quẽ modum? Nam contuſiones & fiſſuras in oſſe nõ apparentes, & tamen præſentes, ex vulnerati reſponſione cognoſcere primùm conari oportet, an tale quid paſſum ſit os, aut nõ paſſum? Deindè ratiõne & opere exquirere, citra ſpecilli admotionem. Specilli enim admotio non indicat, an tale quid mali os paſſum ſit, & an habeat quid in ſe-ipſo, aut non paſſum ſit, ſed ſedem teli indicat ſpecillum, & an introceſſerit os ex natura ſua, & an vehementer fractum ſit os? quæ etiã oculis cõſpicua videnti cognoſcere datur. Rumpitur autem os & obſcuris fiſſuris, & manifeſtis: & contunditur obſcuris contuſionibus: & intrò ex ſua natura maximè cedit, quum alter ab altero ſauciatur. *Hipp. lib. de cap. vulnerib.*

Specillum ſedem teli indicat.

XXXVI.

Dolor ex caſie oſſium.

Quum caries facta fuerit in oſſe, dolor ex oſſe corripit. Temporis autem progreſſu cutis de capite aliâ atque aliâ parte diſcedit. Talia verò patitur is, cui in ſecũda oſsis lamina, pituita ſuperveniens reſiccata fuerit. Hac enim parte rarum fit, & omnis humiditas ex ipſo deficit, & quia aridum

ridum est, cutis ab ipso discedit. Hic morbus lethalis non est. *Hipp. lib. 2. de morbis.*

XXXVII.

Propter plagã in capite acceptam stupor, aut desipientia, malum. *Hipp. lib. 7. aph. 14.* *Ex plaga capitis, desipientia, malum.*

XXXIIX.

Si corruptio cerebrũ invaserit, dolor tenet maximè anteriorem capitis partem, & paulatim etiam intumescit, & livida fit: & febris, & rigor apprehendit. Quum ita habuerit, secare oportet, quâ parte intumuit, & purgato osse ipsum radere oportet, donec ad secundam laminã perveniat, deindè velut fracturã curare. *Hipp. lib. 2. de morbis.* *Ex corrupto cerebro tumor, dolor, livorq; occidit.*

XXXIX.

Si cerebrum cõcussum fuerit ac doluerit ejus, qui percussus sit, necesse est è vestigio mutum fieri, & neque videre, neque audire. Si verò sauciatum fuerit, febrem necesse est supervenire, & bilis vomitum, & aliquam corporis partem sideratam fieri ac perire. *Hipp. lib. 1. de morbis.* *Symptomata ex cerebro concusso.* *Ex sauciato.*

XL.

Si in ventrem sanguis præter naturam effusus fuerit, is suppuretur necesse est. *Hipp. lib. 6. aph. 20.* *Sanguis in ventrem effusus, suppurandus.*

XLI.

Quibus divisum est cerebrum, his febrem & bilio sum vomitum supervenire est necesse. *Hipp. lib. 6. aph. 50.* *Febris & vomitus ex diviso cerebro necessariò superveniunt.*

XLII.

Si cerebrum corruptum fuerit, dolor ex cervicis nervo ad spinam tendit, & ad cor frigus descendit, & derepentè novus sudor adest, & per- *De cerebro corrupto.*

nares ſanguis fluit: vomunt quoque multi. Hic triduo moritur. Si verò ſeptem dies tranſgrediatur; plerique autem non tranſgrediuntur: ſi ſanguinem vomat, aut è naribus fundat, neque calida ipſum lavato, neque calefactoria adhibeto, verùm acetum album aquoſum bibendum dato, &, ſi debilis ſit, ptiſanam ſorbendam. *Hipp. lib. 2. de morbis.*

XLIII.

De carie in oſſe.

Quum caries facta fuerit in oſſe, dolor ex hoc corripit ipſum os, & progreſſu temporis attenuatur ac inflatur, & fit in ipſo fractura. Et ſi hãc reſecueris, comperies ipſum os elevatũ, & aſperum, ac fulvum: quibusdam verò etiam ad cerebrum uſque corroſum. Ubi in hoc modo affectũ incideris, ſiquidem ultrà corroſum fuerit, ſinere optimum eſt, & ulcus quàm celerrimè curare. Si verò corroſum non fuerit, ſed aſperum, ad ſecundam uſque laminam raſum, velut præcedens curare. *Hipp. lib. 2. de morbis.*

XLIV.

Tempus ulceribus commodius, calidum.

Pleriſq; ulceribus tempus calidius cõmodius eſt hyeme, exceptis his, quæ in capite ſunt ac ventre: magis verò Æquinoctii tempus. Ulcera, quæcunq; probè, & prout oportet, purgata ſunt, ſemper ad ſicciorem modum germinationem faciunt. Hæc autem plerumque carne non ſuperexcreſcunt. Si undecunque tandem os diſceſſerit, aut uſtum, aut ſectum, aut alio modo, horum ulcerum cicatrices cavidres fiunt. *Hipp. lib. de ulceribus.*

XLV. Vul-

XLV.

Vulnera quædam ita inflicta neque denudant os carne. Profecta ex telis maximè os rumpunt, & manifestis,& obscuris fissuris,& contundunt, & ex natura sua os introcedere faciũt, quæ sunt rotunda, & orbiculata, & undiquaque plana,& obtusa,& gravia,& dura: & carnem hæc cõtundunt,& maturam faciunt,ac concidunt: & ulcera fiunt à talibus telis in obliquum, sed & in circulum,subcava, & suppurata magis fiunt,ac humida sunt, & diutiore tempore purgantur. Necesse est enim carnes contusas ac concisas, pus fieri ac consumi. *Hipp.lib.de cap.vulnerib.* *Tela, ossa rumpentia.*

XLVI.

Quum os carne denudatũ est, hic modus est, ut hanc calamitatem,ubi facta est, nullâ re juvare queas. Nam si passus est hoc malum, non est quòd ex ipso exquirere possis, an passus sit hoc malum, neque quâ capitis parte; & ex his fracturæ modis ad perforationem devenit, tùm si contusio ad visum inconspicua est; tùm si aliquo modo manifesta fuerit: & fissura si inconspicua visui fuerit,& ad visum manifesta. Sed &,si sedes teli,in osse fiente, fissura ac contusio ad sedem accedat: & si contusio sola accedat ad sedem,absque fissura, hæc quoque ad perforationem devenit. Atverò os,quod ex sua natura introcesserit, parum perforatione opus habet: & quæ maximè introcesserunt,& maximè fracta sunt,& perforatione minimè opus habent. Neque sedes ipsa in se-ipsa fiens,absque fissura ac contusione, *De osse, carne denudato.*

perforatione indiget; neque diſceſsio ipſa, ſi magna ac ampla fuerit. Diſceſsio enim & ſedes idē ſunt. *Hipp. lib. de cap. vulnerib.*

XLVII.

In curatione vulnerum ratio habenda ſexûs, ætatis, temporis.

Ulcera capitis & vulnera varia ſunt: atverò in his ac ſimilibus morbis multùm refert, quantū ad facilem ac difficilē curationem, vir ſit an mulier, qui ulcus habet, juvenis an ſenex, & mulier juvencula an ancilla? Et prætereà tempus à tempore differt, in quo ægrotant. Intereſt item, an ex alio morbo ægrotent, aut non ex alio? Differt etiam affectus ab affectu, major à majore, & corpus à corpore, & curatio à curatione. His autem, ſic inter ſe differentibus ulceribus, neceſſe eſt etiam tempus diuturnitatis differre: & aliis longius fieri, aliis brevius: & alios perire, & alios non: & morbos aliis durabiles eſſe & majores; aliis minores & brevis temporis contingunt; aliis permanet uſque ad ſenectutem. *Hipp. lib. 1. de morbis.*

XLIIX.

Sutura capitis.

Ulcera in capite cognoſcere & ſervare debēt ſuturas, quæ ſunt tres: alia quatuor, & quæ quidem quatuor habent; his ſunt utrimque juxta aures, & tertia ab anteriore, quarta à poſteriore capitis parte. Sic quidē in capite, quod quatuor habent; in eo verò, quòd tres, juxta aures utrimque ſunt, & ab anteriore parte tertia. Poſteriore verò parte ſutura nulla eſt, velut in eo, quod quatuor habet. Saniores autem capite ſunt, qui plures ſuturas habent. *Hipp. lib. de locis in homine.*

XLIX. In

XLIX.

In qua parte capitis durum eſt os: omni verò capitis oſſe robuſtius eſt os verticis; & quod eſt retro aures, robuſtius eſt quàm rotum, quod in anteriore parte eſt: & carnẽ ampliorem ac profundiorem in ſe-ipſo hoc os habet. Et ſanè his ita ſe habentibus, ſi quis & vulneribus, & telis, omnibus æqualibus ac ſimilibus, & majoribus ac minoribus, ſimiliter ſit vulneratus, & magis; ac capitis parte os minùs rumpitur & contunditur: & ſi homo aliàs moriturus eſt ex vulnere, ſi in poſteriore capitis parte vulnus habet, diutiore durans tempore morietur. In longiore enim tempore os ſuppuratur, & deorſum ad cerebrum tranſpuratur, propter oſsis craſsitudinẽ: & pauciùs etiam cerebrum hac parte ſubeſt: & plures mortem effugiunt plerumque ex his, qui poſteriore capitis parte vulnerati ſunt, quàm qui anteriore. Sed & in hyeme diutiore tempore vivit homo, quàm in æſtate: quisquis etiam aliàs moriturus eſt ex vulnere, quâcunque capitis parte vulnus habeat. *Hipp. lib. de cap. vulnerib.*

De oſſe cervicis.

L.

Ulcus in capite lividum & ſiccum, aut cum virore pallidum, lethale eſt. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.*

Lethale vulnus capitis quale.

LI.

Quibus cerebrum concuſſum fuerit & doluerit, percuſsis, aut aliàs lapſis, hi ſtatim voce privantur, & neque vident, neque audiunt, & plerumque moriuntur. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.*

Vulnerati concuſſo cerebro, voce, viſu, auditu privantur.

LII. At-

LII.

Nomæ lethaliſſimæ quæ.

Atverò nomæ lethaliſsimæ ſunt, quarum putredines profundiſsimæ & nigerrimæ ac ſicciſſimæ exiſtunt: pravæ etiam ſunt ac periculoſæ, quæ nigrã ſaniem remittunt. Albæ verò ac mucoſæ putredines minùs quidem occídunt, magis autem revertuntur, & diuturniores ſunt. *Hipp. lib. prædictionum Coacæ.*

LIII.

Si poſt capitis vulnus tumor rubicundus in facie acceſſerit, quid agendum.

Quum verò in vulnere in capite, homine terebello perforato, aut non perforato, oſſe autem denudato, tumor rubicũdus, ignis ſacri ſpeciem referens, acceſſerit in facie, & in oculis utrisque, aut altero: & ſi quis tumorem contingat, doleat: & febris corripiat ac rigor: & ulcus ipſum, tùm quod ad carnẽ attinet, tùm quod ad os, benè habeat ad adſpectũ: & ambientes ulcus partes benè habeant, excepto tumore, qui in facie exiſtit: & aliud peccatum nullum tumor habeat, quod ad reliquã victus rationem attinet: hujus infernã alvum deorſum purgare oportet medicamento, quod bilẽ ducit: & ubi ſic purgatus fuerit, & febris dimittit, & tumor ſedatur, & ſanus evadit. Medicamentum verò dare oportet, ad vires hominis reſpiciendo, prout robore validus fuerit. *Hipp. lib. de cap. vulnerib.*

LIV.

De terebratione & perforatione oſſium.

De perforationis ac terebrationis uſu, ubi ea neceſsitas ingruat, ut neceſſe ſit hominem perforare, ſic ſtatuendum eſt, ſi ab initio aſſumptã curationem adminiſtras, non oportet ſtatim os ad mem-

membranã perforare ac exſcindere. Non enim conducit membranam denudatam eſſe, ad multum tempus malè afflictam: ſed poſtremùm, ubi madore corrumpi ac putreſcere ipſam periculũ eſt. Eſt & aliud periculũ, ſi ſtatim oſſe ad membranam perforato ipſum auferas, ne in ipſo opere membranã per terebellum vulneres. Verùm terebrantẽ oportet, ubi jam valdè parum abeſt, ut os ſit perforatũ, & os jam movetur, à terebratione deſiſtere, & ſinere ut os ſuâ ſponte diſcedat. Nam in oſſe perforato, & à perforatione relicto, nihil mali accedere poterit. Tenue enim jam id, quod reſtat, ſit. Reliqua verò curare oportet, prout ulceri conducere viſum fuerit. *Hippoc. lib. de cap. vulnerib.*

LV.

Terebellum in perforatione eximẽdum interdum, inq; frigidam immergendum.

Terebrantem autem frequenter eximere terebellum oportet, caliditatis oſsis gratiâ, & in frigidam aquam immergere. Caleſcens enim ex circumductione terebellum, etiam os excalefaciens ac reſiccans adurit, & majus os perforationem ambiens diſcedere facit, quàm aliàs diſceſſurum fuiſſet. Si verò etiã ſtatim volueris uſque ad membranam perforare, & poſteà os auferre, eodem modo frequẽter eximere terebellũ oportet, & in frigidam aquã demergere. At ſi non ab initio curationem aſſumpſeris, ſed ex alio traditam ſuſceperis, ita ut poſterior tardè ad curationem devenias, terebello exſculpto ſtatim os ad membranam perforare ac exſcindere oportet, & exẽpto ſæpè terebello, ſpeculari; tùm aliàs, tùm

per

per admotum ſpecillum, circumcirca ipſius terebelli viam. Nam multò citiùs perforatur os, ſi ſuppuratum jam ac tranſpuratum perforaveris; & ſæpè contingit, ut non profundum os ſit, tùm aliàs, tùm ſi eâ capitis parte fuerit vulnus, quâ tenuius magis, quàm craſſum os ipſum exiſtit. Quare cavere oportet, ut in terebelli admotione ne fallaris; verùm quâ parte craſsiſsimum os eſſe viſum fuerit, in eâ ſemper terebellum admotum adigito, ita ut frequēter conſideres, ac commoveas os, & ejicere coneris. Poſtquàm autem abſtulerit, reliqua, velut ulceri cōferre viſum fuerit, curato. *Hipp. lib. de cap. vulnerib.*

LVI.

Quomodo caro producenda.

Ubi carnem producere voles, pinguia & calida magis conducunt. Ab his enim caro pullulat, quibuscunq; cibis aut potibus homines ſani in victu utuntur; ex his oportet præſentibus uti ad ægrotos, ita ut præpares calidos & frigidos, & humidos, & ſiccos, & frigidis quidem calidos, & calidos ex non calidis, & ſiccos ex non ſiccis, & reliquos juxta eundem modum. Neque verò de præſentibus deſperare oportet, tanquàm nihil poſsint, & abſentes quærere, qui nullam utilitatem ægro afferant. Comperies autē, ſi rectè conſideraveris, extra hos, paucos, quibus ad ægrum utaris. *Hipp. lib. de affectionibus.*

LVII.

Liberatio ulcerum ab inflammatione quando fiat.

Liberantur autem ulcera ab inflammatione quintâ die, & juxta horum dierum rationē, prout etiam ulcera fuerint magna, & tertiâ, & quin-

tâ,

tâ,& ſeptimâ,& nonâ,& undecimâ. Deindè abſoluto primo circuitu, rurſus ſecundi principiũ tertia ſequens hinc eſt, quæ, à prima, decimaquarta eſt. Maxima verò ulcera decimâ-quartâ die ab inflammatione liberantur. Atque hæc ratio docet morbos in imparibus diebus judicari, & humorẽ in ſano homine tertiâ die exire, ſtercus autem ſecundâ. Et hæc tertiâ die contingentia mutuum inter ſe teſtimonium præbent, quòd res ſe ita habeat. *Hipp. lib. 4. de morbis.*

LIIX.

Ulcera, non niſi vino, humectanda.

Ulcera univerſa, niſi vino, humectare non oportet, ſi non in articulo fuerit ulcus. Nam ſiccũ ſano propius eſt, & humidũ non ſano. Eſt enim ulcus humidũ; quod verò ſanũ eſt, ſiccum. Præſtat autẽ abſque deligatione ſinere, præterquàm quòd cataplaſma imponitur, quanquàm aliqua ulcera neque cataplaſma ferre poſſint, magis autem recentia, quàm vetuſtiora, & quæ ſunt in articulis. *Hipp. lib. de ulceribus.*

Non deligandа.

LIX.

Quibus corruptum eſt cerebrum, ſi ſeptimum diem effugerint, ſervantur.

Corrupta cerebro alii in tribus diebus, alii in ſeptem moriuntur. Has verò qui effugerint, ſervantur. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.*

LX.

Os circa ſyciput tenuiſſimum.

Univerſi capitis os tenuiſſimum eſt ac debiliſſimum, quod eſt circa ſynciput: & carnẽ pauciſſimam ac tenuiſſimam hac parte os in ſe-ipſo habet: & cerebrum hac capitis parte plurimùm ſubeſt. Et tela æqualia ſint magnitudine, & minora: & ſimiliter vulneratus qui ſit, & minùs: os

hac

hac capitis parte & magis contunditur, & rumpitur,& magis intrò contusum cedit:& lethaliora,ac ad curandum, & ad effugiendam mortem difficiliora sunt vulnera hac parte, quàm alibi in capite. Et ut sint æqualia vulnera, & similiter vulneratus quis sit,& minùs: homo,ubi etiam aliàs ex vulnere moriturus est,breviore tempore moritur, qui hac capitis parte vulnus habet, quàm qui alia. *Hipp.lib.de capitis vulnerib.*

LXI.

Ulcera non purgata non coëunt.

Ulcera non purgata non committi solent, etiamsi adducantur,neque suâ sponte coëunt. Ubi circumsitæ ulceris partes inflammatæ sunt, quamdiù durat inflammatio, ulcera coire non solent. Sed & ubi circumsitæ partes denigratæ fuerint,& sanguinis putredine,aut etiam varice, influxionẽ sanguinis exhibente, neq; hæc coire solent, si non circumsitas ulceris partes sanas feceris,ex ulceribus rotũda; si subcava fuerint,excidere oportet undiquaque in orbem ea,quæ discesserunt,aut omnia, aut ex dimidio circuli,secundùm longitudinem naturæ hominis. *Hipp. lib.de ulceribus.*

LXII.

Cerebrum calore gaudet, frigore afficitur.

Cerebrum, & quæ ab hoc oriuntur, frigida quidem tristantur, calida verò gaudent, si sanè frigidius & solidius à natura fuerit. Propterea ossibus,dentibus, nervis frigida inimica, calida verò amica, quia ab illa convulsiones, tensiones,rigores febriles, quæ sanè frigida facit,calida verò sedat. Ob id etiam à calida voluptates &

ille-

illecebræ, à frigida verò dolores & aversationes. Ideóque spina, pectus, dorsum, præcordia, magis frigida aggravãtur, calida verò gaudent, &c. *Hipp. lib. de liquidorum usu.*

LXIII.

De variis capitis affectibus, eorumq; remediis.

Si capitis os confractum fuerit, lac & vinum, admixtâ aquâ pari mensurâ, bibẽda dato. Si verò ulcus fuerit, internas venas secato, si non febriciter: si autem desipiat, caput irrigato, si nõ præcordia fuerint elevata: si caput doluerit, ad pectus descendit, deindè ad præcordia, posteà ad coxam: omnia verò ut doleant, fieri non potest. Ventositatem flatuosam venæ sectione, fluxionẽ pharmaco illito sistito. Fluxus enim ex vena magna est. *Hipp. lib. 2. de morbis.*

LXIV.

Ulcera inflammata difficulter coalescunt.

Quodcunque ulcus ex inflammatione tumidum non sedatur, dum alia, quæ simul inflãmari ac tumescere cœperunt, sedantur, etiam hoc non coalescere periculum est. Quæcunque verò ex casu, aut alio quopiam modo dissecantur, & contunduntur, & intumescũt, ita ut vicinæ circumcirca partes suppuratæ pus de tumoribus per ulcus egerant in talibus, quidquid cataplasmate opus habere visum fuerit, non super ipsum ulcus cataplasma ponere oportet, sed super circumsitas partes, quò pus decedat, & indurata mollientur. *Hipp. lib. de ulcerib.*

LXV.

In cognoscẽdis ulceribus ratio.

Qui porrò de ulceribus cognoscere volet, quomodo singula finient, eum primùm homi-

Specierum hominum, habenda, ætatum, locorum.

nũ ſpecies perſcrutari oportet; tùm eas, quæ meliores ſunt ad ulcera; tùm quæ deteriores. Deinde ætates nôſſe, in quibus ſingula ulcera curatu difficilia exiſtunt. Locos item in corporibus perſpectos habere, quantum alii ab aliis differunt. Sed & alia, qualia in ſingulis accedunt, tùm bona, tùm mala, nôſſe oportet. Si quis enim omnia hæc noverit, is ſanè ſciet etiam, quomodo ſingulorum eventus continget. Qui verò non noverit hæc, nõ nôſſe poterit, quales fines ulcerũ erunt. *Hipp. lib. 2. prædictionum.*

LXVI.

Ubi verò ulcus factũ fuerit, ſive hoc modo, ſive ubi externa pars, priusquàm interna coaluit, dolorem acutum inducit, & tuſsim, & febrem: & frigiditatẽ ipſum ſibi-ipſi ulcus inducit, eò quòd ampliùs calidum exiſtat: & ipſum à ſe-ipſo caliditatẽ efflat, & pus expurgatur, & per longius tempus curatur, & tardiùs ſaneſcit; quandoque verò neque ſaneſcit. Nam caro, & ulcus ab ardore, qui eſt in corpore, coquitur, & nimiùm humectatur, ut non poſsit neque ſiccari, neque carnem producere, neque ſanari. Sed cum temporis progreſſu moritur, patiens talia etiam, quæ priùs dicta ſunt. *Hipp. lib. de morbis.*

LXVII.

Vulnera perluenda.

Quum verò ſanguinem detrahis, ſpecillo ne valdè premas, ut ne contuſio accedat. Acero autem perluito, & grumum ſanguinis in hiatibus ne relinquito: & illito cruentis vulneribus deſtinato medicamento, lanas ſuccidas, carminatas,

tas, molles deligato, vino & oleo respersas. Et pertusam partem æger ita habeat, ut refluxus sit sanguinis, non defluxus: & omninò non humectet: parum cibi capiat, & aquam bibat. Si verò, ubi solveris, fissuras repereris inflammatas, cataplasma ex vitice ac lini semine imponito. Si verò ulceratæ fuerint fissuræ ac eruperint, ad rem respiciens, & quod opus fuerit adhibens, de cetero curato. *Hipp. lib. de ulceribus.*

In fissuris inflammatis quid agendum?

LXIIX.

Super ipsum autem ulcus sufficiens est splenium cerato albo illitū. Sive enim caro, sive nervus denigratus fuerit, excidet. Talia enim acribus curare non oportet, sed mollibus, velut ambusta. Deligare verò posteà per tertiū idem convenit; ferulas autem non apponere. Quiescere verò magis, quàm priùs, & modico cibo uti. Scire verò expedit, sive caro, sive nervus sit, id quod excidet, quod hoc modo multò minùs ultrà depascitur, & multò citiùs excidet, & multò graciliores circumsitæ partes erunt, quàm si quis exsolutis linteis, aliquid medicamentorum purgatorium super ulcus imponat. Quin etsi exciderit id, quod suppurâsset, & citiùs carne repletur, & citiùs ad cicatricē pervenit, quàm si illo aut alio modo curetur. *Hipp. lib. de fracturis.*

Nervus denigratus quomodo curandus.

LXIX.

Ulcus ferinū in corpus propterea venit, postquàm caro tumida & inflammata circumcirca fuerit, & margines ulceris exstiterint magni, & ulcus ipsum humidum, & ulcere sanies resiccata

Ulcus ferinum quare oriatur?

inerit, aut ulcus contritum fuerit. Sanies computrefaciens ab ulcere defluës, foràs prodire à constricto ad carnem ulcere prohibetur. Caro autem susscipit, utpotè elevata existës ab inflãmatione, & quum in ipsam pervenerit sanies subterfluës, putrefacit & attollit. Tunc humectantibus medicamentis ipsum ulcus illinere oportet, ut ex humectato ulcere fluxus foràs effluat, & nõ subter carnem. Influentia, etiam in ulcus, frigefacientibus pharmacis illinenda sunt, quò perfrigerata caro existat, & non diruptra rursus fluxionẽ immittat: sed & alia ulcera frigefacientibus oblinenda sunt, & super ipsa humectantia imponenda. *Hipp. lib. de locis in homine.*

Ulcera humectantibus medicamentis illinenda.

LXX.

De diebus criticis.

Index septimi, quartus sequentis septimanæ, octavus initium. Spectandus quoque est undecimus, siquidem is secundæ septimanæ quartus est: rursumque decimus-septenus spectandus; is enim à quarto-decimo quartus est, & ab undecimo septimus. *Hipp. lib. 2. aph. 24.*

LXXI.

De vulneribus in articulis.

Porrò vulnera in articulis, quæ quidem magna sunt, & nervos conjungentes penitùs præsecant, clarum est quòd claudos efficient. Si verò ambiguum fuerit de nervis, quomodo se habeant, siquidẽ fuerit acutum telum, quod rectum vulnus fecit, melius est obliquo. Si verò grave & obtusum fuerit id, quod vulneravit, nihil refert. Sed plagæ profunditatem & alia signa considerare licebit. *Hipp. lib. 2. prædictionum Coacæ.*

LXXII. Ini-

LXXII.

Inimicus est ignis nervis. Curare igitur ulcera per omnem curationem oportet, ita ut brachium nunquàm vehementer extendas, sed moderatè, ulcerum saltèm curandorũ gratiâ. Minùs enim ita perfrigerantur. Conducit enim omnes ustiones tegere, ut etiam leniter curentur, & minùs disparentur, minusq; sanguinis erumpat, & minùs convulsio accedat. Ubi verò pura facta fuerint ulcera, & ad cicatrices devenerint, tunc sanè penitùs brachium semper die ac nocte costis alligatum esse oportet. Sed & quum sana facta fuerint ulcera, similiter ad multum tempus brachium ad costas alligandum est. Sic enim maximè cicatrix induci poterit, & spatii amplitudo intercipietur, in quam maximè luxatur brachium. *Hipp. lib. de articulis.*

Ignis inimicus nervis.

LXXIII.

Atverò pus optimum est, si est albũ & æquale, & leve, quàm minimè graveolens. Quod verò huic contrarium est, pessimum est. *Hipp. lib. 1. prænotionum.*

De qualitate puris vulnerum.

LXXIV.

Si qua caro ex telo contusa & dissecta, eam curare oportet, quò quàm celerrimè suppuretur. Nam & minùs inflãmatur, & necesse est carnes contusas ac dissectas putrescere, ac pus fieri, & eliquari ac consumi: & posteà novas carnes nasci. *Hipp. lib. de ulceribus.*

Caro telo cõtusa celerrimè suppuranda.

LXXV.

At ubi ulcera deligare voles, non priùs phar-

Quomodo deliganda ulcera.

maca imponere oportet, quàm ubi valdè ſiccum feceris ulcus. Tunc verò imponere oportet, ulcus autem ſæpè ſpongiâ detergere, & rurſus linteum ſiccum ac purum ſæpè adhibere, atque ſic impoſito medicamento, quod conferre videtur, deligare, aut non deligare. *Hipp. lib. de ulceribus.*

LXXVI.

Medici exiſtimantur in morborum malis neceſſariis.

Fermè autem quæcumque neceſſitatem habent, ut fiant in morbis ac vulneribus mala ſupra mala, ea ubi fiunt, in Medicum culpam rejiciunt, & neceſſitatem talia fieri cogentem non cognoſcunt. Et ſi ad febricitantem aut vulnus habentem ingreſſus, admotis quàm primùm remediis non opitulentur, ſed poſterâ die æger pejùs habeat, Medicum accuſant; ſi verò opitulentur, non æqualiter laudant. Oportere enim ipſum perperi putant, ulceraque inflammari, & in morbis quibusdam dolores fieri oportere, neque tales eſſe, ut ne fiant. *Hipp. lib. 1. de morbis.*

Siniſtrum ægrotorum de Medicis judicium.

LXXVII.

De partibus nervoſis, nõ coaleſcentibus.

Nervus præciſus ac diſſectus non coaleſcit, neque veſica, neque aliquod ex tenuibus inteſtinis, neque vena ſanguiflua, neque tenuis genæ pars, neque pudendi pellicula. *Hipp. lib. 1. de morbis.*

LXXIIX.

De varicibus in tibia.

Ubi varix ineſt in tibia, aut conſpicuus, aut in carne, & tibia eſt nigra; & videtur opus habere ſanguine ab ipſa defluente: talia nequaquàm pertundere oportet. Plerumque enim magna ulcera ex fiſſuris fiunt, propter varicis influxum. Verùm varicẽ ipſum aliàs atque aliàs compungere

gere oportet, ubi opportunum esse visum fuerit. *Hipp. lib. de ulceribus.*

LXXIX.

Qui verò non assueti sunt, aliquantùm læduntur. Verùm ad ulcera, & ambusta, ac desquamata, & quæcunq; talia, contrarium est. Aptum est autem pueris. Bonum est & ad attenuandum, & ad piscatorum ulcera. Hæc enim neque suppuratur, si non vellices; & ad ulcera cuniculosa, & depascentia proserpendo sedat ac sistit, velut sal, salsugo, nitrum. Omnia autem hæc, si quis parùm utatur, irritant; si excellenter, bona sunt: melius autem est calidum ad plurima. *Hipp. lib. de liquidorum usu.*

Ulcera cuniculosa.

LXXX.

Quum verò compesci non poterit caro, quæ humida existit, in causa est ut hanc ejicias. Si sub profunda carne ulcus fuerit, ex utrisq;, & ex deligatione, & ex eo, quod insuper compressit, hoc sanè incurvum subattollitur; & si quis id secet specillo, si fieri poterit, ad fluxionem accommodatum ab ore ulcus resecare oportet, ubi commodum tempus esse visum fuerit, atque ita curationem adhibere, qualicumque tandem indigere videbitur: plerunq; verò in omni ulcere, quod ventrem habet, indirectum ad visum conspicua sunt omnia, tumore non præsente. Et siquidem in ipso fuerit putredo, aut caro suberit humida ac putrida, hoc ulcus & complectentes ulceris partes, adspectu nigra, sublivida erunt. Et in excedentibus ulceribus, quâ parte phagedæna as-

In ulceribus sub profunda carne quid agendum.

fuerit, vehementiſsiméque depaſcitur ac cedit, eâ parte circumſita ulceris pars colorem habebit nigrum, ſublividum. *Hipp. lib. de ulceribus.*

LXXXI.

De ulcerationibus voluntariis.

In ulcerationibus voluntariis ac involuntariis, qualia ſunt deſquammata, herpetibus ſerpẽdo adedẽtibus, denigratis aut in gingivis, aut in aure, aut in ſede, aut utero. His omnibus calida amica eſt ac judicatoria; frigida verò inimica & occidens, præterquàm in quibus ſanguinem fluxum eſſe timor eſt. Atque hoc modo utendum eſt liquidorum perfuſionibus, inunctilium illitionibus, foliorum impoſitionibus, aut linteolorũ cataplaſmatis, quæcumque aut frigiditate, aut caliditate proſunt, aut nocent. *Hipp. l. de liquid. uſu.*

LXXXII.

De fracturis & luxationibus.

Circa Chirurgiam verò hæc. Pus in ulcere aut tuberculo exiſtens non cognoſcere; & fracturas ac luxationes non cognoſcere; & ſpecillo admoto ad caput non cognoſcere, an os fractum ſit: & fiſtulam in veſicam immiſſam demittere non poſſe; & lapidem in veſica exiſtentem non cognoſcere: & ſuppuratum exiſtentem ex concuſione nõ dignoſcere; & ſecando aut urendo, aut à profunditate, aut à longitudine aberrare; aut urere & ſecare, quæ non oportet. Et hæc quidem non rectè. Rectè autem fiunt hæc. Morbos cognoſcere, qui ſint, & à quibus, & qui ipſorum longi, & breves, & lethales, & non lethales, & qui transmutantur, & qui augeſcunt, & qui minuuntur, & qui magni, quique parvi. Et dum curas

ras posſibiles quidem curare, impoſsibiles verò ſcire, cur curatu ſunt impoſsibiles? & dum curas eos, qui tales habent, per curationem quantum poſsibile eſt opitulari? quæ verò offerũtur ægrotis, ea ſic obſervare oportet. *Hipp. lib. 1. de morbis.*

LXXXIII.

Ulceribus impletur caput, & crura intumeſcunt, velut abaquæ potu, & in tibias tumor infarcitur, &, ſi premas, color morbi regii apparet, & ulcera aliàs aliâ corporis parte erumpunt, maximè tamen circa tibias, & malum adſpectum præ ſe ferunt. Ubi verò inflammatione liberata ſunt, citò ſana fiunt. Et febris aliàs atque aliàs corripit. Caput autem ſemper calidum eſt, & ex auribus aqua fluit. *Hipp. lib. 2. de morbis.* *Effectus ulcerum.*

LXXXIV.

Herpetes autem minimè omnium ulcerum, quæ depaſcendo proſerpunt, & periculoſi ſunt: verùm maximè difficulter ſubmoveri poſſunt, quemadmodum cancri occulti. In omnibus autem talibus febrem ſupervenire unâ die confert, & pus quàm albiſsimũ ac craſsiſsimum. Commodat & corruptio nervi, aut etiam oſsis, aut etiam amborũ, tùm in profundis, tùm in nigris putredinibus. Nam in corruptionibus pus multùm fluit, & putredines ſolvit. *Hipp. lib. 2. prædict.* *De herpetibus.*

LXXXV.

Multæ venæ ſunt & tenues, & craſſæ. Quæ ſanguinem fundentes occidunt, ſi gliſcere ac eò ferri ipſas contigerit, quas aliâ temporis occaſione ſi quis perrundat, corporibus prodeſſe ſen- *De venis tenuibus & craſſis.*

tiat. Multa verò vulnera in locis vilibus ac non malis esse, & nullâ re gravia videntur, & tamen sic dolore affligit plaga, ut respirare non possit. Alii verò præ vulneris dolore, quod sanè grave nullâ re erat, spiritum quidem duxerunt, verùm delirârunt, & febrientes mortui sunt. *Hipp. lib. 2. prædictionum.*

LXXXVI.

In ulceribus annuis quid faciendum? Si ulcera annua aut etiam diuturniora fiant, os abscedere est necesse, & cicatrices cavas fieri. *Hipp. lib. 6. aph. 45.*

LXXXVII.

Indicationes, ulcus in oculo formari. At si fordes pallidæ aut lividæ fuerint, & lachryma multa ac calida, & in capite ardor fuerit, & de tempore dolores in oculum decubuerint, & vigiliæ his accesserint, necesse est ulcus in oculo factũ esse; & timor est quoque, ut talis rumpatur. Prodest autem febris accedens, aut dolor ad lumbos innixus, &c. *Hipp. lib. 2. prædictionum.*

LXXXIIX.

De tuberculis, eorumq; dissolutione. De tuberculis & ulceribus, quæ majorum morborum sunt, amplius videndum est. Tubercula equidem deprehendere & dissolvere posse, maximè artificiosum habetur, itemq; collectiones ipsum impedire. Consequens est, ea in conspicuum & quàm brevissimum locum contrahere, & compagem ipsam æqualem per totum tuberculum facere: ubi enim inæqualiter se habuerit, periculum est ut rumpatur, & ulcus ægrè curabile reddatur. Exæquare itaque oportet, similiterq; totum maturum facere, & neque priùs

deducere, neque ſinere, ut ſponte rumpatur; quæ verò maturum facere æqualiter poſſunt, in aliis libris relata ſunt. *Hipp. lib. de Medico.*

LXXXIX.

Vulnera lethalia quæ.

Vulnera magis lethalia ſunt, quæ in venas craſſas in collo ac inguinibus infliguntur: deinde, quæ in cerebrum, & in hepar: poſteà quæ in inteſtinum & veſicam. Sunt autem hæc omnia perniciosa valdè, non tamen ita, ut nemo ex his evadat, velut putatur. Nam & loci, qui hæc nomina habent, multùm inter ſe differunt. *Hipp. lib. 2. prædictionum.*

XC.

Si omentum excidat, quid fiat.

Si verò omentum exciderit, neceſſe eſt putrefieri. Et ſi ſanguis ex vulnere aut vena effluxerit in ſupernum ventriculum, neceſſe eſt ipſum in pus converti. *Hipp. lib. 1. de morbis.*

XCI.

Quando ex terſoriis utendum.

Exterſoriis utendum eſt puris ac mollibus ad oculos quidem, linteis; ad vulnera verò, ſpongiis. Hæc enim per ſe probè auxiliari videntur. Omnia autem ritè fabrefacta ad uſum eſſe oportet, magnitudine, gravitate, ac humiditate. Quæ verò offeruntur, omnia conſiderare oportet ut conferant, maximè ſi ægrotæ parti adhibebuntur. Talia autem ſunt, ligamenta & medicamenta, & lintea circa vulnus, & cataplaſmata. Hæc enim longiſsimo tempore circa ægrotantes locos ſunt. *Hipp. lib. de Medico.*

XCII.

De ſacro igne.

In omni ulcere igne ſacro accedente, corpus pur-

purgationem facere oportet, in utram partem ulceri contulerit, sive sursum, sive deorsum. Cui tumor obortus fuerit circa ulcus, ulcere non inflamato, huic posteà temporis progressu tumor purus subsidentiam habet. *Hipp. lib. de ulceribus.*

XCIII.

Humor pinguior febrim inducit.

Quibuscumque verò hominibus febris incidit, si nihil aliud mali habeat homo, à pinguiore, quàm oportet, existente humore incidit, & venæ impletæ dolorem ac calorem ulceri inducunt. Hoc autem calefactum, etiam reliquum corpus calefacit. Atque hoc modo caliditas ad ulcera pervenit. Calescit enim corpus, & ulcera, ab humoris commotione: & labor talia efficit. *Hipp. lib. 4. de morbis.*

XCIV.

Chirurgus signa telorũ exquirat, in corpore existentium.

Etenim signa exquirere ac invenire telorum in corpore existentium, maxima artis Chirurgicæ hûc pertinentis pars existit. Ubi enim hoc cognitũ fuerit, non potest relinqui vulneratus ex ignorantia neglectus, cùm non convenienter tractetur. Solus autem is, qui signorum expertus est, hanc Chirurgiam ritè aggredietur. *Hipp. lib. de Medico.*

XCV.

Descriptio lagopyri herbæ.

Maximè autem replet cava, pura, herba lagopyrus nomine: est autem tritico similis, ubi arescit, folio parvo velut olea, sed longiore: & marrubii folium cum oleæ foliis. *Aliud:* Cariffæ siccissimæ internam partem pinguem, mellis speciem referentem duabus portionibus, cum semi-

nis

nis lini tosti nõ admodùm, ac triti quàm tenuissimè parte unâ. *Hipp. lib. de ulceribus.*

XCVI.

Vinum dulce ad diuturna vulnera cõmodum est assiduè utenti: sed & ad medicamentorum potionem. Austerum autem & albũ, & nigrum vinum frigidum ad ulcera commodum est: frigidum propter caliditatem. Lanæ, quæ frigiditatis gratiâ aut perfunduntur, aut induuntur, aut intinguntur, aquam frigidissimã postulant: quæ verò adstrictionis gratiâ, vinũ nigrum etiã lanas aspergere potest, velut etiam betarum folia, aut linteola intinguntur, &c. *Hipp. lib. de liquidor. usu.* *De vino ulceribus cõmodo.*

XCVII.

Et quibuscumq; quidem pueris existentibus erumpunt ulcera in caput & in aures, ac in reliquum corpus, & qui salivosi fiunt ac mucosi, hi ipsi progressu ętatis facillimè degũt: sic enim abit ac purgatur pituita, quam in utero purgari oportebat; & qui purgati fuerint, comitiale sive sacro morbo ferè non apprehenduntur: qui verò mundi sunt, & neq; ulcus ullum, neque mucus, neque saliva ulla prodit, neque in uteris purgationem fecerunt, talibus periculum imminet, ut ab hoc morbo corripiantur. *Hipp. lib. de morbo sacro.* *In juventute ulcerosi, postmodùm saniores vivunt.*

XCIIX.

Fauces exulceratæ cum febre, horrẽdæ sunt. Verùm si quod aliud item signũ accedat ex his, quæ anteà mala esse judicata sunt, in periculo hominem versari prædicendum est. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.* *De faucibus exulceratis.*

XCIX. Qui-

XCIX.

Quicumque vulnerati in thoracem, externâ vulneris parte ſanati ſunt, internâ non, periclitatur ne ſuppurati fiant. Quibus autē debilis inducta eſt intùs cicatrix, facilè refringitur. Et peripneumonicis ſuppurationibus ſeniores magis pereunt, ex reliquis juniores. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.*

De peripneumoniacis ſuppurationibus.

C.

Ulcera in tonſillis citra febrem facta, ſecuriora ſunt. Quibus infantibus in ſugendo tuſsis inſtat, uvam majorem habere ſolent. Quibus citò in tonſillis ulcera ſerpentia conſidunt, febribus ac tuſsi permanentibus, periculum eſt rurſus generanda eſſe ulcera recurrentia. Ulcera tonſillarum in infantibus periculoſa. Pueris memorabilis magnitudinis, ſi ulcera in tonſillis ſint, & deglutire poſsint, ſalutis ſignum eſt: quum verò majores prioribus, deglutire in tonſillarū ulceribus non poſſunt, his multùm bilem revomi, aut per alvum prodire, periculum eſt. In ulceribus tonſillarum ſi quid arenoſum ineſt, non bonum. *Hipp. lib. de dentitione.*

De tonſillarum ulceribus.

CI.

Ulcera in tonſillis æſtate facta, pejora ſunt quàm aliis temporibus; citiùs enim proſerpunt. Ulcera in tonſillis circa uvam proſerpentia, in his, qui ſervantur, vocem alterant. Ulcera proſerpentia circa fauces, graviora & magis acuta, ut plurimùm ſpirandi difficultatem inducunt. *Hipp. lib. de dentitione.*

Ulcera tonſillarum æſtate pejora.

CII. Ulce-

CII.

Ulcera fientia, ac tubercula judicantia febres: quibus hæc non fiunt, judicatio sublata est; quibus intùs relinquuntur, certissimæ recidivæ, ac celerrimæ. Sputa rotunda delirium significant, velut in pleno. Qui hæmorrhoidas habent, neq; pleuritide, neque peripneumoniâ, neque phagedænâ, neque furunculis, neque tuberculis terebinthi figuram habentibus corripiuntur; fortassis autem neque lepris; fortasis neque vitiliginibus. Multi tamen intempestivè curati, talibus non tardè correpti sunt, & sic pernicioſæ fuerũt: & quicumq; alii abscessus, velut fistulæ, aliorum medela sunt. *Hipp. lib. 6. de morbis popularibus.*

Usus hæmorrhoidarum maximus.

CIII.

Nam ulcera si repurgantur pure albo, celerem curationem indicant: si verò in sanioſos humores transmutentur, maligna fiunt. *Hipp. lib. de judicationibus.*

Pus album curationis celeris indicium; sanioſum contrà.

CIV.

Purgatio ventris deorsum plurimis ulceribus confert, & in vulneribus, quæ sunt in capite, & in ventre, & in articulis, & in quibus corruptionis periculum est, & his, quæ consuta sunt, & in excedentibus ac serpentibus, & aliàs inveteratis ulceribus. *Hipp. lib. de ulceribus.*

Purgationis ventris deorsum usus.

CV.

Fistulæ sunt quidem ex contusionibus & tuberculis: fiunt autem & ex remigatione ac equitatione, quũ in natibus congregatus fuerit sanguis prope sedem. Putrescens enim distribuitur ad

De fistulis, earumq; cãusis.

ad molles partes nimirum, quum & inteſtinum rectum ſit humidum,& caro mollis,in quam diſtribuitur, donec tuberculũ eruperit, & deorſum ad rectum inteſtinum computruerit. Poſtquàm hoc factum fuerit, in fiſtulam abit, ac ſanie manat,& ſtercus per ipſam fluit,& flatus,& abominatio multa. Contuſionibus itaq; fit fiſtula,ubi aliquis circa rectum inteſtinũ locus cõtuſus fuerit ex plaga,aut ex caſu, aut vulnere,aut equitatione,aut remigatione,aut quæcumq; talia ſunt: congregatur enim ſanguis: putreſcens autẽ ſuppuratur : à ſuppurato verò ea,quæ de tuberculis dicta ſunt,patitur.*Hipp.lib.de fiſtulis.*

CVI.

Recentia ulcera citiſſimè ſuppuranda.

At verò recentia ulcera omnia, tùm ipſa, tùm circumſitæ partes,minimè inflammationem incurrent, ſi quis quàm citiſsimè ſuppuret, & pus ab oſculo ulceris non interceptũ ſupprimatur: aut ſi quis avertat, ut omninò non ſuppurentur, præterquàm neceſſario,eoq; pauciſsimo pure,& ſicca ſint quàm maximè ex medicamento non moleſto. Igneum enim fervorem hoc inducit, ubi horror & pulſatio acceſſerit. Inflammantur enim ulcera tunc, cùm ad ſuppurationem tendunt. Suppurantur autem alterato ſanguine ac calefacto,donec putrefactus talium ulcerum pus fiat.*Hipp.lib.de ulceribus.*

CVII.

Affuſionis frigidæ aquæ in ulceribus effectus.

Ulceribus quidem frigida mordax, cutẽ obdurat, doloroſa non ſuppurari facit,livefacit,nigrefacit,rigores febriles facit,convulſiones,antè

ac

ac retrò distentiones. Quandoque verò in hac distentione, sine ulcere juveni carnoso, mediâ æstate, multæ frigidæ aquæ effusio, caloris revocationem facit. Calor autem hæc solvit. Calida suppuratoria est, non in omni ulcere, maximum signum ad securitatem, cutem mollit, attenuat, dolorem eximit, rigores, convulsiones, antè ac retrò distentiones lenit, capitis gravitatem solvit; plurimùm autem conducit ossium fracturis, magis autem denudatis; & ex iis maximè his, qui in capite ulcera habent, & quæcumque præ frigore aut moriuntur, aut ulcerantur, &c. *Hipp. lib. de liquidorum usu.* *Calida.*

CIIX.

At si contingat, ut crassarum venarum aliqua saucietur, & sanguis intrò fluat, ac putrescat, suppuratus sit. Et siquidem hoc pus totum per sputum rejectum fuerit, & vena sauciata coaluerit, & ulcus intùs ac foris sanatum fuerit, penitùs sanus evadit. Si verò neque ulcus intùs coalescere poterit, neq; vena constringatur, sed aliàs atque aliàs sanguinem remittat: & si statim vomatur & spuatur, aut etiam putrescat, & pus exspuatur, plerumq; perimitur, aut statim sanguinem vomens, aut posteriori tempore, dum perit ab iisdē, quę anteà dicta sunt. Sæpè verò hi, quibus venarum aliqua intùs sauciatur à vulneribus, aut quibusdā laboribus, aut exercitiis, aut aliâ quādam causâ, quum coaluerit & sana esse videtur vena, alio tempore iterum rumpitur: idq; ab iisdem contingit causis, à quibus etiam priùs pa- *De venis crassis sauciatis.*

tiebatur. Ubi verò iterum rupta eſt, ſanguinem fundit, & ſtatim pereunt ſanguinem multum ac ſæpè vomentes, &c. *Hipp. lib. 1. de morbis.*

CIX.

De corruptione dentium, indeq; ſymptomatibus.

Ex dentis corruptione vehemens febris ſuperaccedens, & delirium, lethale eſt. Si verò ſerventur, ulcera ſuppurabunt, & oſſa diſcedent. Quibus circa palatum humoris collectio fit, plerumque ſuppuratur. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.*

CX.

In vulnerib. tempus nactis quid agendum.

Quæcumque igitur vulnera tempus nanciſcuntur, aut corpus & mentem hujusmodi, aut ita gliſcentem ſanguinẽ, aut magnitudine tantâ fuerint, ut homo ad curationem adduci ab ejus contemptu non poſsit, ab his quidem diſcedere oportet, qualiacunque tandem fuerint, diariis animi deliquiis exceptis: alia verò omnia aggredi, quæ recèns ſunt incuſſa, quò & febres effugiant homines, & ſanguinis eruptiones, & nomas ulcerum proſerpentes, hi, qui evadent. Exactiſsimè verò & ad plurimum tempus eorum, quæ graviſsima ſunt, cuſtodiã facere oportet. *Hipp. lib. 2. prædict.*

CXI.

De evacuatione.

Et qui ab evacuatione detinetur, & debilis eſt, & tenuis exiſtens, derepentè ſiccus ſubſidit, moritur. Quum à caliditate detento ulcuſcula eruperint debili exiſtenti circum-circa livida, moritur. Quum à morbo quopiam detento, debili jam exiſtenti, livida ulcuſcula enata fuerint, mortale. Quum quis à medicamenti potu ſuper-

ægro-

ægrotârit, & infernè ac ſupernè ab ipſo ſeceſſerit, vinum ſorbeat primùm quidē dilutum, deindè meracum frequenter, & ſanabitur. *Hipp. lib. de locis in homine.*

CXII.

Ulcera quatuor vias habere videntur. Unam in profundum: hæc autem ſunt fiſtuloſa, & quæ ſanie plena ſunt, ac intùs excavata. Alteram in altum, quæ videlicet carne ſuperexcreſcūt. Tertia via eſt in latitudinem; atq; hęc ſunt, quæ appellantur ſerpiginoſa. Quarta via eſt, quæ ſola ſecundùm naturam motûs eſſe videtur. Carnis itaque calamitates hæ ſunt; omnes autem communem rationē habent ad hoc, quod ipſis conducit: & ſigna quidē horum in aliis relata ſunt, itemque quâ utendum ſit curatione, per quæ autem concretum diſſolvatur, ſimiliterq; id, quod carne excreſcente repletum, aut cavum factum eſt, aut quod in latitudinem iter fecit. *Hipp. lib. de Medico.* *Quatuor viæ ulcerū.*

CXIII.

Humor in corpore ægroti magis turbatur in imparibus diebus, nimirum corpore humorem ad ventriculū transmittente. Et ſi quis jam turbatum, adhuc magis perturbet medicamēto immiſſo, nihil miri eſt ex talibus hominem perire. Quin & ulcera ſi curentur, maximè in his diebus inflammatur. Venit enim humor ad omnes venas, quum turbatur, easque replet. Et ubi ad ulcus pervenit, ſiquidem nō curetur, & pus exitum habeat, expellitur ab humore, qui in turba- *De humore turbato.* *Humor turbatus omnes venas replet.*

tione acceſsit,& ulcus foràs expurgatur. Si verò curetur,pus exitum non habens,& iſtîc unà cum eo, qui acceſsit,permanens, dolorem inducit,& carnem circa ulcus attollit: & ex illo, ſiquidem in cruribus habuerit ulcus, attolluntur venæ,quæ in juncturis crurum exiſtunt. Si verò in manibus, quæ in manuum juncturis ſunt, & ex hoc glandularum tumores fiunt.*Hipp.lib.4.de morbis.*

CXIV.

Oleum non omnibus ulceribus conducit.

At oleum, & quæcumque mollia, aut oleoſa ſunt medicamenta, talibus ulceribus non conducunt, ſi non valdè jam ad ſanitatem tendant. Neque ulceribus ex recenti vulnere oleum conducit,neque mollientia, neque adipoſa medicamenta,tùm aliàs, tùm quòd ulcus ampliore purgatione opus habet. Ut autem in ſumma dicam, oleo illitio facienda eſt, & in æſtate, & in hyeme; in his atque talibus medicamentis opus habemus.*Hipp.lib.de ulceribus.*

CXV.

De impotentia corporis ex vulnere.

Qui ex vulnere impotentes fiunt corpore, febre quidem accedente citra rigorem ſanantur; non autem accedente, ſiderati fiunt dextrâ aut ſiniſtrâ parte. Sideratis ſi hæmorrhoides accedant,utile eſt;ſi verò frigiditates & torpores,malum.*Hipp.lib.prænotionum Coacæ.*

CXVI.

De ſuppuratis à vulneribus.

Quicumq; verò à vulneribus ſuppurati fiunt, aut ex haſtâ, aut pugione, aut jaculo, intrò ſauciati fuerint, quamdiù quidē habuerit ulcus reſpirationem foràs, per antiquum vulnus, & hac par-

parte frigidum in se-ipsum adducit, & calidum à se-ipso hac parte emittit, & sanè facilè tùm pus, tùm si quid est aliud, expurgatur. Et siquidem & interna & externa pars simul fuerint sanatæ, sanus penitùs homo evadit. Si verò externa quidem sanata fuerit, interna verò non, suppuratus sit. Et si etiam sanatæ simul sint interna ac externa pars, cicatrix autem intùs debilis fiat, & aspera ac livida, reulceratur quandoque, atq; sic suppuratus fit. Rursus exulceratur etiam, si quid ampliùs laborârit, & si attenuatus fuerit, & si pituita, aut bilis ad cicatricem affixa fuerit, & si alio morbo correptus attenuatus fuerit. *Hipp. lib. 1. de morbis.*

CXVII.

De difficultate curandi morbos antiquos.

Antiqui morbi difficiliùs curantur, quàm recentes; verùm morbos antiquos primùm recentes facere oportet. Ulcus callosum factum, ejectâ primùm duritiâ per putrefactorium medicamentum, constringere deindè oportet. Pharmaca, quæ tumefacere maximè solent, ea pura ulcera adstringunt; quæ verò attenuant, ea purgant.

Ulcera immatura non constringenda.

Si verò quis constringat ulcera nondum matura, corpus ægrotum nutrit, quod ulcus habuerit. Et siquidem adstringere oporteat ulcus ac implere, tumefacere prodest, etiam si in capite carnem velis. Renutrita enim à cibis caro, propulsat eam, quæ à medicamento putrefacta est, & simul cum naturâ debellat; verùm elevatam aut levem carnem, cibis gracilem reddere oportet. *Hipp. lib. de locis in homine.*

CXIIX.

Lanis succidis vulnera citissimè suppurãtur.

Lanas succidas pauciſsimâ aquâ tingito, deinde vini tertiam partem ad aquam miſceto, ac coquito, donec bona provenerit craſsitudo. Ex his recentia vulnera quàm citiſsimè ſuppurari poſſunt. *Hipp. lib. de ulceribus.*

CXIX.

Torpores ſignum ſiderationis.

Torpores, & ſensûs ſtupiditates, præter morem fientes, futuræ ſiderationis ſignũ ſunt. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.*

CXX.

De ulceribus in tibiis.

Ad vetera ulcera in tibiis fientia. Fiunt autem ſanguinolenta & nigra, meliloti florem tritum, melle ſubactum, cataplaſmatis modo utere. At verò ſupra nervos diſſectos, myrti ſylveſtris radices contuſas ac cribratas, & oleo ſubactas deligato, & herbam quinquefolium: eſt autem alba & lanuginoſa, & altior à terrâ, quàm nigrum quinquefolium: in oleo tritum deligato, & tertiâ die exſolvito. His autem medicamentis in hyeme potiùs, quàm in æſtate, utendum. *Hipp. lib. de ulceribus.*

CXXI.

Signa breviſſimo tẽpore perituro rum.

His, qui breviſsimo tempore perituri ſunt, maxima ſigna ab initio fiunt. Nam & difficulter ſpirant, & noctu non dormiunt, & ſigna periculoſa præ ſe ferunt. *Hipp. lib. de judicationibus.*

CXXII.

Pericula ex vulneratâ arteriâ.

Si vulnerata fuerit arteria, tuſsis habet, & ſanguinem tuſsiendo rejicit, & fauces ſanguine latenter implentur, & grumos ejicit, & dolor ſit acu-

cutus ex pectore ad dorsum, & saliva viscosa ac multa, & fauces siccæ, & febris ac rigor corripit, & strident fauces velut à pinguedine, atque hæc ad quindecim dies patitur: posteà verò pus spuit, & velut ulceris ricinos, brochia in pulmone cartilaginosa, & rursus tussit, & sanè sanguis erumpit, & posteà pus crassius spuit, & febris fortior fit, & in pulmoné desinit, & vocatur ruptio pulmonis. At si post primum sanguinem pus non spuat, à laboribus ac exercitiis quiescere oportet, & vehiculum inscendere, abstinereque à cibis salsis & pinguibus, ab oleribus acribus, &c. *Hipp. lib. 2. de morbis.* *Ruptio pulmonis.*

CXXIII.

Si verò tumor magnus fuerit, doloris q; exsors & siccus, periculo vacat. Si verò cum dolore fuerit, malus est. Si siccus sit, & periculum est, ne ulceretur oculus ac concrescat. Sed & gravis est tumor, si lacrymam conjunctam habeat, itemque dolorem. Si enim lacryma procedit calida ac salsa, periculum est, & pupillam exulcerari, & palpebras. Si verò tumor consederit, sed lacryma multa multo tempore effundatur, & sordes fuerint, viris quidem palpebrarum eversionem prædicere oportet; mulieribus autem & pueris exulcerationem ac eversioné palpebrarum. *Hipp. lib. 2. prædictionum.* *Si tumor cum dolore fuerit, quid?*

CXXIV.

Inflammata cataplasmatis frigefacito. Talia verò cataplasmata sint, aut betæ coctæ in aqua, aut apium, aut oleæ folia, aut fici folia, aut rubi, *Inflammata frigefaciendacataplasmatis.*

aut quercus, aut mali punicæ. Atque his coctis utendum est. Crudis verò rhamni foliis, aut viticis, aut salviæ, aut tithymali, aut pulegium viride, aut porrum, aut apium, aut coriandrum, aut isatidis folia impone. Si verò nihil horũ habueris, neq; aliud ullum cataplasma, polentam aquâ aut vino subactam imponito. Tanto autem tempore hæc cataplasmata prosunt, quãto frigidiora fuerint quàm ulcus. Quum verò fuerint calidiora, aut similiter calida, nocẽt. Pinguia ad inflammata non conducunt, neq; ad ea, quæ non sunt purgata, neq; ad putrescentia. Sed ad inflammata conferunt frigida: & ad impurgata ac putrescentia acria faciunt, & quæ mordacitatem aliquam inducentia purgant. *Hipp. lib. de affectionib.*

CXXV.

De diæta ulcerosorum. Modicus cibus & âqua quàm maximè omnibus ulceribus conducunt, & magis recentioribus, quàm vetustioribus, & si quod aliud ulcus inflammatum est, aut inflammationẽ minatur, & si periculum est corruptionis: & ulceribus ac inflammationibus in articulis: & ubi convulsionem fieri periculum est: & vulneribus in ventre: maximè verò omnium, fracturis in capite ac femore, & si cui alii parti fractura contigerit. Stare autem ulceri minimè cõducit, præsertim si quis in crure ulcus habeat: imò neque sedere, neque ambulare. *Hipp. lib. de ulceribus.*

CXXVI.

De resectione partium corporis mortuarum. Oportet autem partes corporis, quæcumque infra terminos denigrationis sunt, quum jam pe-

ni-

nitùs mortuæ fuerint, & doloris exſortes, juxta articulum auferre, providendo, ut ne vulneret. Si enim is, cui reſectio fit, dolore affectus fuerit, & corpus nondum mortuum fuerit eâ parte, quâ reſecatur, magnum periculum eſt, ne præ dolore animi deliquium incidat. Talia verò animi deliquia multos jam è veſtigio peremerunt. *Hipp. lib. de articulis.*

CXXVII.

De ſuperioris ventris ſuppuratione.

Superiore ventre ſuppurati multipliciter fiunt. Nam quum pituita de capite copioſa & acervatim in ſuperiorem ventrem fluxerit, putreſcit, & in pus revertitur. Putreſcit autē maximè in diebus viginti unâ. Hoc igitur pus concutitur, & intùs fluctuat ad latera allabens. Hic, ſi uratur, aut ſecetur, priusquàm diuturnū fiat pus, ſanus plerumque evadit. Fiunt autem & ſuperiore ventre ſuppurati ex pleuritide, quum fortis fuerit, & in judicatoriis diebus neque putruit, neque ſpuro rejecta eſt, ſed latus exulcerarum fuerit à pituitâ affixâ, & bile, & quum ulcus factum fuerit, reddit de ſe pus, & ex vicinis locis præ caliditate in ſe-ipſum pituitam adducit; & hæc ubi computruit, pus ſpuitur. Aliquando verò etiam ex venis ſanguis ſe in ulcus ingerit, & putrefactus pus fit. Hic ſi è veſtigio aſſumatur, ſanus plerumque fit; ſi verò negligatur, perit. *Hipp. lib. 1. de morbis.*

CXXIIX.

Vulneribus recētibus cō ducit ſanguinis fluxus.

Omni recenti ulceri, præterquàm in ventre, conducit, frequenter ſanguinem defluere facere, prout opportunum eſſe viſum fuerit, & ab ipſis

partibus ulcus complectentibus, tùm aliàs, tùm si in tibia ulcus fuerit, aut in digito pedis aut manus, magis quàm si alicubi in aliâ corporis parte. Sanguine enim defluente, gracilescentia, sicciora fiunt ac minora. Prohibet enim hoc maximè talia ulcera humectari. Deindè verò in omnibus putredo sanguinis ex sanguinis transmutatione fit. Confert autem post sanguinis fluxionem in talibus ulceribus, etiam spongiam deligare densam, mollem, concisam, sicciorem quàm humidiorem: aut super spongiam supernè folia multa ponere. *Hipp. lib. de ulceribus.*

CXXIX.

De corrosis dentibus. Si corrosus fuerit dens, & movetur, eximatur. Si verò non corrosus est, neq; movetur, dolorem autem exhibet, per ustionem resiccatur. Prosunt etiam, quæ commanducantur. Dolores autem fiunt, quum pituita sub radices dentium subierit. Exeduntur autem & corroduntur, partim à pituitâ, partim à cibis, si naturâ debiles fuerint, & cavitatem habuerint, & malè in gingivis fixi fuerint. *Hipp. lib. de affectionibus.*

CXXX.

Dolor major doloris obscurat sensum minoris. Duobus simul doloribus non eundem locum occupantibus, qui vehementior est, alterius sensum obscurat. *Hipp. lib. 2. aph. 46.*

CXXXI.

Medicamentū pro vulneribus cruentis. *Aliud ad cruenta vulnera.* Myrrha, thus, galla, ærugo, flos æris tostus, alumen Ægyptium tostū, œnanthe, lanarū sordes, plumbago. Horum singulorum æquale pondus diluitur cum vino ve-

lut

lut ſuperiùs, & reliqua pręparatio fit eodem modo. *Aliud.* Acetum, quàm acerrimum album, mel, alumen Ægyptium, nitrum optimum leviter toſtum, fellis parum, ſimul coquito. Hoc carnem ſuperexcreſcentem conſumit, & cavat, & non mordet. *Hipp. lib. de ulceribus.*

CXXXII.

De uvæ immaturæ ſucco.

Sit autem plurimus uvæ immaturæ ſuccus: ſecundo loco vinum: tertio mel: myrrham etiam ſtacten, quàm optimam leviter tritam, eodem vino paulatim affuſo diluito, & poſteà ipſam per ſe-ipſam cum vino ſæpè agitãdo coquito, & ubi ad bonam craſsitudinem deveniſſe videbitur, ad uvæ immaturæ ſuccũ affundito, & nitrum optimum torrefactum ſenſim ad pharmacum admiſceto, & flori æris minus quàm nitri. Hæc poſtquàm miſcueris, coquito non minùs tribus diebus, lignis ſiculneis non multis ſuccẽſis, aut prunis, ut ne torreatur; & ubi hoc pharmacum illinitur, omnia, quæ imponũtur, ſicca ſint, & ulcera non humectentur. Utendum autẽ eſt hoc pharmaco ad ulcera inveterata ac recentia, & ad pudẽdi, & capitis ac auriũ ulcera. *Hipp. lib. de ulcerib.*

CXXXIII.

Venarũ retro aures ſectionis effectus.

Venæ retro aures ſunt, quas ſi quis ſecet, ſteriliratem inferat his, quibus ſecantur. *Hipp. lib. de aëre, aquis & locis.*

CXXXIV.

De cerebro ſiderato.

Quibus cerebrum ſideratũ eſt, intra tres dies intereũt; ſi verò hos ſuperaverint, ſani fiunt. *Hipp. lib. 7. aph. 50.*

CXXXV. Si

CXXXV.

Effectus sideronis. Si sideratus fiat, anteriorem capitis partem dolet, & oculis non æqualiter videt, & soporatur, & venæ pulsant, & febris debilis tenet, & corporis impotentia. Hic patitur hæc, quum venæ in capite fuerint calefactę, & calefactæ pituitam in se-ipsas traxerint. Et principium quidem morbi ex hoc fit. Anteriorē verò capitis partem ideò dolet, quòd venæ in hac sint crassissimæ, & cerebrum ad anteriorem capitis partem magis situm est, quàm ad posteriorem. Et oculis ideò non videt, procumbēte eò cerebro ac inflammato. Impotentię verò ideò corpus occupant: postquàm venę pituitam in se-ipsas traxerint, necesse est, præ pituitæ frigiditate sanguinem magis nunc sisti ac perfrigeratū esse, quàm priori tempore. Dum autem sanguis nō movetur, fieri non potest, ut non etiam corpus quiescat ac torpeat. *Hipp. lib. de morbis.*

CXXXVI.

De occultis cancris. Quibus occulti cancri adsunt, non curare melius est: curati enim citiùs intereunt; non curati verò longiùs vitam trahunt. *Hipp. lib. 6. aph. 38.*

CXXXVII.

De Cephalalgia. Qui valentes, capitis repentè doloribus corripiuntur, & protinùs muti fiunt, & stertunt, intra septem dies intereunt, nisi febris intervenerit. *Hipp. lib. 6. aph. 51.*

CXXXIIX.

A' sanguinis copioso fluxu convulsio, mala. A' copioso sanguinis fluxu singultus, aut convulsio, mala. *Hipp. lib. 5. aph. 3.*

CXXXIX. Quum

CXXXIX.

Aurium incisarum curatio.

Quum inciderit quis aurē, ab omnibus quidem cataplasmatis, & ab omni linamentorum usu abstinere oportet; curare autem vel emplastro aliquo cruentis vulneribus idoneo, vel aliquo alio, quod neq; gravitatem, neque dolorem inducat. Si enim cartilago denudari incœperit, & subsidentia purulenta aut mucosa habuerit, molestum est: fit autem & hoc propter illas curationes. Cæterùm, omnium eorum, quę recruduerunt, perustio in ulteriorem partem sufficientissima medela est. *Hipp. lib. de articulis.*

CXL.

De victûs ratione ulceroſorum.

Victus porrò his, quibus ab initio ulcera non facta fuerint, neq; ossa extrà eminent, sufficit aliquantò simplicior. Verùm pauciori victu utendū est ipsis, usq; ad diem decimum, ut qui jam etiam quiescāt: & opsoniis tenellis utendū, quę transitu mediocritatem exhibent. A' vino verò & carnis esu abstinendum. Posteà tamen sensim progressu facto reficiendi sunt. *Hipp. lib. de fracturis.*

CXLI.

De forma ulceris.

Conjecturam facere oportet juxta ulceris formam, quò sit quàm minimè hians ac labiis protuberans & expassum. Aliis enim ad dextram deligare commodum est, aliis ad sinistram, aliis ex duobus initiis. Quæcumque verò ossa repositionem effugerunt, ea discessura esse nôsse oportet: item q; ea, quę carnibus penitùs nudata sunt. Nudatur autem quorundam superna pars, quorundam verò carnes circumcirca mortiferantur:

&

& quibusdam quidem ex veteri vulnere aliqua ossa emarcuerunt, quibusdã verò non: & aliquibus magis, aliquibus minùs; & partim parva, partim magna. Propter hæc igitur relata, uno morbo dici non potest, quando ossa sint discessura. Aliqua enim ob parvitatẽ, aliqua ex eo, quòd in summa parte existunt, citiùs discedũt: aliqua, eò quòd non discedũt, resiccata & marcida fientia desquamantur. Præterea differt curatio à curatione. In totum igitur ossa citissimè his discedunt, quibus citissimè fiunt suppurationes, & citissimè ac optimę carnis productiones. Subnascentes enim juxta læsam partem carnes, plerumque ossa ipsa elevant. Totus tamen ossis circulus, si in quadraginta diebus discesserit, benè discedet: quædam enim ad sexaginta dies perveniunt. Nam & rariora ossa citiùs discedunt, solidiora verò tardiùs: alia autem minora, multò minore temporis spatio; alia aliter. *Hipp. lib. de fracturis.*

CXLII.

De ossibus fractis. Quibus verò ossa fracta & extrà eminentia in suam sedem collocari non possunt, his hæc restitutio debetur. Ferramenta facere oportet ad eum modum, quem vectes habent illi, quibus lapicidæ utuntur, alia latiora, alia angustiora. *Hipp. lib. de fracturis.*

CXLIII.

De repositione ossium. Primùm scire expedit, quòd omnium ossium commissuræ plerumque sunt caput & acetabulum: in quibusdam verò & locus acetabuli formam

mam refert & oblongus est: quidam verò loci leviter sinuosi sunt. Semper autẽ reponere oportet omnes articulos elapsos, maximè quidem statim, dum adhuc calidi sunt: sin minùs, quàm celerrimè. Nam & ei, qui reponit, faciliùs ac citiùs reponere contingit; & ægroto multò minus doloris affert repositio, priusquàm intumuerit. Omnes etiam articulos ubi reponere voles, præmollire ac commovere oportet. Sic enim faciliùs reponi solent. Circa omnes autem articulorum repositiones hominem attenuare oportet, maximè circa maximos articulos & repositu difficillimos, minimùm circa minimos & faciles. *Hipp. lib. de articulis.*

CXLIV.

Porrò, si nasus fractus fuerit, fracturæ modus non unus est. Verùm qui pulchris deligationibus gaudent citra intelligentiam, tùm in aliis multis damnũ incurrunt, tùm in fracturis circa nasum vel maximè. Ex deligationibus enim hęc maximè varia est, & quæ plurimas ascias habeat, & interruptiones ac interceptiones cutis maximè varias rhombiformes. Sicut igitur dictũ est, qui nullâ intelligentiâ præditi aggressionis studio tenentur, ultrò se offerunt ad nasum fractum deligandum. Unâ itaque alterâque die lætatur Medicus; gaudet quoque is, qui deligatur. *Hipp. lib. de articulis.* *Fractura circa nasum.*

CXLV.

Atverò si auris fracta fuerit, deligationes omnes inimicæ sunt. Neque enim ita laxam quis cir- *Auriũ fractura deligatio inimica.*

circundare poterit. Si verò magis premat, majus malum operabitur. Nam & sanâ auris deligatione pressâ, dolore, & pulsatione, & febre afficitur. Sed & cataplasmata pessima quidem omninò sunt, quæ gravissima sunt. Verùm & alia pleraq; omnia mala sunt: & abscessus inducunt, & mucum ampliorem suggerunt, & deindè suppurationes noxias. His autem fracta auris minimè opus habet. Proximum tamen locum habet, si quid imponi debet, farina viscosa, quam neque ipsam gravè esse oportet; contingere verò quàm maximè conducit. Bonum enim aliquando medicamentum est, etiam nullum adhibere medicamentum, & ad aures, & ad multa alia. Vellicationem insuper ac scalpturâ vitare oportet. *Hipp. lib. de articulis.*

Bonum medicamentũ, aliquando nullum medicamentũ.

CXLVI.

De ossium discessu. Quicumque itaque valdè tenuium ossium discessus fiunt, si nullâ magnâ mutatione opus habent, nisi ut laxiùs deligatio fiat, ut ne pus intercipiatur, sed facilè effluere possit; sed & frequentiùs deligare oportet, donec os discesserit, & ferulas non apponere. Quibus verò majoris ossis discessus exspectatur, sive hoc à principio prænoveris, sive etiam posteà cognoveris, non ampliùs eâdem curatione opus habet: sed extensiones & directiones ita facere oportet, velut dictũ est: splenia verò duplicata, latitudine quidem dimidio palmo non minora: quale tamen fuerit vulnus, juxta hoc conjectura facienda est: longitudine verò paulò quidẽ breviora, quàm ut bis cir-

cum fauciatũ corpus circumduci posſint: multò verò longiora, quàm ut ſemel. *Hipp. lib. de fracturis.*

CXLVII.

Si verò ſuperna oſsis pars immutata fuerit ac confracta, ut vecti adhibendo locus non ſit commodus, ſed acutũ quid prominet, tunc oſſe ſcalpendo deraſo, ſecuram vecti ſedem facere oportet. Hanc autem per vectes commotionem & extenſionem eâdem die aut ſecundâ facere oportet: non autem tertiâ: minimè verò quartâ aut quintâ. Nam etiamſi non reponas, ſed aliàs moleſtiam exhibeas in his diebus, inflammationẽ induxeris: quantò magìs, ſi reponas. Convulſionem tamen multò magìs induxeris, ſi reponas, quàm ſi reponere omittas. Atq; hæc probè nôſſe convenit. Si enim reponenti convulſio acceſſerit, non multa ſalutis ſpes eſt. Commodum autem eſt, rurſus ejicere os à ſuâ ſede, ſi hoc fieri citra moleſtiam poſsit. *Hipp. lib. de fracturis.* *De ſuperna oſſis parte fractura.*

CXLIIX.

Optimum autẽ fuerit, ſi quis in magnâ civitate Medicum agit, ut lignum habeat præparatum, in quo omnes neceſsitates inſint, tùm ad omnes fracturas, tùm ad omnes articulorum repoſitiones, ex extenſione, ac vectium uſu. Satìs autem eſt, ſi lignum fuerit & longitudine, & latitudine, & craſsitudine tale, quales columnæ querneæ quadrangulæ fiunt. Poſtquàm autem ſufficienter extenderis, facilè jam eſt articulum reponere: elevatur enim in directum ſupra priſtinam ſedem. *Hipp. lib. de fracturis.* *De repoſitione articulorum.*

CXLIX.

De verticulis. Quibuscumque porrò verticula intrò obliquantur, aut ex casu, aut gravi aliquâ re illapsa, his nullum quidem verticulum exstat, plerumq; ita multum ab aliis. Si verò exstiterit multum, aut unum, aut plura, mortẽ inducunt, velut etiam anteà dictum. *Hipp. lib. de articulis.*

CL.

De cubitorum ossibus. Porrò, ex cubitu ossibus ubi non ambo fracta sunt, facilior curatio est, si supernum os sauciatum est, etiamsi crassius id existat: partim quòd sanum subtentum fundamenti loco ipsi est, partim quòd facilius occultari potest, nisi juxta manus junctura sauciari contigerit. Crassa enim est caro, quæ supernè innascitur. Inferum verò os excarne est, & non facilè occultari potest, & vehementiore extensione opus habet. Si verò hoc contritum non fuerit, sed alterum aliud, vilior extensio sufficit. At si ambo fracta fuerint, fortissimâ extensione opus habent. *Hipp. lib. de fracturis.*

CLI.

De dislocatione ossium. Et si suspicionẽ habeat, os non benè positum esse, intermedio tempore solvat; & ubi probè collocavit, rursus deliget. Corroboratur autem maximè os brachii in quadraginta diebus. Postquàm verò os excesserit, solvere oportet, & minùs comprimere, & paucioribus quoque linteis deligare. Cæterùm victum quendam exquisitiorem quàm priùs constituere oportet, & ad longius tempus. Ejus verò conjecturam facere oportet, ad tumoris, qui in summâ manu est, robur respi-

ſpiciendo. Inſuper autem & ad hæc animum advertere oportet, quòd brachium à naturâ ad externam partem incurvatum eſt, & diſtorqueri ſolet, ſi non benè curetur. *Hipp. lib. de fracturis.*

CLII.

De repoſitione luxationum & articulorum.

Quomodo igitur ſingulas luxationes reponere, & præſertim curare oportet, ſcriptum eſt: & quòd ſtatim reponere articulũ maximè confert, propter celeritatem inflammationis nervorum. Nam etiamſi elapſa ſtatim repoſita fuerint, ſimiliter tamẽ nervi diſtentionem facere ſolent, & ad tempus aliquod tùm extenſionem, quam facere ſolent, tùm influxionem impedire. Confert autẽ omnia hæc ſimiliter curare, & quę franguntur, & quæ diſparantur, & quæ luxantur. Omnia enim multis linteis, & ſpleniis, & cerato curare oportet, velut etiam alias fracturas. *Hipp. lib. de fracturis.*

CLIII.

Ferulæ deligationis conſervandæ cauſâ apponuntur.

Quòd ſi ad fracturam conferat, hac parte aliquas ferulas poni, breviores ipſas aliis eſſe oportet, ut ne perveniant ad oſſa præminentia, juxta manûs articulum. Periculum eſt enim ulcerationis, & denudationis nervorum. Oportet autem tertio quoq; die ferulis valdè leniter firmare; hoc cogitantes, quòd ferulæ deligationis conſervandæ gratiâ apponuntur, non autem compreſſionis gratiâ alligantur. Siquidem igitur probè noveris, quòd in prioribus deligationibus oſſa ſufficienter ſunt directa, & neq; pruritus infeſtent, neque ulla aliqua ulceratio ſuſpecta ſit; ita cum

ferulis deligatum ſinere oportet, donec viginti dies transgreſſus fuerit. In triginta enim diebus univerſis maximè ex toto cubiti oſſa corroborantur. Certum tamen nihil eſt: nam & natura à natura, & ætas ab ætate valdè differt. *Hipp. lib. de fracturis.*

CLIV.

Gravidis fluxiones ulcerum dolorosæ, malũ. Uterum jam geſtãtibus ex fervido ulcere fluxiones doloroſæ, malum. Hæmorrhois his peſſimum. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.*

CLV.

Sanatio luxationis articulorum. Atverò luxationis articulorum in pede, velut eas, quæ in manu fiunt, ſanabis. Qui verò cum tibiâ communionem habent, & ex nativitate elapſi ſunt, aut etiam in augmento luxati, eandem cum manu repoſitionem expetunt. Quicumque verò facto ſaltu ex ſupernis, calcaneo innitentes ſe firmârunt, ſic ut oſſa diſparata ſint, & venæ humores effuderint, & nervi contuſi ſint, ſi graviter hæc acciderint, periculum eſt, ne corruptione accedente per omnem vitam affligantur. Obtorta enim fiunt oſſa, nervi autem inter ſe communionem habent. *Hipp. lib. de articulis.*

CLVI.

De femore. Corroboratur autem femur in quinquaginta diebus. Inſuper verò & hoc conſiderare oportet, quòd femur gibboſum magis eſt ad externam partem, quàm ad internam, & magis ad interiorem, quàm poſterioré. In has itaque partes etiam diſtorquetur, ſi non probè curetur: & ſanè iisdem partibus etiam ipſe ſe-ipſo magis excarnis eſt,

est,ut neq; occultari possit in distortione. Si igitur hujusmodi quippiam suspectum habueris, machinari ea oportet, quæ in brachio distorto consuluimus. *Hipp.lib.de fracturis.*

CLVII.

Clavicula porrò fracta, siquidē penitùs caulatim hoc contigerit, curatu facilior est: si verò oblongè, difficiliùs sanatur; & contraria in his contingunt,aliter quàm quis putaverit. Namq; si penitùs caulatim fracta est,cogi magis poterit, ut ad naturam redeat: & si diligens cura adhibeatur, partem, quæ superior est, inferiorem fecerit figuris idoneis, & deligatione cōveniente; si verò perfectè non firmata fuerit, attamen supereminens ossis pars, non valdè acuta fit. At quorum os in longitudinem fractum fuerit, his similis ossibus avulsis calamitas contingit, de quibus anteà scriptum est. *Hipp.lib.de articulis.* *Curatio clavículæ fractæ.*

CLIIX.

Maxilla verò paucis jam perfectè luxata est. Os enim, quod à superiore maxilla prodit, cum eo osse subjugatū est, quod sub aurem annexum est,quodque capita infernæ maxillæ concludit, ac dirimit, cùm altero capite superius sit, altero inferius: & extremæ infernæ genæ partes ita se habent,ut altera ob longitudinem non facilè accessum admittat; altera verò cornix est,& supra jugale os excedit: simul autem & ambarum harum extremitatum nervosi tendines existunt, ex quibus musculi dependent, qui temporales ac manducatorii appellantur. Propterea autem ap- *De maxillæ luxatione.*

pellantur, & propterea moventur, eò quòd hinc dependent. Nam in edendo, & in loquendo, & in reliquo oris usu, superna quidē maxilla quiescit. *Hipp. lib. de articulis.*

CLIX.

Articuli cubiti gibbi repositio.

Cubiti porrò gibbi articulus ubi emotus aut luxatus est, ad costas, aut foràs, acutâ ipsius parte in brachii cavitate manente, extensione in directum factâ, id quod eminet retrorsum, & in obliquum, repellere oportet: ubi verò perfectè excidit, aut hàc, aut illàc, extensio, in qua brachium fractum deligatur, requiritur; ita enim incurva gibbi pars non impediet. Excidit autē maximè ad partem versùs costas. Correctiones verò facere oportet quàm plurimùm abducendo, & ut ne brachii caput cornicem contingat, sublimem circumducere ac inflectere, & non indirectum cogere, simul autem contraria in utramque partem detrudere, & in sedem compellere. *Hipp. lib. de articulis.*

CLX.

Humerorū repositio.

Operæ pretium verò est discere, quomodo frequenter excidentes humeros curare oporteat. Multi enim à certaminibus jam prohibiti sunt, ob hanc calamitatem, quum aliàs penitùs fuerint inculpabiles: multi etiam ad res bellicas inutiles fuerunt, & ob hanc calamitatem perierunt: sed & propterea res digna est, quæ discatur, quòd nullum noverim, qui rectè medeatur, sed alios ne aggredi quidē sciam, alios contrà, quàm conducit, & sentire, & facere. Multi etiam Medici

dici humeros luxatos usserunt, & juxta supernã humeri partem, & juxta interiorem, quâ parte caput brachii extuberat, & juxta posteriorem paululùm retro supernã partem. Hę igitur ustiones, siquidem sursum brachium excidisset, aut in anteriorem, aut posteriorem partem, rectè inustæ essent: nunc verò quum deorsum excidit, ejiciunt magìs hæ ustiones, quàm impediunt. A` superna etiam spatii amplitudine caput brachii excludunt. Verùm hæc urere oportet. Cutem sub alâ digitis apprehensam attrahere oportet, secundùm ipsam maximè rectitudinem, secundùm quam brachii caput excidit, deindè ita attractam cutem in ulteriorem partem perurere. Ferramentis autem talia urere oportet non crassis, neque valdè calvis, sed oblongis: citiùs enim penetrant, & manu firmatâ transigi possunt: pellucidis item his urere oportet, quò quàm celerrimè pro viribus penetrent. Nam crassa tardè penetrantia, latiores crustarum elapsiones faciunt, & periculum est, ne cicatrices rumpantur: & nihilo quidem deterius hoc esset, verùm turpius & ab arte alienius. *Hipp. lib. de articulis.*

CLXI.

De dislocatione ossis femoris.

At si os femoris, quod ad genu est, ulcere facto elapsum fuerit, & repositum permanserit, mortem adhuc violentiorem citiùs induxerit, quàm priùs relata; si verò repositum non fuerit, longè magìs periculosum est, quàm priora: sola tamen hæc salutis spes est. Eadem verò ratio est & de articulis circa gibbũ cubiti, & de cubito ac bra-

De dislocatione cubiti.

chio : quæcumque enim ex his luxata, ulcere facto, eminuerint, ea omnia si reposita fuerint, mortem inducunt; non reposita, spem salutis : claudicationem verò superstitibus. Lethaliores autem sunt superiores articuli, si reponantur: sed & si non reponantur, periculosiores iidem sunt : si verò alicui superioris articuli luxati, facto ulcere, emineant, hi &, si reponantur, celerrimâ mortem inducunt; &, si non reponantur, periculosiores sunt. *Hipp. lib. de articulis.*

CLXII.

De tibiæ ossibus luxatis.

At verò quibus tibiæ ossibus luxatis, ac ulcere inducto, articuli circa pedem penitùs eminẽt, sive intrò vergant, sive extrà, tales reponere non oportet, sed permittere, ut, quicumque velit, Medicus reponat. Illud enim clarè scire oportet, quòd homo morietur, si repositi permanserint. Sed & vita paucorum dierũ his continget : pauci enim ex ipsis septimum diem transgrediuntur; convulsio enim est, quæ ipsos occidit. Sed & cancerari contingit tibiam ac pedem. Hæc ita futura esse certò scire oportet. *Hippocr. lib. de articulis.*

CLXIII.

De corruptionibus ossium fractorum.

Quibus igitur fractis ossibus corruptiones statim fiunt & denigrationes, his abruptiones corporis celeres circum-circa fiunt, & decidentia citò decidunt, ut cùm ossa jam anteà remiserint emollita. Quibus verò, dum ossa sana sunt, denigrationes fiunt, carnes quidẽ etiam his citò moriuntur, ossa verò tardè abscedunt, quâ parte

ter-

termini sunt denigrationis, & ossis nudatio exstat. *Hipp. lib. de articulis.*

CLXIV.

Extensio ossis femoris fracti.

At verò si femoris os fractum fuerit, extensionem præ omnibus facere oportet, ita, ut ne defectuosius fiat. Amplior enim facta nil læserit. Neq; enim, si quis distantia ex vehementiâ extensionis ossa deligaverit, fieri poterit, ut deligatio ipsa teneat, ut ita distet; sed coëunt inter se ossa quàm citissimè, ut intendentes ipsa remiserunt. Crassissimæ enim ac fortissimæ quum sint hac parte carnes, deligationem superabunt, non ab ipsa superabuntur. Magnum enim dedecus est ac detrimentū, femur brevius efficere. Nam siquidem manus brevior fiat, & occultari poterit, & non est magnus error. At crus si brevius fiat, claudum hominem efficiet. Sanum enim crus longius est, & id redarguit. *Hipp. lib. de fracturis.*

CLXV.

De pede & ossibus ejus.

Pes & ossa ejus fracta, sana fiunt in viginti diebus perfectè omnia, exceptis his, quæ cum tibiæ ossibus communionem habent, & cum ipsa è directo. Conducit autem hoc tempore decumbere. At non tolerant contemnentes morbum; verùm priùs, quàm sani fiant, obambulant: & propterea plurimi non perfectè sanantur, sed dolor ipsos sæpè meritò commonefacit; totum enim corporis pondus pedes vehunt. Quum igitur nondum sani iter faciunt, articuli moti malè curantur, ideóque aliàs atque aliàs hi, qui ad tibiam sunt, dolent. Quę verò cum tibiæ ossibus communio-

nem habent & majora aliis sunt, & ubi hæc mota sunt, diuturniorem medelam requirunt. *Hipp. lib. de fracturis.*

CLXVI.

De alimento ossium. Ossium alimentũ ex confractione, naso bisquinque : maxilla & claviculæ, & costis duplicia, cubito triplicia : tibiæ & brachio quadruplicia, femori quintuplicia : & si quod in his plus aut minus potest. *Hipp. lib. de alimento.*

CLXVII.

De tibiæ ossis excessu. Quibus quidem circa malleolum tibiæ os excessit, his pedis quidem ossa minimè coaugescunt; hęc enim proximè ad vulnus sunt. Verùm tibiæ ossa augentur quidẽ non multò defectuosiùs, carnes tamen minuuntur. Quibus verò juxta malleolum manserit articulus secundùm naturam, juxta genu autem excesserit, his tibiæ os similiter coaugescere non solet, sed brevius fit; hoc enim proximè ad vulnus est : pedis autem ossa minuuntur quidem, sed non similiter, quia articulus circa pedẽ salvus est. *Hipp. lib. de articulis.*

CLXIIX.

De extensione tibiæ ossium. Postquàm verò ambo tibię ossa fracta fuerint, citra exulcerationem, extensione vehementiore opus habent. Extendere autem oportet quibusdam modis ex prædictis, si magnæ emotiones fuerint. Sufficiunt etiam à viris fientes extensiones; plerumq; enim suffecerint duo viri robusti, alter hinc, alter illinc distendentes. Intendere autem oportet indirectum, secundùm naturam, & secundùm rectitudinem tibiæ ac femoris, sive

tibiæ

tibiæ fractæ, sive femoris ossa extendentis. Sed & deligare sic oportet utriusque extentis. *Hipp. lib. de fracturis.*

CLXIX.

De calcaneo moderato altius formato.

Si verò calcaneum quidem moderato altius fuerit formatum, reliqua verò tibia aliquantulùm elevata, necesse est huic ossi, ut circa anteriorem tibiæ partem, moderato cavius appareat: atque hoc adhuc magìs, si calcaneum hominis naturâ fuerit magnum. Sed & omnia ossa tardiùs corroborantur, si non secundùm naturam posita fuerint; itemque ea, quæ non in eadem figura quiescunt: & calli quoque debiliores ipsis obducuntur. *Hipp. lib. de fracturis.*

CLXX.

De deligatione ulceris.

Secundùm ulceris rectitudinem, linteum injicere oportet, & premere paulùm minùs, quàm si ulcus non haberent. Distribuenda verò est deligatio, velut etiam priùs dictum est: Lintea autem semper quidem mollis modi sint, magìs tamen in talibus, quàm si ulcus non esset. Copia verò linteorum non minor sit priùs relatis, sed etiam aliquantò amplior: si verò deligatus fuerit, videatur is sibi lintea firmata quidè esse, non autem compressa; dicatque super ulcus maximè firmata esse. Eadem autem tempora esse oportet, ad hoc, ut magìs firmata esse videãtur, & ad hoc, ut magìs laxa videantur. Deligatio etiam posteà facienda per tertium diem, itaque, ut omnia posteà faciamus consimili modo. *Hippocr. lib. de fracturis.*

CLXXI. Qui-

CLXXI.

De ulceribus in utero. Quibus porrò ulcus factum fuerit in utero, sive ex partu, sive ex tuberculo, sive ex alia quadã causa, his febres & inguinum tumores succedere necesse est, & dolores in his locis. Si verò & puerperii purgamenta simul fuerint intercepta, hæc mala si fuerint, omninò meraciora sunt & diuturniora; & ad hæc præcordiorum ac capitis dolores. Ulcere autẽ facto & sanato, locum hunc leviorem ac duriorem fieri necesse est, & minùs concipere posse. Si verò solùm in sinistra parte fiat ulcus, & mulier in utero concipiat, sive dum adhuc habet ulcus, sive ubi jam sana est, masculum magis enixuram esse spes est: si verò in dextra parte ulcus fiat, & mulier concipiat, fœmineum magis fore fœtum exspectandum est. *Hipp. lib. 2. prædictionum.*

CLXXII.

Qualis purgatio in ulceribus uterorum. Quæ enim ulcerationes ab ipsis uteris sunt, purgationem exhibent purulentam & compactam; quæ verò non ab ipsis, tenuem & saniosam. Quum igitur tenues sunt fluxiones, cum pharmaco eas curare oportet, & dare, quod & sursum, & deorsum purget, &c. *Hipp. lib. 1. de morbis muliebribus.*

CLXXIII.

Uteri oculi exasperati curatio. Si verò ulcerati fuerint uteri, aut osculum exasperatum fuerit, aut ab aliquo subdititio commorsi fuerint, adipem in lana illinito, & rosaceum ac ceræ parum inungito. *Hippocr. lib. de sterilibus.*

CLXXIV. Ute-

CLXXIV.

Uteri, si vehementer exulcerati fuerint, sanguis & pus purgatur, & odor fit gravis: & quum dolor apprehenderit, velut à partûs dolore, fiunt ea, quæ circa fluxum contingere solent: & quum tempus affuerit, crura & pedes intumescunt. Et curant Medici hunc morbum velut hydropem: verùm hic talis non est. Hanc si curandam acceperis, primùm calidâ lavato, & calefacito & acribus ac mollibus & acerbis, & aquâ & vino colluito. Et polycarpon, & polycnemon, ac mel simul coquito; deindè lanam in his tingito, & pudenda illinito: & resinam, ac mel, & pinguedinem suillam illinito: & bibendum dato semen lini ac sesamum torrefactum, & butyrum, & caseum caprinum, & polentam in omnibus. Bibat autem in vino jejuna: ad vesperam verò plurimum mellis affundito. Et donec quidem sanguis purgetur, & dolores acuti habuerint, & modico tempore intermiserint, hoc facito. *Hipp. lib. 1. de morbis muliebribus.* *Uteri exulcerati curatio.*

CLXXV.

Si ulcus in uteris factum fuerit, ab affectione quâdam ex relatis, & non statim sanatum, sed impurum factum fuerit, permanet ulcus ad multum tempus; quemadmodum & id, quod in aure existit: & malè olet mulier; & quandoque sanies maleolens ipsi ex pudendo fluit: & quamdiù sanè ulcus habuerit, in ventre non concipit; non enim concipiunt uteri genituram. Huic autem menses sano modo procedunt. Verùm ex contactu, *Ulcus in utero impedit conceptionem.*

ctu, & interrogatione, maximè clarum fit de relatis. *Hipp. lib. de sterilibus.*

CLXXVI.

Medicamentum in inflammatione ulcerum acrium.

Si ulcera fuerint acria & inflammata, hac colluione utere. Adipem anseris & resinam misce, & aquâ tepidâ diluta infunde; aut butyrum melli admixtum liquefacito ac infunde: aut bryoniæ albæ conchæ testam parvam deradito, & myrrham ac mel similiter. Hæc in vino nigro odorato diluito, ac tepidum infundito. *Hipp. lib. 1. de morbis mulierum.*

CLXXVII.

Ad resectionem ulcerũ in utero, remedia.

Ad ulcera in utero resecanda. Argenti florem in vino terito ac infundito: aut butyrum cum melle infundito: aut bryoniam albam, & myrrham, & mel, vino diluta infundito: postridie verò vino nigro tepido eluito: aut lentisci folia in aqua coquito, & cum hac postea colluito. Si ulceratum fuerit os uterorum, butyrum, thus, myrrham, resinam, medullam cervinam infundito: aut lenticulam in aqua coquito, & cum excolata aqua colluito. *Hipp. lib. 1. de morbis mulierib.*

CLXXIX.

Effectus ulceratorum uterorum.

Si uteri fuerint ulcerati, sanguis & pus purgatur, & fœtor gravis oboritur: & dolor acutus corripit lumbos, & inguina, & in imum ventrem: & dolor sursum procedit ad laterũ mollitudinem, & ad costas, & ad scapulas; aliquando etiam ad claviculas pervenit: & mordetur, & caput vehementer dolet, & delirat. *Hipp. lib. 1. de morbis mulieb.*

CLXXIX. Si

CLXXIX.

Si ulcera in utero fuerint: oportet autem curam citò adhibere; nam ut quæ in tenero loco sunt, citò augescunt, & brevi putrescunt. Curare verò oportet ulcera, velut etiam ea, quæ in reliquo corpore sunt, nimirum ut inflammationem arceas, & repurges, & repleas, & ad cicatricem perducas. Danda est autem aqua in potum. Vinum minimè: cibos item paucos, ac minimè multos exhibeto. *Hipp. lib. 1. de morbis muliebribus.*

Inflammatio in ulceribus uterorum arcenda.

CLXXX.

Si tuberculum sub lingua, hypoglossis appellatum, fiat, lingua intumescit, & pars sub ipsa ac externa ad tactum dura est, & salivam deglutire non potest. Cùm sic habuerit, spongiam aquâ calidâ imbutam apponito, & hordeaceam farinam vino ac oleo coctam, foris, ubi tumor est, imponito, gargarisetur ficuum decoctum, & ne lavet. Postquàm autem purulentum factum fuerit, secato. Aliquando verò suâ sponte erumpit, & sedatur non sectum. Si verò foràs suppuraverit, perutito. *Hipp. lib. 2. de morbis.*

Hypoglossis signa.

Ejus curatio.

CLXXXI.

Equidem si vulnus fiat, manifestum est quòd caro dissecta est, & ulcus factum est. Hoc autem morbum esse dico. Si verò contusio fiat, homine percusso, aut lapso, aut aliud quid tale perpesso, & tumor oboriatur, sanguis statim præ violentiâ calefactus, & venis hiantibus illapsus, non habens exitum præ copiâ, quò abire possit, conglobatur: & propterea tumor fit, & tamdiù adest, donec

Vulnus quid indicet?

Contusio quid?

donec depurgatus fuerit, eo modo, quo de locis depurgari dictum est, aut etiam per ipsum tumorem, & sive per Chirurgiam, sive sine ea, sanguini transitus fiat, aut per tempus suppurato, aut non: sed & labor tale quid efficit. *Hipp. lib. 4. de morbis.*

CLXXXII.

Tumefactarum nariũ curatio. Si porrò intumuerint nares, & pituitâ plenæ fuerint, atq; eâ compactâ, oportet pituitam compactam ac congelatam attenuare aut fomentis, aut medicamento, & non avertere. Si enim fluxus aversus aliò procedet, omninò majorem morbum faciet. *Hipp. lib. de locis in homine.*

CLXXXIII.

De angina. Ab anginâ detento tumor & rubor in pectore superveniens, bonum: foràs enim morbus vergit. *Hipp. lib. 7. aph. 49.*

CLXXXIV.

Anginæ cõversio in pulmonem quid portendat? Quibus ex anginâ in pulmonem mali fit conversio, ii intra dies septem moriuntur; si verò hos effugerint, purulenti evadunt. *Hipp. lib. 5. aph. 10.*

CLXXXV.

Fistulæ quæ difficillimæ. Fistulæ difficillimæ sunt, quæ in cartilaginosis & excarnibus locis sunt, & cavæ sunt, & procedunt ac sanie manant semper, & caruncula in osculo ipsis inest. Curatu autem faciliores sunt, quæ in mollibus & carnosis, & non nervosis existunt. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.*

CLXXXVI.

De tumoribus juxta aures. Tumores juxta aurem in morbis longis pravi sunt: sanguinis fluxiones ac vertigines insuper

per apparentes, pernicioſæ. *Hipp. lib. prænotionum Coacâ.*

CLXXXVII.

Tumores circa aurem ex plurimis graveolentibus cum febre acutâ, & præcordio intento, tardiùs excitati, occidunt. Tumores circa aurem leniter ſideratis, mali. Tumores circa aurem in longis morbis non ſuppurantes, lethales. *Hipp. lib. prænotionum Coacâ.*

Tumores circa aurem quando lethales.

CLXXXVIII.

Tumor verò in præcordiis durus & doloroſus, peſſimus quidem eſt, ſi juxta omnes partes fuerit. Ex his autem, qui ab una parte ſunt, minùs periculoſus eſt, qui à ſiniſtris eſt. Significant autem in principio quidem tales, mortem citam; ſi verò viginti dies tranſmittant, febre manente, ſuppurationem. Contingit autem his in primo circuitu etiam ſanguinis eruptio è naribus, & valdè prodeſt: plerumque enim hi caput dolent, & viſus obſcuratur, & magis in his ſanguinis eruptionem affore exſpecta. In ætatibus autem annorum triginta-quinque: ſenioribus verò minùs. At verò molles & doloris exſortes tumores, diuturniores judicationes faciunt, & minùs periculoſi ſunt. Sed & hi ſexaginta dies transgredientes, febre manente, ſuppurantur. Conſimilia verò ſignificant & tumores circa ventrem his, qui ſunt in præcordiis; verùm minùs ſuppurantur hi, quàm illi. *Hipp. lib. prænotionum Coacâ.*

Tumor præcordiorum qui peſſimus.

CLXXXIX.

Quibus tuberculum eſt circa veſicam, quod

Quando solutio tuberculi circa vesicã fiat.

mingendi difficultatem inducit, ad omnis generis figuras vexantur: hujus autem solutio fit, pure erumpente. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.*

CXC.

De testibus & pudendis.

Testes & pudenda revulsa malum significant. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.*

CXCI.

De erysipelate.

Erysipelas si extrà diffusum intrò vertatur, malum: si verò intrà diffusum foràs vertatur, bonum. *Hipp. lib. 1. de morbis.*

CXCII.

Oculorum dolorum curatio.

Oculorum dolores meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut phlebotomia, aut purgatio solvit. *Hipp. lib. 6. aph. 31.*

CXCIII.

De humorũ ferocitate atq; impetu.

Impetus & ferocitas humorum, ubi non reciprocatio humorum est, velut florum, ducendus est quâ repit per convenientes ac commodas regiones, exceptis his, quorum maturitas tempore contingit. Maturationes extrà aut intrò repunt, aut aliò, quò oportet. Cautio, infinita magnitudo, experiendi difficultas, pilorum nuditas, viscerum vacuitas, infernis repletio, supernis alimentum, mutatio sursum, mutatio deorsum: spontanea sursum & deorsum, quæ prosunt & lædunt: cognata species, regio, mos, ætas, tempus, constitutio morbi, excessus, defectus. *Hipp. lib. de humoribus.*

CXCIV.

Tuberculi in meatu urinario solutio.

Quibus in meatu urinario nascitur tuberculũ, suppurato eo & rupto, solutio. *Hipp. lib. 4. aph. 82.*

CXCV. Si

CXCV.

Si quis sanguinem aut pus mejat, renum aut vesicæ exulceratio significatur. *Hipp. lib. 4. aph. 75.* *Exulcerationis renū ac vesicæ signa.*

CXCVI.

Qui ab aliqua corporis parte dolentes, ferè dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat. *Hipp. lib. 2. aph. 6.* *Mens ægrota quibus sit.*

CXCVII.

Quę à morbis post crisin relinquuntur, recidivos morbos facere cōsueverunt. *Hipp. lib. 2. aph. 12.* *De morbis recidivis.*

CXCIIX.

Renum & vesicæ vitia in senibus difficulter curantur. *Hipp. lib. 6. aph. 6.* *De renum ac vesicæ vitiis.*

CXCIX.

A' tuberculi introrsum eruptione exsolutio, vomitio, & animi defectio fit. *Hipp. lib. 7. aph. 8.* *De tuberculo.*

CC.

Si quis sanguinem, aut pus, squamulas mejat, & gravis odor adsit, vesicæ exulceratio significatur. *Hipp. lib. 4. aph. 81.* *Vesica exulcerationis signa.*

CCI.

Si quis sanguinem aut grumos mejat, aut urinam guttatim emittat, dolore ad hypogastrium & pectinem & perineum pertinente, ad vesicam loca laborant. *Hipp. lib. 4. aph. 80.* *Grumi in urina quid significent?*

CCII.

Quibus in urinâ subsident sabulosa, iis vesica calculo laborat. *Hipp. lib. 4. aph. 79.* *Calculi signa.*

CCIII.

Si in magnis vulneribus & pravis tumor non appareat, ingens malum. *Hipp. lib. 5. aph. 66.* *De magnis vulneribus.*

CCIV.

Quid indicet mictus noctu plurimus.

Mictus noctu plurimus, parvam dejectionem significat. *Hipp. lib. 4. aph. 83.*

CCV.

Tumores conspicui cũ ulceribus quid significent.

Quibus sunt cum ulceribus tumores conspicui cui, ii non admodùm cõvelluntur, aut insaniunt: quibus verò repentè evanuerint, siquidem posticâ parte factum sit, convulsiones & tetani accidunt: si verò à fronte, insania, lateris dolor acutus, empyema & dysenteria, si rubicundi fuerint tumores. *Hipp. lib. 5. aph. 65.*

CCVI.

Sanguinis profluvium quando malum.

A' sanguinis profluvio desipientia, aut etiam convulsio, malum. *Hipp. lib. 7. aph. 9.*

CCVII.

Lactis non puri indicationes.

Si quid sanè in lacte non purum fuerit, id, quo vesica fruitur, lapis fit tali modo, velut in aquâ non purâ, in calice aut vase æneo turbatâ, & rursus sedatâ, fex acervata fit in medio. Sic sanè & in vesicâ de urinâ non purâ existente: & non per urinam ejicitur, ut quæ in cavo fit loco, & maximè acervata fiens, prę dolore permictionem non pertranſit, & à pituitâ crudâ concrescit. Glutinum enim fit pituita ad fecem ammixta: & primùm parva lanugo superstat; deindè quod accedit, arenosum fit, glutino fiente pituita, quæ est in vesica de lacte, & augetur, & quicquid humoris in glutinatione accesserit, emingitur. Rursus autem fex solida fit, & lapidis speciem accipit: quemadmodum ferrum ex lapidibus ac terrâ, dum comburuntur, fit, & in primâ quidem in

ignem

ignem immissione, conglutinati sunt lapides cum terrâ ad ferri recrementum. *Hippocr. lib. 4. de morbis.*

CCIIX.

Tubercula extrà extuberantia, & acuta, & fastigiata, & æqualiter matureſcentia, & non obdura, & deorsum vergentia, & non bifida, meliora: contraria verò, mala: & quantò plus contraria, peſsima. *Hipp. lib. 6. de morbis popularibus.* *Tubercula extuberantia quæ meliora.*

CCIX.

Tubercula, quæ enaſcuntur, omnia à pituita aut ſanguine naſcuntur, quum ſanè à vulnere, aut caſu fuerint collecta. Conducit autem horum aliqua cataplaſmatis integere; & per pharmaca in potu data diffundere: aliqua verò impoſitis cataplaſmatis maturare, & diffundunt quidem cataplaſmata, quæ quum calida ſint, humectant, & non in ſe-ipſo trahunt: maturant autem, quæ calefacientia contrahunt. Quum verò aliquod ſectum fuerit, aut ſuâ ſponte ruptum, pharmaco humorem repurgare convenit; ubi autem pus effluere deſinerit, velut ulcus ſanare. *Hipp. lib. de affectionibus.* *Tubercula unde naſcantur?*

CCX.

Quibus verò tibiæ os, fracto ulcere, circa genu eminuerit foràs, ſive ad externam partem, ſive ad internâ, his, ſi quis reponat, adhuc promptior mors adeſt, quàm aliis, etiam ſi etiam illis prompta aderat: ſi verò amiſſâ repoſitione medearis, ſpes quidem ſalutis hoc ſolo modo exiſtit; verùm periculoſiora hæc oſſa ſunt, quantò ſupe- *Repoſitio tibiæ oſſis fracti quando lethalis.*

riora ac robuſtiora ſunt, & à fortioribus elapſa. *Hipp. lib. de articulis.*

CCXI.

Inflammationis ad palatum curatio.

Si inflammatio conſtiterit ad palatum, intumeſcit & ſuppuratur. Quum ſic habuerit, tuberculum inurito: ubi verò exierit pus, reliquum eluito, primùm nitro & aquâ calidâ; deindè vino: poſtquàm autem elueris, uvam paſſam albam exemtis vinaceis tritam, in ulturæ locum indito, & ubi exciderit, vino meraco tepido colluat; & ubi edere quid aut ſorbere valet, ſpongiam indat: atque hæc faciat, donec ſanus fiat. *Hipp. lib. 2. de morbis.*

CCXII.

Uva in faucibus curatio.

Si uva morbus in faucibus fiat, ſumma gurgulionis pars aquâ impletur, & rotunda fit ac pellucida, & ſpirationem intercipit: & ſi maxillæ ab utraque parte inflammatæ fuerint, ſuffocatur: ſi verò ipſe morbus per ſe conſiſtat, maxillis non inflammatis, minùs moritur: quum ſic habuerit, gurgulionem digito apprehenſum ſurſum ad palatum apprimito; & ſummam ipſius partem præſecato: poſteà foliorum hortenſium condimentariorum decoctum gargariſandum dato, & farinam frigidam delingendam, aquamque inſuper bibendum: & ne lavet. *Hipp. lib. 2. de morbis.*

CCXIII.

Signa tonſillarum.

Si tonſillæ fiant, intumeſcunt ſub maxillis ab utraque parte, & ad contactum foris durum eſt tuberculum, & gurgulio totus inflammatus eſt.

Quum

Quum sic habuerit, immisso digito tonsillas protrudito, ad gurgulionem autem florem æris siccum illinito: & foliorum condimentariorum hortensium decoctum, velut à Sole calidum gargarisandum dato: foris quâ parte tumor est, hordeaceam farinam in vino ac oleo coctam calidam pro cataplasmate apponito: postquàm verò tubercula mollia esse tibi visa fuerint intrinsecùs ad contactum, scalpello ipsa pertundito: quędam etiam suâ sponte sedantur. *Hipp. lib. 2. de morbis.*

CCXIV.

Principium suppurationis considerandum.

Considerare verò futuræ suppurationis principium oportet, suppuratione factâ ab eâ die, quâ primùm homo febricitavit, aut si fortè ipsum primùm rigor apprehendit: & si pro dolore gravitatem sibi factam esse dixerit in eo loco, in quo dolebat: hæc enim in principiis suppurationum fiunt. Ex his igitur temporibus eruptionem suppurationum fore expectare oportet ad prædicta tempora. *Hipp. lib. prænotionum Coacæ.*

CCXV.

Causa doloris.

Dum pus fit, dolores ac febres accidunt magis, quàm confecto. *Hipp. lib. 2. aph. 47.*

CCXVI.

De erysipelate.

Erysipelas foris intrò converti, malum: intùs verò foràs existere, bonum. *Hipp. lib. 6. aph. 25.*

CCXVII.

Ab erysipelate putredo, aut suppuratio, malum. *Hipp. lib. 6. aph. 20.*

CCXIIX.

De cibo & potu.

Hoc argumento constat, si homo parum edit,

& parum bibit, nullum morbum habere. *Hipp. lib. de morbis.*

CCXIX.

De podagra. Qui podagrici morbi fiunt, sedatâ inflammatione intra dies quadraginta conquiescunt. *Hipp. lib. 6. aph. 49.*

CCXX.

Circa initia & finem morborum remissiora sunt omnia, in rigore vehementiora. *Hipp. lib. 2. aph. 30.*

CCXXI.

Adventantis dentitionis tempore signa. Adventante dentitionis tempore gingivarum pruritus, febres, convulsiones, alvi profluvia, maximè quum caninos edunt, & iis præsertim, qui crassissimi sunt, & qui alvo sunt durâ. *Hipp. lib. 6. aph. 3.*

CCXXII.

De hæmorrhoidibus. Diuturnas curâri hæmorrhoidas, nisi una quæpiam servetur, periculum aquæ inter cutem vel tabis impendet. *Hipp. lib. 6. aph. 12.*

CCXXIII.

Frigidum ossibus inimicum. Frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, dorsali medullæ: calidum verò amicum. *Hipp. lib. 5. aph. 18.*

CCXXIV.

Perfrigerata excalefaciendа. Quæ perfrigerata sunt excalefacere oportet, præter ea, quæ sanguinem profundunt, aut brevi sunt profusura. *Hipp. lib. 5. aph. 19.*

CCXXV.

Frigidum ulceribus mordax. Frigidum ulceribus mordax, cutem obdurat, dolorem insuperabilem facit, nigrorem inducit, rigo-

rigores febriles, convulsiones, & tetanos creat. *Hipp.lib.5.aph.20.*

CCXXVI.

Aquâ inter cutem laborantibus exortâ in corpore ulcera non facilè sanantur. *Hipp.lib.6.aph.8.*

CCXXVII.

Circũ glabra ulcera, maligna. *Hipp.lib.6.aph.4.* *De glabroriũ ulceribus.*

CCXXVIII.

Ex bubone febres omnes malæ, præter ephemeras. *Hipp.lib.4.aph.55.* *De bubone.*

CCXXIX.

Qui à plenitudine morbi fiunt, vacuatione curantur: & qui ab inanitione proficiscuntur, sanantur plenitudine: ceterorumq; contraria sunt remedia. *Hipp.lib.2.aph.22.* *De remediis contrariis.*

CCXXX.

A' forti in ulceribus pulsu hæmorrhagia, malum. *Hipp.lib.7.aph.21.* *De hæmorrhagia in vulneribus.*

CCXXXI.

Si in nare polypus nascatur; quæ res ex naso in obliquum per respirationem diffluatur, ac intumescit; eximitur laqueo ex naso ad os distracțus. Aliqui etiam pharmacis erodunt. Nascitur autem pituita. Atque hi quidem sunt morbi, qui à capite oriuntur; exceptis oculorum morbis, de quibus privatim agemus. *Hipp.lib.de affectionibus.* *De polypo.*

CCXXXII.

Venarum pulsationes, & respiratio spiritûs, juxta ætatem, & consonantia & dissonantia sunt, & morbi & sanitatis signa, & sanitatis magis quàm morbi, & morbi magis quàm sanitatis. *De venarũ pulsationibus.*

Alimento enim etiam ſpiritus eſt, humidum alimentum magis facilè transmutatur quàm ſiccum : ſiccum alimentum faciliùs transmutatur quàm humidum. *Hipp. lib. de alimento.*

CCXXXIII.

Nudatio oſſis. Ab oſsis nudatione eryſipelas. *Hipp. lib. 7. aph. 19.*

CCXXXIV.

Sphaceliſmus. A' ſphaceliſmo oſsis abſceſſus. *Hippocr. lib. 7. aph. 77.*

CCXXXV.

De oſſe, cartilagine, nervisq; ſectis. Sive os, ſive cartilago, ſive nervus ſectus fuerit in corpore, neque augetur, neque coaleſcit. *Hipp. lib. 7. aph. 28.*

CCXXXVI.

Cerebrum concuſſum quid indicet? Quibus occaſione aliquâ cerebrum fuerit vehementer concuſſum, mutos protinùs fieri eſt neceſſe. *Hipp. lib. 7. aph. 58.*

CCXXXVII.

Tuberculi in meatu urinario ſolutio. Quibus in meatu urinario generatur tuberculum, ubi ſuppuraverit & eruperit, doloris fit ſolutio. *Hipp. lib. 7. aph. 57.*

CCXXXIIX.

Oſſe ſecto quid fiat? Perſectum os, aut cartilago, aut nervus, aut genæ tenuis particula, aut præputium, neque augetur, neque coaleſcit. *Hipp. lib. 6. aph. 19.*

CCXXXIX.

Quæ pertuſiones lethales. Pertusâ perſectâve veſica, cerebro, corde, ſepto transverſo, tenui quopiam inteſtino, jecore, lethale eſt. *Hipp. lib. 6. aph. 18.*

CCXL.

Quid ſolvat ſtranguriã & dyſuriã. Stranguriam & dyſuriam thorexis & venæ ſectio

sectio solvit: incidendæ autem interiores. *Hipp. lib.7.aph.48.*

CCXLI.

Quibus à stranguriâ ileus supervenerit, intra septem dies moriuntur, nisi febre superveniente copiosa urina fluxerit. *Hipp.lib.6.aph.44.*

Ileus in stranguria quid significet?

CCXLII.

Qui tetano corripiuntur, intra quatuor dies intereunt; si verò hos supervenerint, incolumes evadunt. *Hipp.lib.5.aph.6.*

Tetanus quid portendat?

CCXLIII.

Quibus longa tubercula, aut labores in articulis à febre fiunt, hi copiosiore cibo utuntur. *Hipp.lib.7.aph.64.*

CCXLIV.

Convulsio à vulnere pernicioſa. *Hippocr.lib.5. aph.2.*

CCXLV.

Medicamentum ad conceptum. Cedriæ acceptabulum, adipis bubuli ʒ iiij. simul terito, & talorum figuras efformato, quas jejuna apponat, & dum appositas habet, per diem jejuner. Apponat autem bis, manè & vesperi, post menses, post cœnam verò lavet, & cum viro dormiat. Aut melanthium contundito, & in linteum illigato, & adipe anserino addito, subdendum dato. *Hipp.lib. de morbis.*

Medicamentum pro conceptu.

CCXLVI.

Hæmorrhoidum morbus hoc modo fit. Quum bilis aut pituita ad venas recti intestini decubuerit, sanguinem, qui in venis est calefacit. Calescentes

Morbus hæmorrhoidū quomodo fiat.

tes autem venæ ex vicinis venulis ſanguinem attrahunt, & ubi repletur, interna ſedis pars intumeſcit, & capita venarum ſupereminent: & partim dum à ſtercore exeunte comprimuntur, partim dum à coacervato ſanguine coguntur, ſanguinem ejaculantur: atque hoc maximè quidem unà cum ſtercore, aliquando verò etiam ſine ſtercore. Curare autem oportet hoc modo. Primùm equidem nôſſe oportet, in quo loco ſint hæmorrhoides. Rectum enim inteſtinum & ſecans, & reſecans, & conſuens, & urens, & putrefaciens, etiamſi graviſsima hæc eſſe videantur, nihil læſeris. Jubeo autem præparari ferramenta ſeptem aut octo, magnitudine palmi, craſsitudine ſpecilli craſsi, ex ſummâ parte reflexa ac lata, velut in obolo parvo: & ubi priore die purgatorio medicamento purgâſti, eâ quâ rem aggrederis urito, & homine ſupino reclinato, & pulvinari ſub lumbos ſubjecto, ſedem quàm maximè per digitos foràs extrahito: ferramentaque candentia facito, ac urito, donec reſiccaveris, & hoc ita, ut ne contingas, urere enim oportet: & nullam hæmorrhoidem ſine uſtione ſinere: ſed omnes exurere. *Hipp. lib. de hæmorrhoid.*

CCXLVII.

De oculorũ vitiis. Oculi corrupti ſpontè quidem cærulei fientes, derepentè tales fiunt: & ubi facta fuerint, non eſt talium ſanatio. Qui verò maris ſpeciem referunt, paulatim per multum tempus procedendo corrumpuntur: & ſæpè alter oculus in multo tempore poſteà corruptus eſt: hujus caput purgare

gare oportet, & venas urere: & si quis ab initio curatus fuerit hoc modo, malum sedatur, & in deterius non procedit. At qui colorem inter cæruleum ac marinum medium referunt, siquidem puero tales fiant, ubi senior fit, sedantur. Si verò seniori septimum annum egresso fiant, meliùs videt magna valdè & splendida: & videt quidem procul, sed non clarè: & si quid valdè ad oculum admoverit, etiam hoc videt, aliud autem nihil. *Hipp. lib. de visu.* *De eorum curatione.*

CCXLIIX.

Arteria ex utraque faucium parte exortum faciens, in summitatem pulmonis desinit, circulis composita consimilibus rotundis, in superficie se mutuò contingentibus: ipse autem pulmo testudinem coadimplet, in sinistrâ conversus, quinq; apices habens, quos lobos & summitates vocat, cinereo colore præditus, notis cavernosis compunctus, naturâq; antrorsus existens. Ad mediũ verò ipsius cor situm est, rotundius ac oblongius, quàm in omnibus animalibus. A corde verò ad hepar multa cartilaginosa arteria procedit, & cum ipsa Vena magna appellata, per quam totum corpus nutritur. *Hipp. lib. de corporũ resectione.* *Arteria.*

CCXLIX.

Hepar autem similitudinem quidem cum omnibus aliis habet, verùm sanguinolẽtius quàm aliàs existit, apices habens duos, quos portas appellant, in dextris locis sitas: ab hoc verò obliqua vena infernè ad renes tendit. *Hipp. lib. de corporum resectione.* *Hepar.*

CCL.

Renes. Renes autẽ consimiles colore, malorum speciem præ se ferunt. Ab his canales obliqui ac fermè triangulares in summum vesicæ apicem tendunt. *Hipp. lib. de corporum resectione.*

CCLI.

Vesica. Vesica autẽ tota nervosa est, magnaq; ac latè se extendens capacitas intra eam à natura disposita est. Et has sex partes intùs per mediũ corpus natura disposuit. *Hipp. lib. de corporum resectione.*

CCLII.

Gula. Gula autem à linguâ principium faciens, in ventrem desinit, quam sanè Græci etiam œsophagum, & stomachum, i.e. os ventris, significanter appellant. *Hipp. lib. de corporum resectione.*

CCLIII.

Spina. *Septũ transversum.* *Lien.* Cæterùm à spinâ retro hepar, septum transversum productum est: ex latere verò notho, sinistro videlicet, lien initio sumpto extentus est ad humani vestigii similitudinem. *Hipp. lib. de corporum resectione.*

CCLIV.

Venter. Venter autem hepati adjacens juxta sinistram partem, totus quidem est nervosus: à ventre verò exstat intestinum ventri consimile, longum cubitorum non minùs duodecim, pampino formiter in sinibus involutum, quod aliqui colum vocant, per quod alimenti delatio contingit. *Hipp. lib. de corporum resectione.*

Colum.

CCLV.

Princeps intestinum posiremum. A colo autem situm est rectum ac princeps inte-

inteſtinum poſtremum, carnem copioſam habens, & in ſummum anum deſinens. Reliqua porrò natura ipſa ordinavit ac diſpoſuit. *Hipp. lib. de corporum reſectione.*

CCLVI.

Hepatis quinq; extremitates.

Hepatis extremitates quinq; ſunt, ſuper quartâ autem extremitate fel incumbit, quod oſculum ad ſeptum transverſum, & cor ad pulmonem profert. *Hipp. lib. de oſſium naturâ.*

Fel. Cor.

CCLVII.

Nervi.

Nervorum exortus ab occipitio uſque ad ſpinam, ad coxendicem, in pudenda, in femora, pedes, tibias, in manus: alii in brachia, partim in carnes, partim ad fibulam, in magnum digitum, partim ex carnibus in alios digitos: alii ad ſcapulas, pectus, ventrem, oſſa, ligamenta: à pudendo verò ad princeps inteſtinum ac podicem, acetabula coxarum, partim ſupra femur, partim infrà ad genua: indè alius ad genu extentus ad tendinem, pernam, pedes, alius ad fibulam, alius in renes. *Hipp. lib. de oſſium naturâ.*

CCLIIX.

Oſſa manûs, pedis, &c. quot?

Oſſa manûs viginti-ſeptem ſunt; pedis viginti-quatuor: colli uſque ad magnum verticulum ſeptem; lumbi quinque; ſpinæ viginti; capitis unà cum oculorum oſsibus octo: in univerſum nonaginta-unum; cum unguibus verò centum ac undecim. Ceterùm, ut nos ipſi ex hominis oſſibus didicimus, verticula ſupra claviculam unà cum magno ſeptem ſunt: juxta coſtas autem tot,

quot

quot coſtæ ſunt, duodecim videlicet. *Hipp. lib. de oſſium naturâ.*

CCLIX.

Venæ craſſiſſimæ. Craſsiſsimæ porrò venæ in hunc modum ſe habent, quatuor paria ſunt in corpore; & aliquæ quidem ex ipſis, à capite retrò per cervicem foris juxta ſpinam ab utraq; parte ad coxendices perveniunt, & ad crura, deindè per tibias ad malleolorum partes externas, ac in pedes procedunt. Oportet igitur venæ ſectiones in doloribus in dorſo, ac in coxendicibus, à poplitibus facere, & à malleolis forinſecùs. *Hipp. lib. de oſſium naturâ.*

CCLX.

Sphagitides. Alteræ verò venæ ex capite juxta aures per cervicem, ſphagitides, i. e. jugulares appellatæ, intrinſecùs juxta ſpinam, ab utraque parte juxta lumbos procedunt in teſtes, in femora, & per poplites ab internâ parte, deindè per tibias ad malleolos intrinſecùs, & ad pedes. Oportet igitur venæ ſectiones facere ad dolores lumborum ac teſtium, à poplitibus ac malleolis intrinſecùs. *Hipp. lib. de oſſium naturâ.*

CCLXI.

Tertiæ venæ. Tertiæ venæ ex temporibus per cervicem in ſcapulas procedunt, deindè in pulmonem deferuntur, & perveniunt altera quidem à dextris in ſiniſtras ſub mammâm, in ſplenem & renem; altera verò à ſiniſtris in dextras ex pulmone ſub mammam in hepar & in renem; deſinunt autem ambæ hæ in inteſtinum rectum ad podicem. *Hipp. lib. de oſſium naturâ.*

CCLXII. Quæ-

CCLXII.

Quartæ autem venæ ab anteriore capitis parte ac oculis, ſub cervicem & ſub claviculas procedunt: deindè à brachiis ſupernè ſub curvaturas: poſteà per cubitos, ad manuum juncturas ac digitos: poſteà rurſus à digitis, per manuum pectora, h.e. volas, & per cubitos in curvaturas, & per brachiorum infernam partem ad alas, & ex coſtis ſupernè, altera quidem in ſplenem procedit, altera in hepar, deindè ſupra ventrem ambæ in pudendum deſinunt: & craſſæ quidem venæ hoc modo ſe habent. *Hipp. lib. de oſſium naturâ.* *Quartæ venæ.*

CCLXIII.

Inteſtina craſſa homo majora quàm canis habet: dependent autem ex meſenteriis membrana, quæ meſocolon hac parte vocatur. Meſocolon autem ex nervis de ſpinâ ſub ventrem, renes ex nervis de ſpinâ arteriæ, fons cognatus cor eſt. Vena tendit per ſeptũ transverſum, hepar, ſplenem, renes, ad coxendicem, circa ſuram ad ſummum pedem: altera autem ex corde ſub alas claviculas, jugula, caput, naſum, frontem, juxta aures, humeros, dorſum, pectus, ventrem per cubitum; aliæ verò per alias ad cubitum ad ſummam manum. *Hipp. lib. de oſſium naturâ.* *Inteſtina craſſa homo habet, canibus majora.* *Meſocolon.*

CCLXIV.

Quandoq; verò etiam gratis cures, ira ut gratitudinis memoriam potiorem, quàm præſentem exiſtimationem auferas. Si verò occaſio ferendæ opis ſe obtulerit, & peregrino, & egeno, maximè talibus opituleris: ſi enim affuerit erga homines Clauſula. *Medicus peregrinis & egenis maximè opituletur.*

Ratio. amor, adeſt etiam amor erga artem : quidã enim ægrotantes, ubi perceperunt, affectionem circa ſe non eſſe in tuto, per Medici probitatem ac manſuetudinem gloriantur, ſanitati reſtitutos ſe eſſe. Laudabile eſt autem, ægrotum quidem curam gerere, gratiâ ſanitatis: ſanorum verò curam ſuſcipere, eâ gratiâ ut ſine morbis degant. Sed & ſanorum cura habenda eſt, gratiâ boni ac decori ornatûs. *Hipp. lib. præceptionum.*

Sententiarum finis.

ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ:
SIVE,
RATIO DIGNOSCENDARUM MORBORUM MALE AFFECTARUM, ET AFFECTUUM PRÆTER NATURAM.

Auctore
JACOBO ALBERTO,
Medico Physico, Vindonensi.

Anno
M DC XXXII.

PRÆFATIO.

NIHIL mirari oportet, si pro sedibus malè affectis dignoscendis Galenus plura tribuerit signa, quàm pro ipsis affectibus contra naturam; quandoquidem pauci sunt hujusmodi affectus humani corporis, qui non simul sedem malè affectam significent. Sedium autem malè affectarum signa quinque, affectuum verò duntaxat quatuor ipse statuit, lib. de locis affect. 1. Atq; sedium malè affectarum primum signum à functione læsa, secundum ab excrementis, tertium à situ, quartum à doloris proprietate, quintum à propriis accidentibus depromitur. Primum verò affectuum præter naturam ab excrementorum specie, secundum à naturâ loci, tertium à doloris proprietate, quartum & ultimum à propriis accidentibus sumitur. Quæ omnia non singulis sedibus malè affectis, nec earum affectibus præter naturam conveniunt, sed ea duntaxat & præcipuè, quæ propria sunt, & inseparabilia. Etenim signorum insalubrium, tùm partium malè affectarum, tùm ipsorum affectuum quædam communia, & quædam propria sunt. Eis omnibus signis, quæ à Galeno nobis tradita sunt, & præsertim propriis accidentibus partium malè affectarum, & affectuum primas & secundas sensiles qualitates, atq; etiam juvantia & lædentia addere non dubitavimus, peritorum Medicorum nostri temporis judicio, ut ipsæ sedes malè affectæ, & earum affectus præter naturam magis magisq; nobis innotescerent. Primæ au-

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA FAC. MEDICINA

tem qualitates naturalium corporum, ad hujusmodi dignoſcendas ſedes malè affectas & earum affectus non parvam vim habent, quandoquidem tactum hominis afficiunt. Ipſæ autem ſunt, calor, frigus, humiditas & ſiccitas, quarum calor & frigus magis agunt, quàm patiantur; contrà humiditas & ſiccitas magis perpetiuntur, quàm agant. Secundæ verò qualitates, quæ protinùs primas & tactrices ſequuntur, ad diſcernendas partes affectas, & earum affectus non parum etiam conferunt, quoniam reliquos omnes alios ſenſus noſtros, quibus primum quoque ſenſile cognoſcimus, movere ſolent. Ipſæ autem ſecundæ qualitates ſunt, color, odor, ſapor, & ſonus, quarum color aſpectum, odor olfactum, ſapor guſtatum, & ſonus auditum noſtrum afficit.

ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ, SEU RATIO DIGNOSCENDARUM SEDIUM MALE AFFECTARUM, & AFFECTUUM PRÆTER NATURAM.

CAPUT I.

Ab actione læsa membrum malè affectum cognosci.

EX Signis, quibus quælibet corporis humani pars malè affici dicitur, ab ejus actione læsâ primum depromi Galenus vult; quoniam certissimum illud est, nec Medicum unquàm fallit. At corporis humani functio trifariàm lædi potest, nempè aut cùm non omninò fit, aut depravatè, aut imbecilliter: quæ tria symptomatum genera in oculo malè affecto conspicua sunt. Oculus enim, qui malè afficitur, aut omninò non videt, aut malè: h.e. debiliter, aut depravatè. Sic ani sphincter paralysi laborare dicitur, si invita fit alvi dejectio. Idem de sphincter vesicæ existimare licet, si præter voluntatem urina redditur. Etenim uterque musculus duplici facultate præditus est, nempè animali &

Actio læsa.

Functio tripliciter laditur.

Ani paralysis quomodo cognoscatur?

Membra respirationis quæ?

naturali. Sic membra respirationi servientia tùm malè affici dicimus, cùm vox, aut respiratio læditur. Ipsa autem membra sunt, thoracis musculi, septum transversum, octo musculi epigastrii, pulmo, & trachea arteria. Ac atrophia, h.e. totius corporis macies, nutritionis organa malè affici significat. Hæc autem sunt, ventriculus, mesaræum, intestina, jecur, lien & venæ omnes: quorum omnium singula tùm valere existimamus, cùm probè suo munere funguntur. Quare, suppressis alvi excrementis, vel musculus aliquis epigastrii, vel intestinum aliquod, vel denique septum transversum malè afficitur.

Atrophia quid indicet?

Nutritionis organa quæ?

Excrementa suppressa quid denotent?

CAP. II.

Ab excrementis sedes affectas, & affectus deprehendi.

EXCREMENTA non solùm ipsa membra, è quibus dejiciuntur, sed etiam affectus præter naturam significant. Excrementorum nomine ea intelliguntur, quæ tùm ipsarum sedium essentia sunt, tùm etiam aliena, atque tandem alia quæcunque præter naturam ipsis sedibus malè affectis continentur. In primo quidem genere parva cartilago est, quæ tussi dejectâ arguit exulceratum pulmonem, atque vi extrusitur, ac præsertim si sanguis multus cum pulmonis particulâ excernitur. Si verò magna cartilago fuerit, & cum exiguis magnisque vasis ejiciatur, tracheæ arteriæ erosionem significat. Tunica quoque, undecunque excernitur, semper ibi ulcus

Excrementorum nomine quid intelligatur?

Parva cartilago, tussi dejectâ, quid indicet?

Magna cartilago.

Tunica quid præmuntiet?

cus adeſſe prænuntiat. Hæc autem, ſi craſſa lentaque extuſsitur, epiglottidis, aut laryngis eroſionem innuit. Si verò lenta & tenuis, ulcus tracheæ arteriæ ſignificat. Item, quæ vomitu ejicitur, ventriculum, aut œſophagum eroſum arguit. Quæ verò per alvum magno tormine & cruciatu vacuatur, craſſorum inteſtinorum ulcus ex dyſenteriâ probat, & præſertim ſi craſſa fuerit. Sin tenuis apparuerit, & cum acri dolore ſuperioris ventris excernatur, tenuium inteſtinorum aliquod exulcerari ſignificat. Quin etiam ſi in urinæ hypoſtaſi tunica quædam videtur, ulcus alicujus renis denuntiat: *reſte Hippocrate in aphor. 76. ſect. 4.* Quibus (inquit) cum urina craſſa exiguæ carunculæ, aut veluti pili exeunt, iis iſthæc à renibus excernuntur. Ramenta etiam, quæ ab ulceribus dejiciuntur, oſsis cariem oſtendunt. Cranio quoque fracto, ſi fungus apparet, craſſam menyngem cerebri vulneratam eſſe ſignificat. Si item ex vulnere ventri inflicto aliquod inteſtinum, aut jecoris lobus aliquis exit, vulneratum peritonæum eſſe certò conjicere oportet. Præterea abortus uterum malè affici, & acetabula mucore repleri ſignificat, quemadmodum nos docet Hippocrates *aph. 45. ſect. 5.* Quæ mediocriter corpulentæ abortũ faciunt ſecundo menſe, aut tertio ſine occaſione manifeſtâ, iis cotyledones lentoris plenæ ſunt, nec præ pondere fœtum continere poſſunt, ſed abruptis decidit. Semen quoque aut viri, aut mulieris, ſi ſponte fluit, vaſa ſpermatica alterutrius malè habere ſignifi-

Si craſſa, quid innuat?

Lenta.

Per vomitum.

Per alvum.

Tenuis.

Tunica in urinæ hypoſtaſi quid denuntiet?

Ramenta quid denotent?

Fungus in cerebro.

Vulnus ventris.

Abortus quid denotet?

Semen ſponte fluens quid ſignificet?

car. Ipsa enim imbecilla sunt, nec semen coquere possunt. Ideò ipsum liquidius factum sponte & absque Veneris desiderio fluit. Mulierum etiam menses largiores, aut parciores, aut denique decolores, uterum malè affectum indicat, *teste Hipp. aph. 45. sect. 7.* Menstruis abundantibus morbi eveniunt, & subsidentibus accidunt ab utero morbi. Si præterea cibus & potus ex vulnere exeunt, vel ventriculum, vel stomachum perfossum esse significant: sin chylus etiam ex vulnere manat, tenuium intestinorum aliquod sauciatum est: quemadmodum, si exindè stercus, aut stercoris fœtorem aliquid redolens exit, crassum aliquod intestinum perfossum esse certò judicare licebit. Si præterea, vase aliquo rupto, aut aperto, sanguis exiliens fluit, arteriam vulneratam significat: sed si non exilit, crassusque manat, perrusam venam ostendit. Item, capite percusso, si sanguis vel è naribus, vel palato fluit, menyngem cerebri quandam vulneratam arguit. Item, qui sanguis simul cum urinâ excernitur, aut renes, aut urinæ ductus, aut denique vesicam malè affici significat, quemadmodum docet Hippocrates *aph. 78. sect. 4.* Qui inopinanter sanguinem mejunt, iis à renibus venulam ruptam esse significatur. Et si quis sanguinem, aut grumos mejat, aut urinam guttatim emittat, dolore ad hypogastrium & pectinem & perineum pertinente, ad vesicam loca laborant. Item *aph. 81. sect. 4.* Si quis sanguinem, aut pus, aut squamulas mejat, & gravis odor adsit, vesicæ exulceratio significatur.

Menstrua.

Cibus & potus ex vulnere.

Chylus.

Stercus.

Sanguis exiliens, arteriam apertã esse significat.

Nõ exiliens, venam.

Sanguis è naribus.

Sanguis cũ urina excretus quid significet?

Qui

Qui prætereà ſanguis ex ano fluit, is jecur affici, aut meſaraicas venas, aut inteſtina, aut denique hæmorrhoidas ſignificat. Sed à jecore venis tùm meſaraicis, tùm hæmorrhoidibus ſolus & absq; alvi excrementis promanat: ſed ab inteſtinis ſemper cum alvi excrementis excernitur. Qui item à jecore manat, is craſſus eſt & niger, cujus fluxum inflammatio ipſius jecoris præceſsit: qui verò ab inteſtinorum venis exit, quæ meſaraicæ dicuntur, tenuis & aquoſus apparet; quandoquidem imperfectus eſt. Qui item ſanguis multus per anum fluit cum multis alvi excrementis, tenue inteſtinum aliquod exulceratum indicat, ſed hanc ob cauſam dolor circa umbilicum ejus excretionem præcedit. Quòd ſi paucus cum paucis alvi excrementis dejiciatur cum ventris tormine, craſſorum inteſtinorum aliquod ulcere affici ſignificat: quorum, ſi illud colum ſit, pungens dolor utrunque ventris latus fatigat, & absque magno conatu alvus exoneratur. Si verò iſtud ſit rectum, alvi excrementa haud absque moleſtia & magno conatu dejiciuntur, atque teneſmum ex antecedente dyſenteriâ ſignificat. Qui prætereà ex hæmorrhoidibus manat, h.e. ex ani venis dilatatis atque varicoſis, varius eſt, pro ipſarum hæmorrhoidum varietate; quandoquidem aliæ externæ, & aliæ internæ ſunt: at, qui ab externis manat, is craſſus eſt & niger, propterea quòd à ramis venæ cavæ profluit, cujus fluore affectus renum multùm levantur. Qui verò ab internis exit, aquoſus imperfectusque apparet, eò

Sanguis ex ano fluens quid portendat?

Si ſanguis ſit craſſus.

Tenuis & aquoſus.

Si multus cum excrementis.

Paucus cũ paucis excrementis.

Varius.

Affecto renis fluore hæmorrhoides levantur.

eò quòd à venis meſaraicis manat. Ac ob hujuſmodi hæmorrhoidas æger, quoties alvum exonerat, circa podicem nonnihil grave ſentit, atq; glandes clyſteresque ægrè admittit. Quin-etiam ſanguis, ſi ablata cruſta è naribus, paucus exit, ulcus hîc adeſſe & elephantiæ principium ſignificat. Qui verò concretus evomitur, is à vulneratis menyngibus cerebri manat, & præſertim ſi poſt lapſum ab alto, aut ictum caput, evomitus fuerit. Hic enim è cerebro per œſophagum in ventriculum defluxit, ubi temporis progreſſu & morâ concrevit. Propterea ruptis, lapſisque ab alto, quæcunque ſanguinem intùs concretum diſſolvunt, ac concreſcere prohibent, propinari ſolent. Qui prætereà chylo permixtus etiam evomitur, is ventriculum acribus medicamentis alimentis ve eroſum ſignificat: quam ob cauſam pungente dolore illîc ventriculus afficitur, ubi ulcus ineſt. Sanguis item, qui exſpuitur, ſi tenuis apparet, & puniceo colore eſt, is ulcus tracheæ arteriæ portendit. Qui verò ſpumoſus & ater, atque etiam tenuis extuſsitur, exulceratum pulmonem indicat. Ater etiam, ſed craſſus eis exſpuitur, quorum ſupprimitur quædam conſueta vacuatio. Qui prætereà tenuis & pituitæ permixtus tuſsi dejicitur cum pungente lateris dolore, is à pleuritide manat. Qui verò ſpumoſus eſt, atque flaveſcens, ſi cum gravi dolore pectoris exſpuitur, peripneumoniam ex flavâ bile excitatam ſignificat. Quin-etiam ſanguis è pene fluens, ulcus vel renum, vel veſicæ, vel colli veſi-

Sanguis è naribus.

Sanguis cõcretus ſi evomatur, quid arguat?

Sanguis chylo permixtus.

Tenuis.

Spumoſus.

Pituitæ permixtus.

Sanguis è pene fluens.

cæ,

cæ, vel denique ipsius penis arguit. Sed qui ab exulcerato pene profluit, is paucus est & purus. Qui verò ab exulceratis renibus manat, multus est, & urinæ permixtus, qui in urinâ non nisi longo pòst tempore subsidit. Qui item ab exulceratâ vesicâ profluit, multus etiam est, & urinæ permixtus, sed mox subsidit. Quin-etiam devoratis cantharidibus, urinæ loco, purus sanguis, isque multus etiam mejitur: sed hanc ob causam vehemens lumborum dolor fatigat, atque penis præter voluntatem protenditur. Sanguis item mulieribus ex ano fluere solet, quarum menstrua præter naturam supprimuntur: sed hujusmodi sanguis à paraſtatis vasis fluit; quemadmodum qui per pudendum exit, à vasis spermaticis, aut utero, ejúsve collo. Sed qui per pudendum fluit, si multus est, & aquosus, recentem partum significat, quàm ob causam dolor circa pectinem percipitur: sed si non aquosus est, & mulier adhuc uterum gerit, fœtûs imbecillitatem, & abortum brevi fore denuntiat. At, si tandem uterum non gerenti multus etiam exit, & albus, ulcus uteri significat. Pus quoque undecunque manat, ibi ulcus adesse innuit: quandoquidem si copiosum tussi dejicitur, abscessum ruptum in sinu thoracis significat: quamobrem spirandi difficultas augetur, & hectica febris accenditur. Si verò cum urinâ redditur, nec in eâ ſtarim, sed longo pòst tempore subsidit, renum ulcus significat, per quod dolor gravis lumbos fatigat, & febris hectica excitatur. Sed si cum multo pure sanguis exit,

Devoratis cantharidibus sanguis mejitur.

Vasa paraſtata.

Sanguis per pudendum multus & aquosus.

Si nõ aquosus.

Pus quid innuat?

Pus si tussi dejicitur, abscessum thoracis indicat.

Pus cum urinâ longo tempore subsidens.

Pus cũ sanguine quid significet?

exit, tùm carnem renum erosam esse significat. Quod verò ab exulceratis ureteribus manat, non cruentũ est, sed cum urinâ multâ duntaxat permiscetur: quam ob causam dolor à renibus ad pectinem usque exporrectus percipitur. Si verò paucum pus cum urinâ dejicitur, quod celeriter subsidit, exulceratam arguit vesicam: atque propterea dolor acris tùm in pectine, tùm in perineo percipitur. Eandem vesicæ exulcerationem innuunt etiam squamulæ, atque exiguæ carunculæ, ac veluti pili, quæ cum urinis exeunt, *teste Hipp. in 81. aph. sect. 5.* Pus item, quod à pene sponte & absque urinâ dejicitur, ulcus in eo significat; atque post urinæ mictionem dolor exacerbatur. Pus quoque, quod cum semine permiscetur, est lentum & paucum, atque ulcus vasorum spermaticorum arguit: propterea virulentam gonorrhœam arguit, & per penem exit. Quod verò ex ano fluit, illud quidem ulcus vel hæmorrhoidum, vel intestini recti, vel coli, vel mesaræi, vel jecoris, vel denique lienis significat. Sed si ab exulceratis hæmorrhoidibus manat, illud cum sanguine mixtum apparet: sin à recto aut colo intestino, cum alvi excrementis. Si quoque ab abscessu rupto mesaræi, cum ipsis alvi fæcibus etiam excernitur: sed hanc ob causam dolor ventris circa umbilicum absque ullo rumore utriusque hypochondrii ægrum fatigat. Quin etiam si ex abscessu rupto hepatis aut splenis manat, per se & absque alvi excrementis, & sanguine per anum fluit. Prætereà pus è pudendo muliebri fluens

Pus cum urinâ celeriter subsidens.

Ulcus in pene quo modo deprehendatur.

Pus cum semine quid arguat?

Pus ex ano.

Pus è pudendo muliebri.

fluens, ulcus uteri significat: quod si cancrosum est, fœtet hoc pus, ac nigricat: quam ob causam uterus tactu durus percipitur, & dolore pungente afficitur. Ab ulceratâ cervice uteri exindè fluit etiam pus, quod interdum sanguini permixtum est, & præsertim si exedens ulcus fuerit, interdum purum. Hanc ob rem acerrimi dolores circa ossis sacri caudam, quam Græci *κόκκυγα* vocant, ad utrumque femur usque exporrecti certis periodis, mulierem affectam exercent. PURIS nomine utraque sanies intelligitur: una nempè, quæ Græcis *ἰχὼρ* & Latinis *virus* dicitur: altera verò *μελιτώδης*, quæ sic nominatur, quòd substantiâ & colore melli liquido similis sit: ichor verò tenuis est sanies, quæ crudum ulcus maximè significat. At utraque plures differentias ulcerum distinguit. Item alvi excrementa, quæ apparent spumosa, caput expurgari significant. Quæ verò vi magnâ & tormine dejiciuntur, & cum ramentis mixta sunt, intestinorum ulcus denuntiant. Item genitale semen viri, aut mulieris spontè somno profluens, vim spermaticorum vasorum retentricem debilem esse docet: quod si adhuc cruentum apparet, non à vasis spermaticis, sed duntaxat à parastatis manat; quemadmodum eis sæpiùs evenit, qui immoderatâ Venere utuntur. Quin-etiam, quæ urina vel supprimitur, vel immoderatè dejicitur, semper affectus renum, aut ureterum, aut vesicæ, aut venarum indicat. Sudor quoque spontè & absque evidente causa calidus à toto corporis habitu manans, humorum

Sanies duplex, ichor & meliceris.

Ichor quid, & quid indicet.

Alvi excrementa spumosa.

Genitale semen spontè somno profluens.

Urina suppressa.

Sudor spontè manans.

rum abundantiam in carnoſo genere contineri ſignificat. Qui verò frigidus eſt, etiamſi à toto habitu, aut aliquâ parte corporis promanat, ſemper malum ſignificat, niſi talis aëre circunſtante evaſit. Atque undecunque ſudor manat, ibi morbus ſignificatur, *teſte Hipp. in aph. 39. ſect. 4.* Sudor item calidus, qui è toto corpore erumpit, interdum ardentes febres finit, ſi die tertio, quinto, ſeptimo, nono, undecimo, decimo-quarto, decimo-ſeptimo, & trigeſimo-quarto manare cœperit, & ſi ſigna concoctionis in urinis apparent, cacochymiam enim evacuant. At qui ſecùs evenerit, laborem & morbi longitudinem, aut ejuſdem reditum indicat, veluti docet Hippocrates *aph. 36. ſect. 4.* Quemadmodum ab excretis, ſic etiam ab his, quæ præter naturam continentur, ſigna ſedium affectarũ & affectuum depromuntur. Propterea ſi cranio fracto fungus in cerebro apparet, is craſſam cerebri menyngem vulneratam ſignificat. Si quoque granula ſub lingua hominis cernuntur, eum elephantiaſi corripi denuntiant. Suppreſſa item urina in veſicâ, urethram, h.e. urinariam fiſtulam obſtrui ſignificat. Obſtruitur autem, aut calculo, aut grumo, aut craſſo humore, aut hyperſarcoſi, quorum poſtremum præceſſit ulcus. Facilè deprehenditur hyperſarcoſis in pene, carhetere, aut cerea candela intromiſſa. Eadem ſuperflua caro in naribus nata ſenſibus conſpicua eſt, atque cerebri inſpirationem expirationemque prohibet. Diſtinguitur à ſarcomate, polypo & ozenâ, quæ quoque nares occupant.

Sudor criticus.

Fungus in cerebro.

Granula ſub lingua hominis.

Suppreſſa urina quid ſignificet?

Hyperſarcoſis in pene quomodo deprehẽdatur.

Sarcomatis, polypi & ozenæ differentia.

pant. Nam ipſa hyperſarcoſis ulcus ſemper ſequitur: polypus verò & ſarcoma tumores in naribus ſunt, quorum polypus circumſcribitur, ſarcoma verò diffunditur. Continentur etiam in pericranii ſuperficie furfures, qui caput pravis ichoribus impletum eſſe ſignificant, *teſte Galeno lib. 2. de compoſitione medicamentorum ſecundùm loca.* *Furfures in pericranio.*

Cibus item & potus diù in ventriculo contenta, ubi magnum ponderis ſenſum afferunt, ſcirrhum aut alium tumorem in ecphyſi declarant: quam ob cauſam perſtat ipſum ventris pondus, etiamſi abſoluta ſit ventriculi concoctio, quod quidem vomitu levari aliquo tempore poteſt, ſed mox redit. Veruntamen absque hac cauſa interdum ventriculus adeò diſtenditur, ut ne quidem liberè reſpirare liceat ægroto, donec diſſolutus ſit ille flatus, qui hujus ſymptomatis cauſa fuit. Alvi quoque excrementa in ſcrotum devoluta, atque ibi retenta, volvulum ſignificant affectum, per quem excitatur fœtidus vomitus, interdū ſtercus hominis redolens. Quin-etiam urinæ ſuppreſsio vitium in renibus, aut ureteribus, aut veſicâ ſignificat: ſed ſi renum vitio ſupprimitur urina, dolor gravis lumbos exercet: abdomen totum tumeſcit, atque vultus. Quoties enim renum imbecillitate urina ad ureteras pelli non poteſt, in peritonæi ſinum refluit, atque hydropem accerſit. Ac ſi ex obſtructis urinæ viis ac ductibus urina reprimitur, dolor ad utrumque ventris latus pectinem uſque exporrectus, ægrotum affligit. Supprimitur etiam urina diuturnis

Cibus & potus diù in ventriculo contenta quid declarent?

Alvi excrementa in ſcrotum devoluta.

Urinæ ſuppreſſio.

Urina diuturnis vomitionibus supprimitur. vomitionibus, atque copiosis sudoribus, propterea quòd à renibus & ureteribus ipsa ad ventriculum, aut totius corporis habitum refluit. Denique urina supprimitur ardentibus febribus, atque etiam deliriis, & magnis alvi profluviis.

Ardentibus febribus.

CAP. III.

A loco & situ sedes affectas & earum affectus dignosci.

Dolor in dextro hypochondrio quid indicet? SITUS porrò tùm doloris, tùm tumoris, affectæ sedis index est. Propterea si dolor in dextro hypochondrio sentitur, jecur, non lien; sin in sinistro inest, lien, non jecur malè afficitur. Tumor etiam, si in dextro hypochondrio sub nothis costis tactui occurrit, jecur occupat: sin circumscribitur, & in ventris longitudinem exporrigitur, ipse in rectis est musculis abdominis. Ac tumores aliorum musculorum abdominis in utroq; latere ventris versùs nothas costas tactu deprehenduntur. Nam externorum musculorum tumores, qui ad costas pertinent, facilè nobis innotescunt, quia sub sensum cadunt, atque spirandi difficultatem accersunt. Tumores verò, qui inter nos costarum musculos occupant, quique pleurii dicuntur, pleuritidis naturam referunt. Qui quoque tumor sub pectine circumscriptus tangitur, vesicam tenet. Qui denique foris cervicem capitis occupat, eam declarat anginam, quæ per se non exitiosa est, *teste Hipp. aph. 25. sect. 6. & 37. ejusdem sect.*

In sinistro.

Tumor in dextro sub nothis.

In ventris longitudinē exporrectus.

Tumor sub pectine circumscriptus.

CAP.

CAP. IV.

A doloris proprietate affectarum partium & affectuum ipsarum signa sumi.

DOLOR ubicunque percipitur, ibi morbum adesse significat. Quoniam autem ille diversus est, ideò varias partium corporis differentias, quę malè afficiuntur, distinguat necesse est. Quidam enim pulsat, atque ideò pulsatorius dolor dicitur, qui arteriarum inflammatarum proprius est. Alius est pungens, quo tunicæ affici solent, qualem per pleuritidem percipimus. Huic finitimus est acutus, quo, ceu terebro perforante, aut palo impacto membrum affici videtur. Talis autem in colo intestino ex pituita vitrea excitari solet, quemadmodum in membranis cerebrum involventibus ex eadem pituita malè affectis. Alius est dolor, qui tensivus dicitur, quo membrum malè affectum adeò tenditur, ut rumpi videatur: qui quidem venarum proprius est; atque propterea omnium inflammationum commune symptoma est, atque humorum & flatuum copiam significat. Dolor item, quo parenchymata malè afficiuntur, gravis est. Talis etiam convenit cerebro ex pituita crassa malè affecto, & membris calculo laborantibus, qualia sunt renes & vesica. Dolor item alius est profundus, qui, si contundens est, membranas ossium malè affici significat: sed si nihil contundit, aliarum tunicarum affectum declarat. Alius præterea superficiarius est, qui cutem, carnemque cuti

Dolor quid significet?

Pulsatorius.

Pungens dolor.

Acutus.

Tensivus.

Gravis.

Profundus.

Superficiarius.

Pruriginoſus. proximam morbo corripi denuntiat. Pruriginoſus quoque dolor, ceu ulceroſus humorum acrimoniam arguit, atque primùm & per ſe cutem, ſecundò & ex accidente carnem afficit. Dolor item, qui vagus eſt, flatuum copiam indicat: fixus verò & parti malè affectæ inhærens, præ cæteris aliis membris colon inteſtinum, renes, aures & dentes affligit. Quin-etiam dolor alius continuus eſt, qui membrum primario affectu & proprio conflictari ſignificat: alius denique ſæpiùs intermittens eſt, qui corporis partem conſenſu alterius malè affici declarat.

Vagabundus.

Fixus.

Continuus.

Intermittens.

CAP. V.

A' propriis accidentibus ſigna partium malè affectarum & affectuum ſumi.

PROPRIA partium affectarum & affectuum accidentia intelligimus, quæcunque neceſſariò ea conſequuntur. Talia autem ſunt (exempli gratiâ) ungues aduncì, qui tabem eis ſignificant, quibus apparent. Sic, lingua nigricans & ſcabra ardentem febrem: rubor genarum peripneumoniam: pungens lateris dolor pleuritidem: color totius corporis citrinus, jecoris; niger verò, lienis obſtructionem indicat. Alvi item dejectio lotioni carnis recèns mactatæ ſimilis imbecillitatem jecoris, perindè atque hydrops fruſtratam ſanguificationem ſignificat. Atque propriorum accidentium nomine, ſingularum corporis partium proprios affectus etiam intelligere poſſumus. Hujusmodi autem ſunt, apople-

Lingua nigricans quid indicet?

Rubor genarum.

Color citrinus.

plexia, epilepsia, catoche, catalepsis, lethargus, phrenitis, ac omnis cephalalgia, quæ non nisi capitis affectus esse possunt. Paralysis quoque atque convulsio duntaxat nervos; ophthalmia, hypochisis, h.e. suffusio, glaucoma, oculos; polypus, ozena, nares; columella gargarionem; omnes denique cynanches differentiæ tantummodò laryngis musculos occupant. Item, fames, sitis, volimia, nausea, vomitus, singultus, ructus, cibi fastidium, malacia ventriculi, febres, cordis duntaxat affectus proprii sunt, nec ulli alii membro convenire possunt.

Proprii capitis affectus quinã sint?
Nervorum.
Oculorum.
Narium.
Ventriculi.
Cordis.

CAP. VI.

Quas affectas partes, & quos affectus calor indicat.

IN quacunque humani corporis parte calor præter naturam tactu percipitur, ibi calidam intemperiem inesse significat: quæ, si in universo corpore diffunditur, febris est. Hujus autem intemperiei tres differentiæ sunt. Una enim ephemera, h.e. diaria dicitur, cujus causa semper externa est & evidens, nec cum horrore, aut rigore, frigoréve incipit, & intra viginti-quatuor horas omninò desinit. Hanc nulla comitantur sæva symptomata, nec vehemens capitis dolor, neque magna corporis agitatio. Pulsus quoque celer est ac frequens, sed æqualis & ordinatus, atque magnus validusque, nisi ex mœrore, vel inediâ, vel cruditate, vel denique ex frigiditate fuerit orta. Ab his enim causis diastole major ac velocior

Calor præter naturam quid significet?
Febrium tres differentiæ.
Ephemera seu diaria.
Signa diaria.
Pulsus diaria qualis?

eſt quàm ſyſtole. Calor item non acris, ſed mitis tactu percipitur, qui totus ſenſim eo ipſo die extinguitur, vel miti aliquo ſudore madoreque absque ulla graveolentia finitur. Prætereà, urina & ſubſtantiâ, & colore, atque hypoſtaſi parum, aut nihil à naturali diſtat. Alia febris eſt putrida: quæ vel continua eſt, vel intermittens. Rurſus, continua una eſt ſynochus, altera ſyneches. Synochus tantiſper ægrum fatigat, donec integrè ſoluta ſit; nec enim exacerbatur, nec remittitur. Eſt autem hæc duplex: una putredinis expers, quæ à Galeno *lib. meth. med. 9.* ephemera plurium dierum vocatur: & velut phlogoſis, h.e. ſimplex ſanguinis inflammatio in magnis venis conſiſtens, quæ ſemper ſibi ſimilis toto decurſu manet. Interdum continuò ad finem uſque creſcit; interdum à ſummo vigore incipiens, ſenſim imminuitur, dum deſinat. Aliàs à principio ad finem in eodem vigore manet. Hujus autem febris notæ hæ ſunt. Quæ ephemeræ, ſed aliquantulum moleſtiores, ob quas totum corpus ægri, & præſertim facies, inflammatione, ruboreque perfunditur; quoniam à ſanguinis exuperantiâ inter alas & inguina, poſita originem habet. Atque hanc ob febrem magna corporis jactatio fit, atq; venæ copiâ diſtenduntur; ac multùm turgent. Somnus ſæpè profundus premit; caput vel dolet, vel ingraveſcit; reſpiratio difficilis fit; atque etiam pulſus magnus, plenus, creber ac velox. Cutis item mollis, ac madore perfuſa ſentitur. Hanc denique febrem laſſitudo ea ſpon-

Urina in diaria febre qualis?

Synochus febris quid?

Synochus duplex.

Signa ſynochi putredinis expers.

ſpontanea præcedit, quæ artus omnes occupat. Altera ſynochus putris eſt, cujus origo ea eſt plethora, quæ vires labefacit. Hæc autem vel primaria eſt, vel ſymptomatica. At primaria quarto die ſæpiùs critica quadam evacuatione ſanguinis definit, vel in aliam degenerat febrem, quæ, teſte *Gal. lib. de differ. febr. 2.* biliosa eſt: quandoquidem (inquit) ſanguis putrefcens in aliam vertitur naturam, quæ alterutra bilis eſt. Putris autem ea ſynocha, quæ ſymptoma eſt, internam quandam phlegmonem conſequitur. At utriusque calor acris contactu percipitur, & præſertim, cùm in ardentem mutata eſt. Hæc enim propemodùm, inſtar ignis, manum tangentis exurit. Pulſus nec non magnus eſt, & vehemens, celer, frequens, inæqualis, ac inordinatus. Urina item craſſa, turbidaque, ac rubra, & ſedimenti expers apparet. Hujus autem febris ſymptomata pro inflammationis magnitudine variant: h. e. aut ſæviora, aut mitiora fiunt. Ad hoc putris ſynochi referri poteſt cauſus ſymptomaticus, & febris typhoides, quæ internas inflammationes omnium vehementiſsimas ſequuntur. Hujusmodi autem inflammationes ſunt erysipelata, atque cancri, quæ cor, aut pericardium, aut cor occupant. Hujusmodi autem inflammationum ſymptomata non ſolùm ſunt ardentes febres, ſed & perpetuæ vigiliæ, atque interdum deliria, & præſertim, ſi diaphragma inflammatum eſt, inexhauſta ſitis, cibi faſtidium, linguæ nigrities & ariditas, atque ſcabrities, quæ omnia ardentes o-

Laſſitudo ſpontanea ſynocho præcedit.

Synochus putris.

Pulſus in ſynocho putrida qualis?

Urina qualis?

Internarum inflammationū ſymptomata.

mnes febres, ſive primariæ, ſive ſymptomaticæ
Febris ſyneches qua? ſint, comitari ſolent. Alterum continuæ febris genus ſyneches dicitur, eò quòd intermittentis
Ejus differentia qua? typum imitetur. Ejus autem tres differentiæ ſunt, quarum una quotidiè, & maximè ſub noctem, absque frigore excandeſcit, nec pòſt in apyrexiam, h.e. infebricitationem deſinit, ſed in priſtinam redit formam. Alia tertio quoque die absque rigore exacerbatur, nec ullo ſudore finitur, ſed in ſuam revertitur naturam, atque propterea tertiana continua nominatur. Alia denique quarto quoque die absque horrore excandeſcit, ac proindè quartana continua dicitur. Hæc autem ſæpiùs triplici quartanæ intermittenti ſuccedit, *teſte Gal. in lib. ad Glaucon. 2.* ubi eam exitialem eſſe ait. In omnibus hujusmodi febribus humores putreſcunt in vaſis procul à corde, hepate & ventriculo diſsitis: atque propterea quæ excitant ſymptomata, multò mitiora ſunt, quàm utriusque cauſi, typhoidis & omnis ſynochi putris, quorum omnium humores vel in corde, vel hepate, vel ventriculo putreſcunt & accenduntur. Cæterùm, quæ harum eryſipelas alicujus viſceris conſequitur, inſtar tertianæ continuæ exacerbatur, ſed graviora accerſit ſymptomata. Item ab interno cancro quæ excitatur febris continua, typum quartanæ intermittentis
Internorum cancrorum ſigna. refert. Internoſcitur autem internus ille cancer dolore pungente, qui intùs percipitur. Putridæ
Putridæ febris inter- febris intermittentis tres quoque ſunt differentiæ, nempè tertiana, quartana, & quotidiana,

qua-

quarum unaquæque duplex est, nempè exquisita,& notha. Tertiana exquisita eos maximè prehendit,qui naturâ calidi & sicci sunt,habitu gracili,ætate floridâ: atque alios, qui laboribus, vigiliis,mœroribus, curis, ardoribus, parco victui calido siccoque assueti sunt: aut eos deniq;,quorum jecur impensè calidum est, propterea quòd tales omnes bilis flavæ proventum fecerunt, & maximè æstate, calidis siccisque regionibus, & æstuoso cœlo. Repentè autem hæc hominem corripit insigni rigore, quo plerunque totum corpus concutitur: ac sub rigoris finem sæpè bilis excussa vomitur. Hinc mox calor igneus effunditur, qui injectam manum acriter feriens, statim mitescit. In vigore paroxysmi,æger adeò exuritur, ut & corpus suum nudet, & variè jactet,atque spirandi difficultate oppressus,magnũ multumque spiritum ducat: sitique evectus frigidum expetat, vigiliis, capitis dolore,irâ,furoreque percitetur. Longissima hujus febris accessio,horarum duodecim est, interdum septem,interdum quatuor,multo quidem sudore calido inclinans,quam pura intermissio sequitur. Accessionis initiò pulsus parvus, posteà magnus, ac celerior crebriorq; fit. Urina item apparet flava, substantiæ mediocris, cujus, finitâ accessione, odor gravis est. Hæc sunt signa exquisitæ tertianæ, quæ, Hippocratis sententiâ *aph.59.sect.4.* septenis circuitibus ad summum judicatur. Tertiana autem notha aliàs à bile crassâ, vitellinâque; aliàs à bile flavâ pituitæ permixtâ oriri solet,cu-

mittentis differentia quæ?

Tertiana quos prehendat?

Tertiana signa quæ?

Pulsus tertianæ qualis?

Urina.

Tertiana notha unde oriatur.

jus acceſsiones nullo ſtato tempore recurrunt, quemadmodum in exquiſitâ, cujus acceſsiones certis horis redeunt, fieri ſolet. At nothæ tertianæ rigor minùs vehemens, ſed diuturnior eſt, quàm exquiſitæ; calor etiam minùs manum tangentis pungit, nec æqualis univerſum corpus invadit. Ex eo mitiora ſunt ſymptomata nothæ tertianæ, quàm exquiſitæ; quòd pituita bilis fervorem reprimit. Ultra duodecim horas ejus acceſsio exporrigitur, quæ quantò longior fuerit, tantò ab exquiſitâ recedit: raróque quatuordecim circuitibus judicatur: ſæpè longiùs excurrit. Vere & Autumno, ut exquiſita æſtate, invadere ſolet. Quartana quoque intermittens duplex eſt: una exquiſita, quæ ab humore melancholico frigido & ſicco, extra magna vaſa putrefcens, originem habet: altera ſpuria eſt, cujus origo interdum aduſta bilis flava eſt; interdum pituita & craſſa & lenta. At quæ exquiſita eſt, eos corripit, qui melancholicum ſuccum congeſſerunt, cujusmodi ſunt lienoſi, & qui erraticas febres non integrè ſolutas perpeſſi fuerunt. Huic febri gignendæ apti ſunt frigidi & ſicci, gracili corpore & glabro, ætate confirmatâ, vel inclinante, qui curis & mœroribus conficiuntur, cibis craſsis nutriuntur, quibus melancholiæ copia creſcit, præſertim Autumno, regione frigidâ, cœli ſtatu inæquali. Propterea hoc tempore & loco exquiſita quartana hominẽ invadit. Hujus autem febris acceſsio ab horrore incipit, qui velut vehemens frigus eſt, cujus vi totum corpus

Signa tertianæ nothæ quæ?

Quartana intermittens duplex: una vera, altera falſa.

Signa quartanæ exquiſitæ.

tre-

tremore concutitur: dentes ſtrident, articuli, atq; oſſa quaſi pondere obteruntur, quo abeunte ſæpè amarorum vomitus erumpit, & præſertim ſi in ventriculum viæ patent. Hinc calor accenditur mitior tertianæ, ſed ardentior quotidianæ, qui non æquabiliter in toto corpore effunditur, ſed alicubi cum frigore permixtus ſentitur. Prætereà ſitis, vigiliæ, capitis dolor ſuperveniunt, ſæviora quàm in quotidianâ, ſed mitiora quàm in tertianâ. Quartanæ acceſsio cujusvis tertianæ longior eſt, ſed quotidianæ brevior. Pulſus initio acceſſionis languidus eſt, h.e. minimus ac rarus, qui poſteà validus fit ac magnus, atque frequens, celerque & perindè inæqualis atq; in cæteris aliis putridis. Urina primis ferè diebus tenuis apparet & aquoſa: poſteà verò & ſubſtantiâ, & colore, & contentis mutatur. Quartanæ autem nothæ ſigna ferè eadem ſunt, quæ veræ & exquiſitæ: ex eo tantùm diſtant, quòd quæ notha eſt, ſæpiùs tertianis febribus ſuccedit: æſtate hominem corripit: tertio aut ſeptimo menſe (ad ſummum) ſolvitur, niſi errore quodam diutiùs prorogetur: exquiſita etiam ultra annum protrahi non ſolet, niſi multos errores æger committat. Tertium ſpuriæ quartanæ genus, quo mulieres, & pueri, & adoleſcentes interdum corripiuntur, à craſsâ pituitâ & lentâ originem habet. Quotidiana intermittens rariſsima eſt, humidisque naturis, quæ vel naturâ, vel ætate, vel crapulâ, vel otio, vel longiore ſomno, vel denique cibis frigidioribus humidioribusque tales factæ ſunt, contingere

Pulſus quartanæ qualis?

Urina.

Quartanæ nothæ ſignæ quæ?

Spuria quartana.

Quotidianæ quibus contingit?

gere ſolet, quia multâ abundant pituitâ craſsâ.

Signa quotidianæ intermittentis.

Hujus febris acceſsio non repentè, ſed ſenſim invadit hominem, quà corporis extrema duntaxat refrigerantur absque ullo rigore concuſsione que corporis: dormiendi inexpugnabilis cupiditas cum totius corporis gravitate excitatur. Plerunque etiam ipſo acceſsionis initio animus ægrotantis vel deficit, vel ſyncope corripitur. Dein ſenſim & ægrè calor augeſcit, magnâ certè inæqualitate; quia æger modo calorem, modò frigus percipit. Calor autem in toto corpore accenſus non acris, ſed halituoſus tangenti occurrit: qui quidem nudare corpus non cogit, nec hûc & illûc jactare: ſitim non vehementem

Pulſus qualis?

accerſit; paucoque ſudore lento deſinit. Pulſus acceſsionis initiò parvus eſt & rarus; poſteà verò celer evadit.

Urina.

Urina primis diebus tenuis & aquoſa cernitur ob pituitæ copiam, quæ valdè meatus obſtruit & calorem nativum obterit; poſteà concocto pituitoſo humore, craſſa turbidaq; ac rubra redditur. Alvus liquida crudaque ac pituitoſa dejicit. Hujus febris tota acceſsio octodecim horarum eſt, intermiſsio verò ſex, quæ rarò pura & integra exiſtit. Ad pituitoſarum febrium

Epiala quæ?

genus refertur epiala febris, per quam in quâvis particulâ corporis calor & frigus percipiuntur.

Cauſa continens hujus febris quæ?

Hujus febris cauſa continens, pituita acida, aut vitrea leniter putreſcens putatur eſſe, cujus portio non accenſa eſt; altera nondum putredinem experitur.

Hactenus ſigna, quibus ſimplices intermit-

ten-

tentes febres dignoſcuntur, explicata ſunt: ad ea, quibus eædem intermittentes permixtæ diſtingui poſsint, nos accingere convenit. Permiſcentur autem intermittentes, vel quæ ejusdem generis, vel diverſi ſunt. Ejusdem generis, quemadmodum duæ tertianæ, duplicem tertianam conſtituentes, duæ quartanæ, atque etiam tres: quas omnes internoſcere libet. Nam acceſsiones duplicis tertianæ, & triplicis quartanæ, inſtar quotidianæ, ſingulis diebus fiunt. Itaque diſtinguendæ ſunt ſignis pathognomonicis, & motionis earum impetu. Primùm enim acceſsiones duplicis tertianæ, & quotidianæ differunt; quandoquidem per totum quotidianæ paroxyſmum calor non acris ſentitur, ſed halituoſus: ſed duplicis tertianæ acceſsionis calor primo occurſu tangentis acris percipitur, qui talis ad vigorem uſque pergit, hincque ſenſim miteſcit, donec ſudore omninò deſinat. Prætereà, quotidianæ acceſsio incipit extremarum partium frigore tertianæ duplicis rigore. Deindè, quotidianæ acceſsio ad octodecim horas exporrigitur: ſed quæ duplicis tertianæ eſt, duodecim horas non excedit. Item, quotidianæ inſultus nullam, & perexiguam ſitim excitat: ſed duplicis tertianæ inexhauſtam. Ad-hæc, quotidianæ febris acceſsionibus urinæ craſſæ & albæ reddunturi; atque etiam alvi excrementa cruda & alba: urinæ verò duplicis tertianæ apparent flavæ croceæq́; nisi obſtruantur meatus, quibus flava bilis à veſicâ fellis in ecphyſin fertur. Triplicis

Duplex tertiana in quibus differt à quotidianis.

Triplicis quartanæ signa.

plicis quartanæ acceſsio à commemoratis facilè internoſcitur. Nam hæc longior eſt, quàm duplicis tertianæ, & minùs acuta; ſed brevior & acutior, quàm quotidianæ. Prætereà, triplicis quartanæ acceſsio ſemper horrore incipit; tertianæ duplicis rigore, & quotidianæ frigore. Quin-etiam triplex quartana ſæpè ſimplici, & ſæpiùs duplici; duplex verò ſimplici ſuccedit. Nec ſolùm intermittentes febres ejusdem generis commiſcentur, ſed etiam quæ diverſæ ſunt. Propterea interdum tertiana cum quotidianâ permiſcetur: interdum quartana cum quotidianâ: interdum denique quartana cum tertianâ. At ex tertianæ & quotidianæ permixtione primo die invaſionis duæ acceſsiones fiunt, quarum una cum rigore, altera cum frigore incipit: atque unius calor acris & ſiccus percipitur; alterius verò vaporoſus. Poſtero die una tantùm fit, nempè quæ tertianæ eſt. Die tertio utraque febris exacerbatur. Sic deinceps hoc ordine acceſsiones redeunt. Quartana quoq; febris, ſi cum quotidianâ miſcetur, quarto quoque die duæ acceſsiones diverſis horis excitantur; reliquis verò aliis diebus una acceſsio tantùm redit. Illius denique mixtæ febris ex tertianâ & quartanâ conflatæ, primo die invaſionis unus tantùm paroxyſmus excitatur: ſecundo nullus fit: tertio, quæ tertiana eſt, exacerbatur: quarto, quæ eſt quartana: rurſum quinto tertiana: ſexto utraque intermittit & ceſſat: ſed ſeptimo duæ acceſsiones diverſis horis redeunt. Sic deinceps ſequentibus

aliis

aliis diebus acceſsiones moventur ad finem uſq; febris. Permiſcetur quoque interdum continua febris cum aliquâ intermittente, veluti quotidiana continua cum tertianâ intermittente, fitque hemitriteus, h. e. ſemitertiana febris, quæ ex continuarum genere eſt. Prætereà, intermittentium febrium quædam primariæ, & proprii affectus cordis ſunt, quæ vulgò eſſentiales dicuntur; aliæ verò ſymptomaticæ, quarum cauſæ ſunt magnæ obſtructiones internarum partium. Hujusmodi febrium meminit Galenus *lib. ad Glauc. 1.* ubi, tertianam ab hepate, quartanam à ſplene, & quotidianam à ventriculo procreari, ait. Tertii generis febris, quæ hectica dicitur, cognitio reſtat. *Hectica.* Hæc autem aliquando primùm cordis eſſentiam & per ſe afficit: interdum ſecundò, & vi alterius membri malè affecti. Utriusque ſpeciei multiplex eſt gradus. Unus quidem, quo carnoſa ſubſtantia abſumitur: alius, quo primigenium humidum, calor febrilis, depopulatur & marcorem efficit, quo vires omnes marceſcunt & languent: omnesque functiones intercidunt. Hectica febris, quæ primaria eſt, & ſolidam cordis eſſentiam invadit, aut ephemeræ ſuccedit, aut à vehementibus cauſis evidentibus excitatur. Vehementes autem iſtæ cauſæ ſunt, iracundia, mœrores, labores, æſtus, ſitis, inedia: quæ cauſæ, ſi leves ſunt, tantummodò ephemeram accendunt. Cognoſcitur autem hectica ab hujusmodi cauſis facta, ſi triduo, aut quartiduo perſeveret: & præſertim ſi inſignis calor æqualis fue- *Cauſa hectica febris quæ?* *Signa primi gradus febris hecticæ.*

fuerit, nec augeatur, neque minuatur, nihilque doloris æger ſentiat: ſi item vires languent, ac calor primùm mitis manui tangentis occurrit, mox acris ac mordax percipitur: ſi (inquam) pulſus debilis parvusque ac frequens eſt: ac unâ alterâque horâ ab ingeſto cibo calor exacuitur, pulſusq; crebrior atque celerior evadit: ſed concocto cibo, calor in priſtinam æqualitatem redit. Nam quemadmodum ex calce humore conſperſâ multus calor & acris ſuſcitatur, ita & humani corporis ſolidæ partes inflammatæ, magis magísq; incaleſcunt, humore cibi & potionis prolutæ. Secundus autē gradus febris hecticę tunc manifeſtus eſt, ſi pinguedo telis araneorum ſimilis lotio innatat: ac cutis totius corporis ſqualida percipitur: ſi quoque pulſus durus tenſusq; ac multùm debilis eſt. Quum verò præ ſiccitate conſumptioneque corporis, oculi concavi videntur, atque prominent, oſſa illa, quæ eos ambiunt, & item palpebræ ita aridæ redditæ ſunt, ut vix attolli poſſint, tùm tertii gradus hecticæ ſignum adeſt: & præſertim, ſi dormiendi impotentia adfuerit: ſi collapſa apparuerint tempora: ſi frons arida & intenta: ſi facies ſqualida & livida: ſi præterea venter quaſi inanis, depreſſus atq; contractus, reliquumque corpus omne ita aridum, ut nihil præter oſſa membranis & cute obducta videatur. Calor item immodicus tactu ſupra umbilicum perceptus, intemperiem ventriculi calidam ſignificat: quam confirmant, quæ ſequuntur, nempè nidoroſus ructus, putrium

Signa ſecundi gradus.

Signa tertii gradus febris hectica quæ?

OVO-

ovorum fœtorem referens, cibi fastidium, quibus, si sitis adsit, intemperiem siccam esse existimandum est. Quòd si lingua percipitur amara, aut bilioſus vomitus adest, ab humore bilioſo hæc ventriculi intemperies originem habet. Calor item volæ pedis, aut manus, jecoris intemperiem calidam significat. Præterea, umbilici regio, tactui calida occurrens, calidam meſenterii intemperiem oſtendit, quæ ſi ſicca eſt, alvi excrementa dejiciuntur ſicca, & ægrè excernuntur. Lumbi item, ſi calidi tactu cognoſcuntur, calidã renum intemperiem ſignificant: quam ob cauſam urina videtur flava, vel rubra, cujus ſuperficies pinguis apparet, ſi impensè renes calefacti ſint. Idem magis magisque confirmat urina, quæ inter mejendum acris percipitur.

CAP. VII.

Quas ſedes affectas, & quos affectus frigus arguit.

Quid temperies frigida ſignificet?

IN quâcunque humani corporis parte frigus percipitur, ibi intemperiem frigidam eſſe ſignificat, niſi ab evidente cauſâ excitatus ſit, aut ei calor ſucceſſerit. Nam ſi frigus calor conſequitur, initium febris quotidianæ denuntiat. Præterea, frigus paulò ſupra umbilicum tactui occurrens, frigidam ventriculi intemperiem teſtatur: quemadmodum & maxima ciborum appetentia. Nam per hujusmodi intemperiem ventriculus plus cibi appetit, quàm cõficere poſsit. Quam ob cauſam in eo multi humores crudi relin-

Frigus ſupra umbilicum quid ſignificet?

quuntur, qui nobis ructibus acidis innoteſcunt.

Frigus per univerſum corpus ſentitur quid teſtatur?

Frigus quoque, quod per univerſum corpus ſentitur, frigidam hepatis intemperiem declarat, quam confirmat ſanguinis crudi & pituitoſi redundantia, & hanc totius corporis color pallidus, & ignavia, atque torpor. Hujusmodi autem frigida jecoris intemperies aut innata eſt, aut acquiſita. Acquiritur autem immoderatâ ſanguinis emiſsione, aut cujuspiam aſſuetæ evacuationis ſuppreſsione, ſive ea fuerit menſtruorum, ſive hæmorrhoidum, ſive denique hæmorrhagię ex naribus. Comparatur etiam aquæ frigidæ intempeſtivo potu, quo ſæpenumerò repentè hydrops oritur.

Frigida hepatis intemperies quibus acquiritur.

Inferior ventris pars tactu frigida percepta quid indicet?

Frigidam item intemperiem uteri ſignificat inferior ventris pars, quæ tactu frigida percipitur. Hanc autem uteri intemperiem confirmat ſuppreſsio menſtruorum, quæ tempeſtivè moveri debent: aut pituitoſorum excrementorum multa dejectio ab utero facta: aut ad Venerem ſegnities.

Caput frigidum quid innuat?

Caput denique, ſi frigidum tangitur, frigidam cerebri intemperiem ſignificat: quę ſi à lue Venereâ contracta eſt, diuturnus dolor pericranii fatigat, & præcipuè noctu.

CAP. IIX.

Quas partes malè affectas, & quos affectus ſiccitas arguit.

IN quâcunque humani corporis parte ſiccitas tactui occurrit, intemperiem ſiccam ibi adeſſe ſignificat. Hæc autem tabes eſt, vel atrophia, h.e. alimenti penuria. At ea tabes, quæ univerſi corporis

poris est, si calida sit, hectica febris dicitur. Atrophia verò communis affectus est toti corpori, & singulis ejus membris, qui vitio cujuspiam partis nutritioni servientis contrahitur. Sæpiùs autem per id vitii universum corpus hominis cruditate laborat, quæ potiùs foris & in superficie corporis, quàm intùs & in excrementis apparet. Hoc autem vitium cachexia dicitur, h.e. malus habitus, quo corpus non perindè atque per hecticam, aut tabem à pulmone, aut hepate contractam absumitur, sed alterutra bilis in totius corporis habitum diffunditur, quâ superficies cutisque inficitur. At ex quâ bile, si cachexia profecta sit, ex ipsius cutis colore satis innotescit. Color enim humori redundanti semper similis evadit. Sicca autem intemperies interdum universum corpus, interdum aliquam ejus partem, & maximè omnium linguam occupat: quemadmodum febribus ardentibus semper evenit, quibus lingua ægri exarescit scabraque redditur, cæteris aliis partibus corporis nihil, aut minùs exiccatis. Ac siccam cerebri intemperiem ariditas periranii sensu tactûs deprehensa nõ solùm arguit, sed etiam immoderata vigilia, quæ quoq; ipsam auget intemperiem. Cæterarum autem corporis partium sicca intemperies, quæ foris non patet, ab earum actione læsâ tantùmodò deprehendi potest; velutì, exempli gratiâ, vox hominis, si aspera, rauca, aut clangosa est, tracheæ arteriæ aridítatem significat: sitis etiam assidua siccum ventriculum excrementorum; alvi du-

Atrophia & tabes in quibus differant?

Cachexia unde deprehendatur?

Sicci cerebri signa.

Vox rauca quid significat?

Sitis assidua quid innuat?

ritiem, aut ſuppreſsio, ſiccitatem inteſtinorum innuit.

CAP. IX.

Quas partes corporis, & quos affectus humiditas ſignificat.

MEMBRA corporis humani humida intemperie non ſolùm tactu talia, h.e. mollia & laxa deprehenduntur, ſed etiam pituitoſis excrementis redundantibus, quæ ab eis ejiciuntur. Propterea à pituitoſi humoris & excrementitii redundãtia naribus, aut palato dejecta humidã cerebri intemperiem ſignificat: ob quam ad ſomnũ propenſio major fit, quàm naturę conveniat. Talis autem ſomnus ſenibus excrementoſis ineſt, qui ſomniculoſi eſſe ſolent. Præcipua namque ſomni cauſa, humiditas cerebri eſt: quam augent cibus & potus immoderatiùs ſumpta: quemadmodum etiam medicamenta ſomnifera, atque æſtus. Hoc enim vapores ab inferioribus corporis partibus ad cerebrum feruntur: ubi coacti refrigeratique in aquam mutantur, quâ ipſum cerebrum magis magísque humeſcit & refrigeratur. Humidam quoque ventriculi intemperiem ſignificat frequens ſalivæ exſcreatio, ſitis privatio. Inteſtina denique humidiora teſtantur alvi excrementa liquida, niſi è cerebro pituitoſi humores illûc defluxerint: quandoquidem hujusmodi defluxionibus excrementa alvi fluida redduntur; ſed hanc ob cauſam hæc ſpumoſa redduntur.

Cerebri humidi ſigna.

Somni cauſa, humiditas cerebri.

Saliva frequens exſcreatio quid indicet?

CAP.

CAP. X.

Quas ſedes affectas, quosq; affectus color oſtendit.

AD dijudicandas ſedes malè affectas, & ipſos affectus, non ſolùm colorem cutis corporis, ſed etiam excrementorum ſpectare convenit. Cutis enim color vel naturalis, vel vitiatus eſt: atque ut ille humoris probitatem, ita & hic ejus vitium indicat. Color namque ſemper ſimilis apparet redundantibus in corpore humoribus, niſi intùs repentino motu aliquo animi receſſerint, *teſte Galeno in comment. aph. 2. ſect. 1.* Quare qui in facie ægrotantis flavus eſt, is flavum ſignificat icterum; qui viridis, eum arguit icterum, qui ex nigrâ & flavâ bile conſtat; qui prætereà rubor eſt, aut carnis, aut ſanguinis, aut denique utriusque ſimul plenitudinem ſignificat. Qui quoque ex rubro & nigro conſtat, is eam elephantiaſin oſtendit, quæ ab humore melancholico originem habet. Talis enim humor, qui nihil aliud eſt, quàm ſanguis niger, ſi refrigeretur, elephantiaſin gignit. Qui item pallidus color eſt, vel magnas obſtructiones jecoris, vel cachexiam ſignificat. Talis autem virginibus malaciâ laborantibus communis eſt: ob quem affectum ægrotantes depravata comedere cupiunt, qualia ſunt carbones, & ſexcenta alia id genus. Hunc affectum ſæpè ſequitur lenta febris & cordis tremor. Puellæ quoque cachexiâ laborantes pallidæ ſunt; quo affectu tùm præcipuè conflictan-

Color cutis duplex.

Color flavus quid indicet?

Rubor quid ſignificet?

Pallidus color quid innuat?

tur, cùm opportuni earum menſes erumpere non poſſunt. At ei non erumpunt obſtructo utero. Uterus autem obſtruitur aut crebrâ ſaltatione mox à cibo & potu factâ, aut craſſorum alimentorum uſu. Quin etiam naturalis color faciei, qui à motu animi repentino in album, aut pallidum ſtatim mutatur, aut ſyncopen, aut lipothymiam vel adeſſe, vel fore ſignificat. Quòd ſi talis mutatio ſenſim fit, frigidam totius corporis intemperiem, aut diuturnum affectum, à cauſis frigidis profectum portendit. Præterea, alvi excrementa ſubalbida, aut cineritii coloris, bilem ſupprimi, nec ad inteſtina ferri: atque meatum veſicæ fellis, quo excrementitia bilis ad ecphyſin defertur, obſtrui ſignificant. Talia quoque alvi excrementa, ſi ardentibus febribus, & aliis continuis apparent, pernitiem portendunt. Urinarum denique colores, humorum, qui ſunt in venis, redundantiam ſignificant. Atq; quemadmodum ex cutis colore vitiati humores, ita ex ſapore ipſi diſtingui poſſunt, ſed ii potiſsimùm, qui ſunt in ventriculo. Quare qui amarus percipitur, is bilem ſignificat in ventriculo genitam, vel aliundè illùc affuſam: qui verò ſaltus, pituitam ſalſam: qui acidus, acidum humorem: qui quoque dulcis, dulcem: qui item inſipidus, inſipidam, & aqueam pituitam: qui denique fœtidus, humoris putredinem indicat.

Uterus quibus obſtruitur.

Alvi excrementa albida quid portendant?

Urinarum colores quid indicent?

Cutis color quid arguat?

Sapore humores cognoſci.

CAP.

CAP. XI.

Quas ſedes affectas, & quos affectus odor ſignificat.

ODOR, ſive ſuavis, ſive gravis ſit, aut à toto corpore, aut aliquâ ejus parte, aut denique ab eorum excrementis manat. At qui fœtet, undecunque proveniat, ſemper aut humorum corruptionem, aut excrementum aliquod indicat. Idcircò ſi à ſudore manat, qui à toto corpore erumpit, ibi humorum corruptionem ſignificat: ſi verò ab aliis, aut pedibus provenit, in eis humores putrere declarat. Fœtent etiam ea membra, quorum caro jam mortua eſt, & corrupta. Ulcera quoque phagedęnica, ozenæ, & ſphaceli fœtent, quia putria ſunt. Odor autem fœtens, qui ex nullâ externarum partium manat, quandam earum, quæ internæ ſunt, malè habere ſignificat. Si verò è naribus ſpirat, & hinc pus exit, illîc ozenam adeſſe arguit: ſed ſi illinc nihil puris ejicitur, polypo, vel ſarcomate nares laborant. Cæterùm, polypo ſpiritus per nares duci non poteſt; quoniam ipſæ obturantur: ſed ſarcomate ſpiritus trahi ac reddi poteſt. Quòd ſi nares vitio carent, & nihilominùs tamen fœtor ab eis exit, quidpiam pravi humoris in ſpongioſo oſſe naſi latére ſignificat. Fœtida etiam tuſis pulmonis ulcus portendit. Quòd ſi etiam abſque tuſi fœtor ab ore manat, is oris ulcus aut dentem putridum, aut gingivas corrumpi ſignificat. Fœtet etiam ſpiritus ab ore hominis emiſſus, cujus lien

Fœtor quid portendat?

Fœtor cum ſudore proveniens quid ſignificet?

Fœtor è naribus quid arguat?

Fœtida tuſis quid portendat?

Fœtor oris unde procedat?

malè afficitur, *teſte Hippocrate lib. prædict. 2.* ubi ait; Eis gingivas vitiatas eſſe, & ora graviter olere, quibus lienes magni ſunt. Item ex allis, aut porris, aut ovis frixis, aut braſsicâ, aut eſu carnis ſeminputris os fœtet. Item: Urinarum fœtor vel putredinem ipſorum humorum, qui ſunt in venis; vel pus urinæ permixtum innuit. Earundem autem ſuavis odor medicamentum aliquod odoratum ingeſtum indicat. Fœtent denique ea alvi excrementa, quæ concoctionem adepta ſunt; cruda verò nullum fœtorem redolent, veluti & quæ ſunt alba, liquida & cineritii coloris.

Fœtor urinarum quid innuat?

Excrementorum.

CAP. XII.

Quas ſedes affectas, quosq; affectus ſonus indicet.

IN duabus corporis partibus ſonitus maximè obauditur, nempè in auribus, & in ventre. At in auribus ſibilus, tinnitus, ſonitus, & ſtrepitus, qui ab ægro obaudiuntur, aurem malè affectam innuunt. Atq; hæc omnia ex motu agitationeq; eorum, quæ intimam aurem occupant, innaſci conſueverunt. Ac quemadmodum in aure varia ſunt, quæ variè impelluntur, ita in eâ varii ſoni excitantur: quorum ſibilus & tinnitus ex tenui flatu, qui ſuum interrumpunt motũ, gignuntur; ſonitus verò ex craſsiore vento pleniùs erumpente in aure concitatur: quorum omnium nihil obauditur ſublatâ interiore causâ, quæcunque illa fuerit. Hæc autem fiunt vel primariò affectu auris, vel ex conſenſu capitis, in quod copioſi hali-

In quibus partibus ſonus obaudiatur.

Quid ſibilus, &c. innuant?

Sibilus unde excitetur?

Sonitus.

halitus feruntur, velutì per ſummos ardores febrium : nec non absque ullis febribus excitari ſolent, cùm videlicet ex corde & hepate valdè accenſis halitus quoque ſicci in ipſum caput feruntur, quibus arteriæ plenæ factæ diſtenduntur ac pulſant, indeque multi flatus ſpiritusque accenſi è cerebro in aures effunduntur, ubi ſonos excitant ab eis pulſatâ myringe. Ad ſonum ſternutatio refertur, quæ cerebrum malè affectum innuit, quemadmodum ex Hippocrate *aph.51. ſect.7.* intelligere licet : Sternutamentum (inquit) cietur ex capite cerebro excalefacto, aut perhumectato ſpatio inani in capite. Aër enim intùs contentus foràs erumpit. Strepit autem, quia per angustum ipſi eſt exitus. Ac ſub ſoni genere etiam ructus eſt ; velutì & borboriſmus, ſeu ſtrepitus, atque crepitus, quorum ructus, qualiscunque ſit, ſemper affectum ventriculi ſignificat : borboriſmus verò atque crepitus, qui obaudiuntur in ventre, affectus frigidos inteſtinorum indicant. Tandem, qui obauditur ſonus ſpecillo in ulcus immiſſo, & oſſe contacto, ipſius oſsis corruptionem præſagit.

Sternutatio quid innuat?

Sternutatio unde procedat?

Borboriſmus quid ſignificet?

Borboriſmus ventris quid indicet?

Sonus oſſium quid innuat?

CAP. XIII.

A juvantibus aut lædentibus ſedes malè affectas, & earum affectus deprehendi.

A Juvantibus, aut lædentibus ſedes malè affectas, & earum affectus dignoſci, Galenus docet *lib. de loc. affect. 1.* Id quod experientiâ conſtat. Nam ſi excreto clyſtere ex oleo rutæ confe-

Unde colicus dolor, qui ex pituita vitrea, deprehendatur.

cto colicus dolor ſedetur, eum à pituitâ vitreâ, aut acidâ in craſsis inteſtinis excitatum eſſe, cerrò ſcire licebit. Si quoque multus aër frigidus inſpiratus ægrum juvat, is igneum affectum vel in thorace, vel in corde ineſſe ſignificat, qui quidem vel peripneumonia eſt, vel febris ardens.

Si frigidus aër ægrum lædat, quid indicet?

Sin contrà frigidus aër, & itidem multus ægrum lædit, affectum in thorace frigidum innuit. Si prætereà in recente iſchuriâ, ſeu urinæ ſuppreſſione clyſter injectus, aut fomentum dolenti pubi admotum dolorem ſedat, & urinam ciet, meatum urinarium veſicæ obſtrui ſignificat, cujus obſtructione urina ſupprimitur. At meatus ille urinarius, ſeu penis, obſtruitur humore craſſo, aut pure, aut grumo ſanguinis, aut denique calculo. Quin etiam ſi bilioſus vomitus dolorem capitis ſedat, caput dolere ex vitio ventriculi, ſcire licet. Si prætereà fomentum ex calente aquâ inflammatis oculis admotum protinùs juvat, affectumque tollit, caput purum eſſe ſignificat: ſed ſi à fotu fluxio renovetur, oculorumque dolor recrudeſcat, caput pravis humoribus abundare, atque corpus vacuandum eſſe, non dubitandum eſt. Prætereà, frigidæ aquæ multa perfuſio æſtate facta juveni bene carnoſo, convulſionem, ſi ulcus abeſt, ſanat, nempè nativum calorem ad locum affectum revocando, quemadmodum docet Hippocrates *aph. 21. ſect. 5.* & Galenus *comment. in eund. aph.* Si item humoris cujuspiam noxii vacuatio vel à naturâ, vel à medicamento facta facilè toleratur, utilis eſſe ſignificatur: ſin contrà, diffi-

Unde morbus meatus urinarii cognoſcatur.

Si fomentū oculis admotum protinùs juvat, quid ſignificet?

Si à fotu fluxio renovetur, quid indicet?

difficulter illa fertur, nihil confert: *teſte eodem Hipp.aph.2.ſect.2.* Si denique quis à morbo cibum aſſumens non corroboratur, ipſe aut pleniùs, quàm par ſit, nutritur, aut evacuationis indiget: veluti docet etiam Hipp.*8 aph ſect.2.* ubi ait, impura corpora tantò plus lædi, quantò magis nutriuntur. Nam cibus præter naturam copioſior ingeſtus morbum procreat, quem ejus ſanatio indicat, *eodem teſte Hipp.aph.17.ejusdem ſect.2.*

Cibus copioſior vitandus.

CAP. XIV.

Quibus ſignis externi tumores præter naturam internoſci poſſint.

EXTERNI tumores, qui glanduloſas partes occupant, phymata, phygethla, & bubones dicuntur: quorum hi ſi ab inflammationibus, aut ulceribus tibiarum, in inguinibus excitantur, febres ephemeras accerſunt: ſed ſi abſque inflammationibus tibiarum pedúmve ipſa obſident inguina, tùm malignas febres atque peſtilentes excitant. Ac è lue Venereâ interdum in inguinibus bubones oriuntur abſque ullâ febre; ſed hi ægerrimè coquuntur & matureſcunt. Item, è carbunculis peſtilentibus ſub alis oriuntur etiam bubones maligni, qui peſtilentes febres adferunt. Alii quoque tumores ex arteriis ruptis fiunt, & maximè ex eis, quæ verſùs genua ſitæ ſunt, & eos aneuriſmata Græci vocant. Hi autem conſpicui ſunt ac rarefacti, atque tactum pulſare percipiuntur, propterea quòd ſpirituoſo ſanguine pleni ſint: dolent etiam, nec tamen calent.

Phymata, phygethla & bubones quid accerſant, ſi ab inflammationibus excitentur?

Si abſq; inflammationibus.

Si bubones è lue Venereâ oriantur, quid fiat?

Aneuriſmata unde fiant.

Varices ubi & quibus evenire solent.

lent. Alii etiam tumores ex ruptis venis apparent, qui molles percipiuntur, nec pulsant, neq; dolent, atque varices dicuntur, qui sæpiùs cruribus ac tibiis, quàm aliis membris corporis, & præsertim prægnantium mulierum evenire solent. In ipsis item tibiis duæ tumorum differentiæ interdum oriuntur, quorum quidam œdemata referunt, alii verò carnosi sunt. Ambo utique hydropis initium præ se ferunt; videlicet œdematosi leucophlegmatiam, & carnosi anasarcam. At qui œdematosi sunt, digito pressi cedunt, vestigiumque sui relinquunt. Neque solùm hydropis initium, sed etiam phthisin & cachexiam indicant. Eveniunt quoque eis mulieribus, quarum menses intempestivè supprimuntur. Carnosi verò duri sunt, nec digito pressi cedunt, quorum color à naturali parum distat. Neque enim perindè albus est, atque œdematosorum. Carnosis item partibus, ut musculis, tumores contingunt, qui aut calidi, aut frigidi sunt. Calidorum autem tumorum quispiam ex sanguine redundante oritur, cui phlegmone nomen est. Hic autem rubet, calet, & extendentem dolorem excitat. Ac ex sanguine melancholico adusto anthrax, h.e. carbunculus fit, cui quidem pustulæ nigræ eveniunt, quæ, si rumpuntur, crustã efficiunt. Hujus generis tumoris duæ sunt differentiæ: unus namque epidemius & pestilens est; alter laniis & pelles tractantibus, qui venenata animalia mactârunt degluberuntque, familiaris ac frequens est. Erysipelas autem calidorum omnium

Oedemata quid præ se ferant?

Oedematis signa.

Quibus œdemata eveniant?

Tumores, qui musculis contingunt, quales?

Phlegmone unde oriatur?

Anthrax unde oriatur?

Signa ejus quæ?

Anthracis species duæ.

mnium tumorum calidiſsimus eſt, eò quòd ex ſanguinis parte calidiore fit, quæ naturalis flava bilis dicitur. Hic autem tumor rubore flavo inficitur, qui digito preſſus, fugâ ſanguinis albeſcit; ſed mox in priſtinum colorem redit, pungentem dolorem, & acerrimum accerſit. Ad hujus tumoris naturam herpes, qui miliaris vulgò dicitur, propemodùm accedit, cujus origo ea eſt flava bilis, quæ excrementitia dicitur. Hujus autem herpetis veſicæ, ſi rumpuntur, alium herpetem efficiunt, ſed exulceratum, quem Eſtiomenum Græci Medici vocant. Ex aliâ autem ſanguinis parte, quæ melancholia dicitur, alius tumor oritur, cui nomen Cancer eſt. Hujus tumoris duo genera ſunt: unus ſimplex, alter exulceratus. Uterq; tangenti calidus occurrit, atque durus, & colore livido: omnium aliorum tumorum minimus incipiens, qui tandem in magnam excreſcit molem. Utrumque circumſtant venæ nigricantes atque diſtentæ, cum acri dolore & pungente. At qui exulceratus eſt, ab aduſtâ melancholiâ originem ſumit; alter verò ab eâ ſanguinis parte, quæ omnium nigrior & craſſior eſt: ex quâ non ſolùm oritur hic tumor, ſed etiam exquiſitus ſcirrhus, qui quidem perindè atq; Cancer, durus eſt ac renitens, ſed non dolens, eò quòd frigidus tumor ſit. Hic autem interdum exulceratur, velutì ſimplex cancer, ſi ſupra modum incaleſcit; quandoquidem atra bilis aduritur. Alter autem ſcirrhus ſpurius dicitur, cujus origo eſt pituita craſſa & lenta. Hic autem tumor etiam frigidus eſt,

Eryſipelas tumor calidiſſimus.

Eryſipelatis ſigna quæ ſint?

Herpes miliaris unde originem ducat?

Cancer unde oriatur?

Duo genera.

Cancrorum ſigna.

Exulceratus cancer unde originē ſumat?

Alter.

Scirrhus exquiſitus unde oriatur?

Spurii ſcirrhi origo.

est, atque colore multùm à legitimo distat. Nam
Signa ejus. spurius pallidus apparet, legitimus verò fuscus: uterque æquè durus ac renitens & doloris expers: atque principium alterutrius multò majus apparet, quàm utriusq; cancri. Aliorum autem tumorum, qui frigidi sunt, œdema etiam est: cu-
Œdema duplex? jus duæ sunt differentiæ, unum videlicet exquisitum, & alterum spurium. At utrumque totum occupat musculum, & maximè quod exquisitum est, propterea quòd ex tenui pituitâ gigni-
Signa exquisiti œdematis. tur. Hoc autem non dolet, & prementi digito cedit, cujus vestigium manet. Quod verò spurium est, minùs quàm alterum diffunditur, minúsque
Signa spurii. prementi digito cedit, nec ullum sui vestigium relinquit, eò quòd ex densiore materiâ oriatur,
Spurium œdema unde oriatur? quæ sanguis pituitosus est, ex quo fit, ut minùs altero frigidum sit, & sentiat aliquantulùm atq; doleat. Hoc autem nimioperè excalefactum & attenuatum, in Cancrum converti potest: nec solùm originis materiâ, sed etiam colore utrumq; distinguitur; quandoquidem quod legitimum est, pallidum apparet, spurium verò rubellum.
Gangræna quid sit? Ac frigidis tumoribus gangræna subjungitur, quæ mortificatio est nondum absoluta. Succedit autem inflammationi, quæ repentè extincta
Gangræna & sphaceli signa. fuit. Gangræna nihil, aut parum admodùm sentit, atque livida est. Huic autem neglectæ succedit sphacelus, quo pars affecta nigra apparet, neque punctionem, nec sectionem, ustionémve sentit: atque propterea mortua videtur. Item, nervosarum partium, veluti pedum & manuum tu-

tumores, tophi, & ganglia dicuntur: qui omnes etiam frigidi sunt. Gangliorum autem duo genera sunt: quorum quædam nihil sentiunt; alia verò acerbissimum dolorem afferunt, eò quòd aut nervum, aut rendinem, aut vinculum aliquod sentiens afficiunt. Ad-hęc, penis tumor peculiaris, satyriasmus seu priapysmus dicitur, cujus causâ ipse penis totus præter naturam perpetuò protenditur. Oritur autem ab eo ulcere, quod ipsius penis summum occupat. Item, in ossibus ex crassâ pituitâ lentâque oriuntur tumores, qui Græcis *exostoses* dicuntur. At sæpiùs digitorum ossibus corruptis eveniunt, quibus digiti tandem decidunt. Eveniunt quoque mollibus naturis, quales sunt pueri, puellæque, ac etiam lue Venereâ correptis, quorum sanguis corruptus malignusque evasit. Ex his autem tumoribus manat crassa sanies melli albo similis, cui nomen meliceris est. Quin etiam articulis tumores eveniunt, qui arthritici dicuntur. Oriuntur autem vel humorum defluxione, vel eorum concretione. At ex humorum defluxione ferè omnes ex pituitoso sanguine, aut cerosò, aut bilioso suscitantur: pauci namque à merâ bile, & pituitâ dulci, aut insipidâ oriuntur. An verò ab atrâ bile arthriticus tumor generetur nec ne, non pauci (nec immeritò quidem) dubitant? quandoquidem atra bilis, ubicunque inhæreat, sensum adimit, & dolorem: quemadmodum ex legitimo scirrho, qui nihil sentit, scire licet. Hujusmodi autem tumores colore, mole, dolore intenso,

Tophi & ganglia quibus partibus eveniant?

Priapysmus unde oriatur?

Exostoses unde oriantur?

Quibus eveniant?

Arthritici tumores unde originem sumant?

Quomodo tumores arthritici distinguãtur?

tenſo,& remiſſo facilè diſtinguuntur. Nam quò rubicundiores apparent, eò majoris copiæ ſanguinis participes ſunt: & quò pallidiores, eò quoque plus bilis flavæ continent. Atque hi omnium minimã faciunt molem, & acerbiorem dolorem afferunt, atque calidiſsimi tactu percipiuntur. Pituitoſi verò omnium maximi ſunt,& minùs calidi. Sanguinei denique inter alios medium obtinent. Tumores arthritici,qui humorũ concretione oriuntur, tophi dicuntur, quorum materia humor eſt craſſus & lentus, in articulis contentus. Hi autem tumores nihil, aut parum ſentiunt,nec dolent, & difficillimè diſſolvuntur.

Tophorum materia quæ?

Illorum ſigna.

Tophos ex lue Venereâ oriri?

Ex lue Venereâ hujusmodi frigidi humores craſſi & lenti in articulis concreſcunt, tumoresque duros gignunt,qui perpetuò dolent, & maximè noctu, ac ægerrimè reſolvuntur. Ob hanc cauſam fiunt exoſtoſes, & oſsium corruptiones. Item,in pericranio varii tumores excitari ſolent, quorum quidam molles ac laxi ſunt, quos Græci hydrocephalos vocant, qui mulieribus, & pueris, atque aliis, naturâ humidis ſæpiùs eveniunt. Alii verò pericranii tumores à practicis Chirurgis talparia nominantur, eò quòd inſtar iſtorum aggerum, quos talpæ ſtruunt, ſimiles appareant. Ibidem ob luem Veneream,ex craſſo frigidoque humore,tumores duri ſæpè oriuntur, qui acerbos cruciatus,& dolores, præſertim noctu invehunt, quoniam eorum cauſa continens adeò maligna eſt, ut oſſa etiam,quibus adhæret, corrumpere poſsit. Tales autem non ſolùm peri-

Hydrocephali quibus eveniant?

Talparia unde dicta.

Unde oriatur?

cra-

cranium & frontem, ſed etiam humeros, cubitos, ſternum, femora & tibias invadunt. Quinetiam in oculis non pauci tumores fieri poſſunt, quorum unus eſt, quem Græci myocephalon vocant, cujus magnitudo caput muſcæ adęquat. Hic autem ex uveæ tunicæ prolapſu initium capit, qui ſi poſthàc ad uvæ acini magnitudinem pervenit, ephylôma ſeu ſtaphylôma nominatur: quiqué, ſi tandem adeò creſcit, ut palpebram ſupereminеat, tùm melen Græcè dicitur: ſi quoque obdureſcat, in tumorem clavo ſimilem vertitur, calidum, & dolorificum eſt. Ibidem etiam magna inflammatio flatuoſa, & dolens fit, quâ oculus viſu privatur. Præterea, ſuperioribus palpebris duri tumores eveniunt, quos vulgares Chirurgi hordeolos nominant: quorum, qui intùs & ſub palpebris latent, ſcirrhorum naturam habent. Palpebris quoque eorum, qui cachectici ſunt, & cruditate laborant, tumores flatuoſi eveniunt, quemadmodum & eis, quibus ipſe hydrops, qui leucophlegmatia dicitur. Item, in majore cantho oculi tumor ſæpè oritur, qui ægylops, h.e. abſceſſus nominatur, ex quo, ſi rumpatur, & ſanies craſſa ejiciatur, fiſtuloſum ulcus fit, quod quidem fiſtulam lachrymalem neoterici Chirurgi vocant: propterea ſi canthus ille digito premitur, pus, quod inter oſſa æthmoidęa, & naſi cutem acervatum eſt, è naribus manat. Atque in internâ naſi parte, quæ carnoſa eſt, affluxu flatulentæ pituitæ è cerebro in hac parte mollis & laxæ tumor quidam oritur, quem Græci ſarcoma

Myocephalon unde initium capiat?

Ephylôma.

Melen.

Ægylops ubi fiat?

Sarcomatis ſigna.

nominant. Hic autem reſpirationem eam, quæ per narem fieri ſolet, prohibet, quia interiora nasi obſtruit. Ibidem quoque alius tumor oritur, cui polypus nomen eſt. Hic autem non mollis eſt ac laxus, ſicut ſarcôma, ſed durus & circumſcriptus, quique pro lunæ incrementis & decrementis augeri atque imminui fertur. Mutatur autem hic tumor in ozenam, ſi exulceretur, è qua teter odor naribus ſpirat. Prætereà, in gargareo, h.e. uvulâ, tumor fit, cui nomen columella eſt, ceu uvulæ relaxatio. Dicitur autem columella, quòd longitudine & figurâ exiguam referat columnam. Quòd ſi uvulæ ſummum ceu caput rotundum & craſsius apparet, quàm ejus radix, affectus ſtaphylôma, h.e. uva dicitur. Ac uterque gargarei tumor è continuo defluxu pituitæ oritur. Item, glandibus, quæ ad linguæ radicem pertinent, inflammationes ſæpè eveniunt, quæ Græcis autiades, & Latinis tonſillæ dicuntur. Hujusmodi autem glandes ex diuturnis defluxionibus à lue Venereâ concitatis indureſcunt ac tumeſiunt: quæ ſi quando exulcerentur, continuam afferunt exſcreationem. Ob eandē luem tumores alii, circa dentium radices, oriuntur, qui ſemper recrudeſcere ſolent, niſi candente ferro eruantur. Verùm alias ob cauſas in gingivis flatuoſum tuberculum innaſcitur, quod Græcis paracilis nominatur. Sub linguâ quoque inflammatio emergit, quæ Græcè vatrachos, & Latinè ramula dicitur. Prætereà, in ſummis digitorum, tumores oriuntur, quibus repentè oſſa cor-

Polypi ſigna.

Quando ozena fiat?

Columella unde dicta.

Autiades quid afferant?

corrumpuntur, atque ipsis ossibus corruptis caro succrescit, affectumque parit, quem Medici veteres pterygion vocârunt. Quin etiam circa unguis radicem tumor interdum nascitur, qui paronychia nominatur. Demùm, externis tumoribus præter naturam apostemata, h.e. abscessus adduntur: quorum tria habentur genera, nempè steatomata, ateromata, & melicerides. Ac steatomata ea sunt, è quibus humor sebo concreto similis ejicitur: ateromata verò, quæ crassam reddunt saniem, eamque pulti similem: denique, melicerides ea sunt apostemata, quæ saniem melli albo non dissimilem emittunt.

Pterygionis signa.

Paronychia ubi nascatur.

Steatoma, ateoma, & meliceris quid.

CAP. XV.

Quibus signis affectus cutis internoscantur.

CUTI hominis multi affectus præter naturam eveniunt, in quorum numero sunt erysipelata & herpetes, quæ quidem magis cutem, quàm carnem afficiunt, aut saltèm utrisq; communia sunt. At ex propriis affectibus cutis sunt ipsæ papulæ, quas Græci hydroa & practici Medici sudamina vocant. Fiunt autem è sudoribus, qui inter cutem & carnem supprimuntur. At supprimuntur, quando hominis corpus, aut ejus pars sudore perfusa frigido aëri exponitur. Ibi etiam sudoris materia in tubercula vertitur, quæ, si jam ipsa materia putruerit, pruriunt; sin minùs, non pruriunt. Sed si putruerit, non solùm suscitantur vesiculæ in cute, sed etiam animalcula

Papulæ unde fiant?

Agrorum origo.

ex pediculorum genere, quæ à noſtris Gallis *cyrons* dicuntur: ac quæ ibi ſcabiem fore indicant, ubi naſcuntur. In cute etiam oriuntur aliæ veſiculæ paulò minores papulis, atque bullis aquæ ferventis ſimiles, quæ phlyctænæ nominantur. Hę autem tibiis ac cruribus potiſsimùm eveniunt, atque ſi rumpuntur, cruſtam efficiunt nigricantem & dolorificam. Diſtinguuntur autem materiâ ab ipſis bullis, quæ carbunculos ſequuntur: quandoquidem phlyctænæ ex ſeroſo humore gignuntur: carbunculorum verò bullæ ab atrâ bile originem habent. Phlyctænæ quoq; atque etiam papulæ ab iis veſicis, quæ variolæ & morbilli à Medicis practicis vocaræ, diſtinguuntur. Nam hi affectus epidemii ſunt & contagioſi, qui ſæpiùs malignam accerſunt & continuam febrem: papulæ verò & phlyctænæ non peſtilentes ſunt, nec epidemii: neque ullam afferunt febrem: quibus omnibus cutis affectibus pueri & adoleſcentes magis obnoxii ſunt, quàm viri & ſenes. Item, in cute tumores fiunt, in quorum numero thymus eſt, qui ſæpiùs anum & penis glandem, quàm quævis alia membra, occupat. Thymus autem ob id dicitur, quòd thymi herbæ flori ſimilis ſit: perindè enim aſper, oblongus, atque ruber, ac thymi flos eſt. Condylomata etiam cutis vitia ſunt, quæ ano, atque ori uteri ſæpiùs eveniunt. Clavi quoque intra pedum digitos naſcuntur. Acrochordones verò atque calli & myrmeciæ, duri tumores ſunt, perindè atque verrucæ, quæ quascunque partes corporis

Phlyctanæ quid ſint?

Differentia inter carbunculos & phlyctænas quæ?

Quomodo phlyctænæ à morbillis diſtinguantur.

Thymus quæ mẽbra occupet?

Etymologia thymi.

Condylomata.

Clavi ubi naſcantur.

poris afficere possunt. Differũt inter se hujusmodi tumores: quandoquidem callus caro quędam est dura aut solida, quæ nec sentit, neque dolet: propterea quòd ad eam nec vena, neque nervus pertinet. Acrochordon autem velut quodam tenui filo eâ in parte, cui inhæret, suspenditur. Myrmecia verò, radice paulò ampliore latioreque, sed capite paulò angustiore, quàm acrochordon existit. Ex eo etiam invicem differunt, quòd myrmecia, si tangitur, dolet, perindè atque vellicans formica: acrochordon verò atque verruca & callus nullo modo dolent.

Acrochordones, calli, myrmecia, & verrucæ, quomodo inter se differant.

Acrochordonis signa.

Myrmeciæ signa.

CAP. XVI.

Quibus signis tumores interni dignoscantur.

TAMETSI internarum partium humanî corporis tumores præter naturam potiùs ratione sumptâ ab excrementis, vel à situ, vel doloris proprietate, vel denique à propriis accidentibus, quàm sensu dignoscantur, ipsi tamen, qui septo transverso, & molli aliquo membro latent, tactu digitorumq; appulsu internoscuntur, dummodò membra malè affecta vi cujusdam affectûs non tumeant. Nam, exempli causâ, si abdômen flatu, aut aquâ turget, tumor hepatis aut lienis, aut cujus alîus visceris tactu non innotescet. Itaque tactu, situ & figurâ, viscerum tumores dignoscuntur. Quare quicunque tumor sub mendosis costis hypochondrii dextri, formâ semicirculari, tactui occurrit, jecur occupat; qui

Tumor jecoris quomodo innotescat.

verò ſub nothis coſtis hypochondrii ſiniſtri, inſtar linguæ bovis tactu deprehenditur, is in liene conſiſtit. Tumores verò epigaſtrii, qui ſæpiùs ſunt abſceſſus, aut ſcirrhi, ſupra atque infra umbilicum tactu figurâ oblongâ percipiuntur. Ipſius autem umbilici tumor, qui omphalocele Græcis dicitur, per ſe ſatis conſpicuus eſt, ſenſui viſûs atque tactûs obvius. Qui quoque ſunt inteſtinorum, mediam & infimam ventris regionem occupant, atque tactu inæquales deprehenduntur, præter eum, qui in colo eſt. Hic enim tumor rotundus eſt, atque durus, inſtar ſcirrhi, æqualiter tactui occurrens. At tumores teſticulorum mulieris in utroque latere inferioris ventris tactu percipiuntur formâ quaſi rotundâ, niſi tumor totius abdominis ſenſum tactûs fallat. Qui verò tumor uterum poſsidet, circumſcriptus paulò ſub umbilicum tactui occurrit, atque mobilis eſt. At qui veſicam occupat, etiam circumſcriptus eſt, & paulò ſupra pubem ſitus. Ipſi autem omnes tumores, ſi calidi ſunt, febrem accerſunt intenſam vel remiſſam, prout pars affecta minùs aut magis naturâ fuerit calida. Quare ex inflammato corde, pericordio, pulmone, diaphragmate, membranâ ſuccingente coſtas, muſculis pleuriis, hepate & ventriculo febres multò calidiores ſunt, quàm eæ, quæ aliarum partium inflammationes ſequuntur. Præter febrem continuam, quæ quamlibet internæ partis inflammationem comitatur, alia concitantur ſymptomata, quibus non ſolùm ipſe affectus præ-

Tumor lienis ubi deprehendatur.

Omphalocele.

Tumorum teſticulorũ mulieris ſigna.

Veſicæ tumores.

Tumores veſicæ calidi quid portendant.

præter naturam, ſed etiam ſedes malè affecta dignoſcitur. Propterea ob peripneumoniam, h.e. pulmonis inflammationem, ægrotantis genæ rubent, ipſe æger difficulter ſpirat, humidâ tuſsi ac ſpumosâ laceſsit; propterea quòd ex inflammato pulmone nonnihil humidi ſpumoſique in tracheam arteriam ſemper exudat, & movetur: dein dolor gravis in medio pectoris percipitur, atque etiam pungens ob eum conſenſum, quem habet pulmo cum tunicâ ſuccingente coſtas. At, quæ febris peripneumoniam ſequitur, quotidiana continua eſt, ſi ex pituita orta eſt peripneumonia; aut ſynochus putris, ſi à bile ſuſcitatur. Symptomata autem, quæ pericardii inflammatio excitavit, ferè ſunt eadem, quæ peripneumoniæ: differunt tantùm ſpirandi difficultate, quæ ex inflammato pericardio paulò levior eſt, quàm peripneumoniæ. Verùm ob utrumque affectum pungens dolor utrumque latus thoracis exercet, qui ad os xiphoidis exporrigitur: febris etiam ardens cum delirio. Ac pleuritidis ſymptomata, quibus illa deprehenditur, ſunt lateris dolor, etiam pungens & acutus, ad claviculam uſque exporrectus: ſpirandi difficultas, cruenta tuſsis, ſynochus febris. Ea verò ſymptomata, quæ inflammatum jecur conſequuntur, ſunt gravis dolor, qui à dextro hypochondrio ad claviculam uſque exporrigitur: tuſsis ſicca & inanis, ſpirandi difficultas: quorum duo poſtrema ex eo fiunt, quòd hepar diaphragmati adhæret. Hanc ob cauſam ægrotus in dextrum latus multò fa-

Peripneumoniæ ſigna.

Peripneumoniæ ſymptomata quomodo deprehendantur.

Pleuritidis ſymptomata.

Inflammati jecoris ſigna.

ciliùs, quàm in ſiniſtrum decumbit: & præſertim donec ventriculus inanis fuerit factus, tùm ægrotus in latus ſiniſtrum faciliùs decumbit. Ob hunc affectum color ægri pallidus eſt, perindè atque in magnis obſtructionibus hujus viſceris. Quòd ſi inflammatio ſimam hepatis partem occupat, dolor potiùs circa colon inteſtinum, quàm verſùs noṛhas coſtas lateris dextri affligit: quam ob cauſam faciei color, & præſertim oculorum, citrinus apparet: eò quòd tùm veſica fellis malè affecta ſuo munere malè fungitur. Proindè excitatur bilioſus vomitus, aut bilis dejectio per alvum. Tandem & paulò ante mortem ſingultus excitatur. Hepatis eryſipelas eadem ferè commemorata ſymptomata, verùm longè graviora, accerſit, quæ repentinam fore mortem ſignificant. Item, inflammatum ſplenem oſtendit dolor ille gravis, qui à ſiniſtro hypochondrio ad claviculam uſque exporrigitur; dein ea febris continua, quæ quartanæ typos refert. Item, ex inflammatis ſtomachi muſculis oritur difficilis deglutitio, colli in utramque partem ægra mutatio, & continua febris. Ac ipſorum tumorum, qui muſculos laryngis, extremæque partis tracheæ arteriæ, quæ pharinx dicitur, occupant, ſigna hæc ſunt, nempè dolor in collo, difficultas tùm ſpirandi, tùm deglutiendi, abſque ullâ evidente cauſâ, continua febris, ſi ipſi tumores, inflammationes, & anginæ ſint. Internis denique partibus capitis duæ tumorum differentiæ ſæpiùs oriri ſolent; nempè phrenitis & lethargus:

Hepatis eryſipelatis ſymptomata.

Inflammati ſplenis ſigna.

Stomachi inflammati ſigna.

Tumorum laryngis ſigna.

quo-

quorum phrenitis inflammatio eſt anterioris partis cerebri; lethargus verò, tumor eſt, qui poſteriorem ipſius cerebri partem occupat. Phrenitidem autem ſignificant, deliria continua, vigiliæ interdiu & noctu perſeverantes, agitatio totius corporis vehemens, atque febris aſsidua. Lethargi verò ſigna ſunt, occipitis gravitas, cataphora, & mentis hebetudo.

Phrenitidis ſigna.

Lethargi ſigna.

CAP. XVII.

Quibus ſignis interna vulnera dignoſci poſsint.

VULNUS, diſſolutio continui eſt, quæ fit in molli membro. In hoc genere ſunt venæ menyngum cerebri, quas vulneratas eſſe ſignificat ſanguis è naribus, auribus & ore ejus fluens, cui caput percuſſum eſt, etiamſi nihil aut fractum, aut contuſum foris in eo appareat. Item, craſſam menyngem vulneratam eſſe indicat fungus, h.e. globoſa denſaque ſubſtantia, quæ quidem fracto cranio conſpicitur: ibi enim fit hic fungus ex tenui menynge ſubſtantiâ cerebri plenâ, quæ per vulnus alterius menyngis, quæ craſſa eſt, pertranſit. Easdem cerebri menynges lædi magis magisque intelligimus, ſi protinùs à caſu, aut ictu æger obmuteſcit, aut paralyſi, aut convulſione, aut gravi ſopore corripitur: quæ etiam ſymptomata eis eveniunt, quorum ipſi capitis muſculi, qui crotaphitæ dicuntur, vulnerati ſunt. Internas quoque capitis partes vulneratas oculi teſtantur, qui ob ictum, aut lapſum ab alto

Definitio vulneris.

Vulneris menyngum cerebri ſignа.

Fungus quid portendat in capite.

Temporales muſculi qui.

rubri inflammatique videntur. Eadem vulnera confirmat bilioſus vomitus, qui vel primo, vel ſecundo, aut deinceps alio die ab inflicto vulnere excitatur. Pulmonem item vulneratum eſſe certò cognoſces, ſi ex vulnere in thorace inflicto flatus exeat, qui accenſam candelã juxta ipſum appoſitam extinguit: aut ſi aphonia, h.e. vocis privatio eveniat, aut ſi ſonorus flatus ore emittatur; ſi denique expuitio ſimul cruenta & ſpumoſa ſit. Eam quoque tunicam, quæ coſtas ſuccingit, ſauciatam eſſe indicat vulnus ipſum in thorace inflictum; è quo etiam flatus exit, qui eandem candelam ei appoſitam ſuffocat. Si prętereà ex thorace vulnerato ſeroſus ſanguis effluit, vulnus pericardium occupare ſignificat, quod quidem perindè lethale eſt, atque illud, quod cordi infligitur; ſed hoc celeriùs, illud verò tardiùs hominem è medio tollit. Ex vulnerato autem corde ſtatim pulſus arteriarum aut languet, aut aboletur: color item repentè fit pallidus, extremarum corporis partium ſudor frigidus percipitur. Quin etiam ob vulnus in diaphragmate inflictum, reſpiratio rara & difficulter fit, eò quòd hoc membrum ſit reſpirandi primum ac præcipuum fundamentum: deindè æger delirat: quo delirio correptus, continuò ridere videtur: cujus riſus Sardonius eſt, qui quidem muſculis labra conſtituentibus fieri ſolet. Diaphragmati item ſauciato talis riſus évenit: propterea quòd hujusmodi muſculorum nervi, qui labra conſtituunt, cum eis conſentiunt, qui

Pulmonis vulnerati ſigna.

Pleuræ ſigna.

Pericardii.

Cordis vulnerati ſigna.

Diaphragmatis vulnera.

Riſus ſardonius unde oriatur?

ad

ad diaphragma feruntur, & eò propagantur. Exindè præcordia ſurſum contrahuntur, dolor ex dorſo ad lumbos, renesque exporrigitur. Item ex hoc vulnere ſanguis perindè ſpumoſus exit, atq; ex vulnerato pulmone; ſed paulò craſsior, & obſcurior. Prætereà, diaphragmatis vulnus inter veras & nothas coſtas infligi ſolet; pulmonis verò in thorace. Item, jecoris vulnus intra nothas coſtas hypochondrii dextri ſuſcipitur, è quo ſanguis multus, craſſus ac niger exit: hinc quoque ad jugulum uſque dolor exporrigitur. Sed an cava hepatis pars, an verò ſima fauciata fuerit, ex flavâ bile intelligi poterit, quæ ſi per vulnus exit, cavum hepatis fauciatum eſt. Quam ob cauſam nō ſolùm è vulnere, ſed etiam ex ore per vomitum ipſa bilis exit. Hoc item vulnere præcordia intenduntur & obdureſcunt. Vulnus quoque ſplenis inter nothas coſtas ſiniſtri hypochondrii ſuſcipitur, undè tenuis ſanguis & niger manat: atque hinc dolor etiam ad jugulum uſque pervenit; præcordia & ventriculus contenduntur. Quin etiam vulnerata veſica cognoſcitur, ſi paulò ſupra pubem vulnus inflictum ſit, undè ſanguis loco urinæ per penem exit; atque exhinc dolor uſque ad inguina exporrectus percipitur. Peritoneum quoq; tùm pertuſum eſſe ſcies, cùm vulnus paulò ſupra umbilicum inflictum eſt, è quo vel epiploon, vel inteſtinorum aliquod egreditur. Prætereà, vulneratum ventriculum indicant cibus & potus, quæ per vulnus excernuntur, & præcordiorum tenſio.

Jecoris vulnus.

Splenis.

Veſicæ.

Peritonei.

Ventriculi.

Tenuium inteſtinorũ. ſio. At ſi tantummodò chylus è vulnere profluit, tenuium inteſtinorum aliquod ſauciatum eſſe ſignificat. Sin alimenta nihil mutata per vulnus exeunt, pulſus debilis percipitur, animus deficit, extrema corporis ſudore frigido perfunduntur, *Stomachi.* vulnus ſtomachi, quod quidem lethale eſt, ſignificant. Hoc autem vulnus in poſteriore colli parte ſuſcipitur. *Uteri.* Præterea, quod vulnus intra umbilicum & os pubis inflictum eſt, è quo multus ſanguis exit, vulneratum uterum ſignificat: ſin ſanguis ipſe, non ſolùm per hoc vulnus, ſed per os vulneratum fluit, tunc uterum pertuſum eſſe non ignorare oportet: atque hinc dolor ad inguina & crura uſque exporrigitur; quandoquidem vincula ſuperioris partis uteri primùm ad inguina, & ab his ad fœmora feruntur. Atque etiam ab his nervi, venæ, & arteriæ ad collum uteri propagantur. At ſi ob uteri vulnus mulier obmutueſcit, aut delirat, hoc lethale eſt. Item, vul- *Renum.* neratos renes eſſe vulnus in dorſo circa lumbos inflictum ſignificat: quo dolor uſque ad ilia, inguina & teſtes extenditur; urina mejitur cruenta. Item, ex vulnere in poſteriore colli parte ſuſcepto, ſi inferiorum partium corporis quædam convellitur, principium nervorum, qui ad convulſam partem feruntur, lædi, ſignum eſt. Si ve- *Venarum jugulariũ.* rò colli latus, vulnus ſuſceperit, atq; ex eo multus ſanguis profluxerit, venas jugulares pertuſas eſſe ſignificat. Sed ſi hoc vulnus profundum eſt, & ſanguis hinc profluens exilit, ac tenuis *Arteriæ carotidis.* ſplendidusque apparet, arterias carotides, h. e. ſa-

pora-

porarias pertusas esse, certò scire licet. Sin quoque ex colli vulnere æger obmutescit, nec spirare potest, nervum reversivum vulneratum esse, non dubitandum est. Hic autem nervus musculo laryngis inseritur. Sin præterea ex anteriore colli parte vulneratâ tantus exit flatus, ut accensam candelam ori vulneris appositâ extinguit, tracheam arteriam pertusam esse, scire convenit. Ex aliis autem arteriis vulneratis sanguis tenuis & roseus exiliens profluit; qui verò ex venis pertusis manat, is crassus est ac niger. Postremò, junctura rum vulneribus nervi atq; tendines potissimùm secantur; quoniam hujusmodi partibus ipsæ junctura æ constant. Propterea si ex vulnere in alterutrâ manu inflicto ipsa tota, vel ejus pars stupet, tumet, refrigeratur, gravisque præter modum redditur, quemdam nervum sauciatum esse non dubitandum erit: sed si nihil tumet, nec refrigeratur, nec tamen flecti extendique potest, tùm non nervum, sed tendinem vulneratum esse, conjicere licebit. Cæterùm, si gladio cæsim, aut punctim vulnus inflictum est, statim vulneratum membrum convellitur, quia nervus aut tendo ejus punctus est; sed utrum amborum læsum sit, ex eo sciri potest, quòd si tendo semisectus sit, illæso nervo pars affecta non solùm convellitur, sed etiam acerrimo dolore affligitur. Quòd si denique utrumque læsum est, affectum membrum simul tumet, dolerque, & interdum convellitur, & præsertim, si semisectus sit nervus.

Nervi reversivi.

Trachea arteria.

Arteriarũ.

Venarum.

Nervorum.

Tendinum.

CAP.

CAP. XIIX.

Quibus notis ulcera diſtinguantur.

MOLLIUM membrorum diſſoluriones continui etiam ulcera ſunt, quorum omnium cauſæ vel externæ, vel internæ ſunt. Ulcerum autem quædam ſunt ſimplicia, quædam mixta: Simplicia ea dicuntur, quæ accidentibus & cauſis continentibus carent; mixta verò, quæ ſuam habent internam cauſam. Hæc autem cauſa eſt duplex: quædam enim antecedens, & alia continens dicitur. Mixta etiam ex eo nominantur, quòd aliis affectibus præter naturam permiſcentur. Hujus generis ea ſunt, quæ tantum dolorem tamque acerbum afferunt, ut ipſe, prætermiſſo ulcere, totam curam ad ſui mitigationem revocet. Nam dolor urgens rationem cauſæ morbi obtinet: propterea vitandi doloris gratiâ pharmaca detergentia dolorificis ulceribus admoveri non ſolent. Ulcerum item, quæ cum aliis affectibus permiſcentur, quædam ſunt, quæ varicoſa dicuntur, quæ ſæpius crurum tibiarumque muſculis, quàm aliis membris eveniunt. Hujusmodi autem ulceribus venæ turgent, atque inſtar olivæ fructuum nigricantium inæquales apparent; propterea quòd ex venis ruptis varices fiant. Prætereà, corruptis oſsibus interdum ulcera connectuntur, quæ ad cicatricem perduci non poſſunt; quorum Hippocrates meminit *aph. 45. ſect. 6.* ubi, in annuis ulceribus, os neceſſariò abſcedere, ſcriptum reliquit. Item, ulcerum mixto-

Ulcera duplicia.

Simplicia.

Mixta.

Ulcerũ varicoſorum ſigna.

mixtorum alia sunt sordida, utpotè quæcunque ex phlegmone suppuratâ originem habent. Alia item virulenta dicuntur, eò quòd ichorem, hoc est tenuem saniem, ceu virus reddunt. Hujusmodi autem ea sunt, quæ suppurato erysipelati, aut herpeti succedunt. Quin etiam alia sunt putrida, quæ ex œdemate suppurato gignuntur: alia quoque cancrosa, quæ suppuratis scirrhis succedunt. Hæc autem ab exulceratis cancris multùm distant. Nam exulcerati cancri dolorem pungentem excitant; scirrhi verò cancrosi non dolent, nec labra habent dura, neq; aspectu horribilia sunt, instar cancrorum exulceratorum. Item, ex his mucosa crassaque sanies; ex cancrosis ulceribus meliceris manat. At quæ herpetibus, & erysipelatibus succedunt, nomæ Græcis dicuntur; propterea quòd non solùm cutem, imò etiam carnem exedunt, atq; per eam serpunt: propterea depascentia nominantur. In hoc ulcerum genere est herpes ille, qui estiomenus dicitur, qui quidem ex pruriginosis vesicis, quæ disruptæ sunt, originem habet. Hoc autem, si latiùs extenditur, solidasque partes depascatur, in phagedænicum mutari solet. Item, ulcerum quædam toto genere maligna sunt, velutì ea, quæ suppuratis carbunculis, atque gangrænis succedere solent. Hæc enim morticinam & insensilem reddunt carnem, eamque sæpiùs in sphacelum mutant, & ea præsertim, quæ ex gangrænis absolutis fiunt, quæ fœtidam rejiciunt saniem, nec pruriunt, neque acria sentiuntur; quan-

Quænam sint ulcera sordida?

Virulenta.

Putrida.

Cancrosa.

Noma unde dicta.

Herpes estiomenus quid.

Maligna.

quandoquidem non ſentiunt, quorum fœtor quatriduanum cadaver redolet. Alia item ſunt ulcera, quæ ex ruptis abſceſsibus fiunt, quorum quædam ſinnoſa, & alia fiſtuloſa ſunt: quorum quæ ſunt ſinnoſa, ora habent anguſta, & labra mollia, & pus dejiciunt; fiſtuloſorum verò tametſi os ſimiliter anguſtum ſit, labra dura ſunt, atque ſanies, quam reddunt, craſsitudine, quâ prædita eſt, melicerin refert. Ipſa denique mixta ulcera maximè omnium ſuis diſtinguuntur excrementis, quorùm præcipua genera quatuor numero ſunt, nempè ſanguis, pus, ſanies craſſa, quæ meliceris dicitur, & tenuis, quæ ichor, ceu virus. Sanguis autem ulcus, unde manat, nondum carne impletum, nec ad cicatricem obductum eſſe ſignificat: ac tùm ex eo effunditur, cùm ſpecillum, aut aliud pungens intromittitur; quandoquidem vel venæ ruptæ ſunt, vel exeſæ. A pure etiam ulcus purulentum nomen ſortitur, quale ſinnoſum eſt, è quo, velut è ſinu quodam, multa puris copia effluit. Item ab ichore, h.e. viru, virulentum ulcus, denominatur; propterea quòd ab eo virus manat. Altera autem ſanies, quæ craſſa eſt, & meliceris nominatur, ab aliis ulceribus excerni ſolet, quæ compagines membrorum occupant. Talis autem hæc eſt, eò quòd hujusmodi exulcerata membra, ex nervis, tendinibus, & vinculis conflata ſint. Quædam etiam ſanies eſt, quæ fœtet, & quæ ab eo ulcere manat, quod ſuppurato carbunculo, aut gangrænæ in abſceſſum mutatæ ſuccedit.

Sinnoſa.

Fiſtuloſa.

Ulcerum excrementorum genera quatuor.

Sanguis quid ſignificet.

Unde ulcus purulentum nomen habeat.

Sanies quæ fœtet.

CAP.

CAP. XIX.

Quibus ſignis ulcera internarum corporis partium internoſci poſſint.

QUONIAM pulmonem exulcerari ſæpiùs contingit, ſigna, quibus ulcus ejus deprehendi poſsit imprimis, tradere viſum eſt. Ipſa autem ſigna ab excrementis deſumuntur, quorum ſanguis eſt, qui, ſi extuſsitur multus, venas ipſius pulmonis ruptas, aut eroſas eſſe ſignificat. Eroduntur autem pulmonis venæ aut ſanguine, qui in eo putrefactus eſt, aut alio quovis humore à capite in ipſum defluxo. Quòd ſi cum eodem ſanguine pulmonis particula, aut exigua cartilago, aut denique venæ arteriæque portio tuſsi dejicitur, pulmonem exulceratum indicat. At ipſa pulmonis particula tuſsi violentâ excreta dignoſcitur, ſi accenſis carbonibus appoſita, & exuſta, & graveolet. Cæterùm, hæc particula non ſolùm ulcus, ſed etiam quandam pulmonis portionem jam putridam eſſe ſignificat. Præter hæc ex pulmonis ulcere totum corpus ægrotantis contabeſcit, atque ejus genæ liveſcunt: ungues, exhauſtâ digitorum carne, curvantur: capilli, alimenti penuriâ, decidunt: pedes interdum tumeſcunt: urinæ quoq; oleagineæ ac furfureæ apparent: ſitis inexhauſta excitatur, atque cibi faſtidium. Ab ulcere tracheę arterię bronchium, h.e. cartilago, ſenſim, donec omninò excretum ſit. Diſtinguitur autem ab eo corpuſculo, quod quidem ab epiglottide exulcerato extuſsitur;

Quibus ſignis ulcus pulmonis cognoſcatur.

Quibus modis vena pulmonis erodantur.

Particula pulmonis excreta quid portendat.

Trachęæ arteriæ exulceratæ ſigna.

quandoquidem hoc non absq; dolore, illud verò
Ventriculi. sine dolore excernitur. Exulceratum item ventriculum dolor acris paulò supra umbilicũ perceptus calidorum aut frigidorum sorbitione significat. Hinc pus etiam interdum vomitione,
Tunica, si evomitur, quid significet. interdum alvi dejectione excernitur. At si tunica evomitur, aut ventriculi, aut stomachi erosio significatur: ob quem affectum lingua inficitur, cibi fastidium evenit: sed ulcus stomachi multò graviora invehit symptomata, quàm ipsum, quod ventriculi est, nempè animi deliquia, extremarum corporis partiũ frigus, dolor deglutitione cibi & potionis perceptus: quo affectu correptos, Gal. *lib. de loc. affect. 4. & cap. 5.* omnes, præter eos, qui ętatis beneficio servantur, interire ait.
Crassi intestini exulcerati signa. Quin etiam crassa tunica cum magno tormine
Tenuis. per alvum ejecta ulcus crassi alicujus intestini, & dysenteriam indicat. Tenuis verò itidem per alvum excreta cum dolore circa umbilicum, tenuium intestinorum aliquod exulceratum esse præsagit. Cæterùm, ob ulcus, tùm tenuis cujusvis intestini, tùm crassi, sanguis interdum, pus aliàs cum alvi excrementis permixtum evacuatur. Alterutrum autem, aut paucum, aut multum excernitur: sed si paucum est, arguit ulcus in re-
Tenesmi signa. cto intestino, quod tenesmum Græci vocant, quo alvi excrementa, non nisi magnâ cum molestiâ, & conatu, dejiciuntur. Sin verò illud pus, aut sanguis est multus, aliquod crassorum intestinorum exulceratum esse significat: quam ob causam pungens dolor utrumque latus ventris fatigat,

gat, atque alvi excrementa difficulter egeruntur. Hæmorrhoidum ulcus à teneſmo multùm diſtat: quandoquidem ex hoc pus, aut ſanguis ſemper cum alvi excrementis exit, veluti ex aliis craſsis inteſtinis, quæ exulcerata ſunt: ſed ab hæmorrhoidum ulcere alterutrum per ſe, & absque alvi fæcibus, excernitur. Quin etiam ab exulcerato meſaræo pus cum alvi excrementis dejicitur. Atq; ob hoc ulcus dolor circa umbilicum absq; ullo tumore alterutrius lateris tactui occurrit. Item, ab ulcere jecoris pus per anum absque alvi excrementis fluit: quod quidem ulcus abſceſſus, & abſceſſum inflammatio præceſsit. Prætereà, ex ulcerato liene pus etiam cum alvi excrementis exit: atq; hoc ulcus abſceſſum conſequitur, velut hunc inflammatio. Renes item exulceratos multum pus cum urinâ excretum ſignificat; quam ob cauſam lumbi dolent: ſin alteruter ren malè tantùm afficitur, dolor gravis eam lumborũ partem affliget, quæ exulcera eſt. Adde, quòd dolor exulceratorũ renum multâ equitatione, aut ambulatione magis ac magis irritatur, veluti diureticorum, tùm alimentorum, tùm medicamentorum uſu. Pus itidem, cum urinâ dejectum, exulceratam ſignificat veſicam. Hoc autem paucum eſt & lentum, propterea quòd à nervoſo membro manat. Quod verò ab exulceratis renibus cum urinâ excernitur, multum eſt & craſſum; atque altero tardiùs ſubſidit. Item, ob ulcus veſicæ dolor circa pubem perpetuò ſentitur, & tùm maximè inter mejendum: atque interdum pudendum

Hæmorrhoidum.

Meſenterii.

Jecoris.

Lienis.

Renum.

Dolor quando irritetur.

Veſica.

dolet,& petulanter arrigitur. Præterea,ex ulcere veſicæ pelliculæ lamarum foliis ſimiles ſimul cum urinâ exeunt. Ipſum autem ulcus veſicę,vel ſordidum eſt,vel depaſcens. At ex ſordido mucoſa fœculentaq; unà cum lotio excernuntur : atq; ipſius urinæ hypoſtaſin craſſam, & farinæ ſimilem faciunt:ſed ex depaſcente urinâ redditur interdum cruenta,interdum ſanioſa & fœtida. Ité, ulcus hoc vel veſicę profundum amplitudinemque,vel collum ejus occupat:ſed ſi in amplitudine eſt, dolorem circa pubem ciet ; ſin verò collum afficit,dolor in perinæo percipitur, atq; etiá in pene,& maximè cùm incipit,ac deſinit urinæ dejectio. Qui denique ulcere veſicę corripiuntur, aſsiduè decumbere neceſſe eſt, quoniam nec ereƈti ſtare,nec reclinati quieſcere poſſunt. Ureteres quoque exulcerari poſſunt, quorum ulcus ſignificant, hæc nempè pus in urinâ innatans, quod capillorũ ſpeciem refert ; dein dolor inter renem & pubem perceptus. Ulcus item in pene doloré acerbum invehit,quoties ipſe penis erigitur,atq; dum incipit & deſinit urinæ minƈtus. Hîc tale ulcus ex virulentâ gonorrhœâ excitari ſolet: ſed hanc ob cauſam pallida ſanies ac craſſa absque urinâ,tùm dormienti,tùm vigilanti dejicitur, eò quòd vaſa ſpermatica malè afficiuntur. Uterum item exulceratum ea indicant,quę ab eo per mulieris pudendum excernuntur : quæ pro ulceris differentiâ variant. Nam quod ab inflámato ulcere excernitur, id paucum eſt atque cruentum, & pungentem dolorem excitat,qui ab oſſe pubis

Ulceris veſicæ ampliſigna.

Colli veſicæ.

Ureterum.

Penis.

Uteri.

uſque

uſque ad inguina & fœmora exporrigitur. Quod verò ab ulcere ſordido exit, id copioſum eſt & ſanioſum. Hoc ulcus leviorem affert dolorem, quàm cætera. Quod etiam uterum depaſcitur,& per eum ſerpit,ſaniem graveolentem cum ſęvioribus doloribus reddit. Tandem ob hujusmodi ulcera in utero dolores ſyncipitis excitantur,qui ad oculorum radices, atq; manuum digitos pertinent. Ulcus deniq;,quod uteri collum occupat, *Colli uteri* tùm nobis ſignificatur, cùm primùm per muliebre pudẽdum ſanguis ſeroſus exit, eò quòd tùm interior particula ipſius colli eroditur; dein ſordes ejiciuntur. Ob hoc ulcus dolor acris & pungens excitatur circa eam appendicem, quæ oſsi ſacro adnaſcitur,& Græcis κόκκυξ, Latinis *cauda* nominatur, qui hinc ad fœmora protenditur.

CAP. XX.

Quibus ſignis oſſium continuitatem diſſolutam eſſe deprehendimus.

DISSOLUTIONES continui,quæ oſsibus eveniunt,fractura & caries dicuntur,quarum fractura multis modis deprehenditur. Primùm quidẽ,quòd os fractum eſt,occurrit inæquale tactui: deinde pungentem dolorẽ adfert: præterea ipſum cõmotum ſonat. Pòſt decurtatũ apparet, & flectitur,ſi movetur: quę omnia fractis oſsibus eveniunt,niſi conjunctis, veluti tibiis & cubitis, quæ ſemper geminata ſunt, quorũ unum altero illæſo frangi poteſt. Quodcunq; os inſtar arundinis,aut raphani frangitur: ſed priore modo ſe- *Fractura ſigna.* *Os ſecũdum longitudinẽ & latitudinẽ frãgitur.*

cundùm longitudinẽ, posteriore secundùm latitudinẽ frangitur. Nam arundo, si calcatur, in plures partes secundùm longitudinem distribuitur; raphanus verò transversim secari solet, atque in duas partes duntaxat dividitur. Quæ omnia, ut magis magisq; nobis innotescãt, exemplis illustrare convenit. Itaq; cranium, quod vel fractum, vel scissum est, nondum nobis significatur, nisi ademptâ cute os depressum aut cõfossum videatur. Sed si nõ tale apparet craniũ, tunc atramento scriptorio, aut alio quovis colorato humore inficiendũ & protinùs detergendũ est: atq; ubi atramenti vestigiũ remanet, ibi os scissum esse multi Chirurgi judicant. Sed cranii fractura atq; rima multò certior nobis fiet, si nucem aut aliud quidvis durum æger dentibus suis frangẽs aliquâ in parte capitis dolorem sentit; quandoquidem ubi dolor sentitur, ibi morbus est. Os autẽ quodvis, quod carioſum corruptumq; est, etiamsi latet aut apertum non est, signis sequentibus deprehendi poteſt. Primum enim, quod sub nostrũ aspectum cadit, si tale est, perforatum, aut nigrum, aut lividum apparet: quod verò latet nos, specillo in ulcus immisso percipitur; quandoquidem tale os, aut molle, aut asperũ, hoc modo percipitur. Præterea, ob hujusmodi ossis corruptionẽ, ulcus ad cicatricem perduci nõ potest, *teste Hipp. aph. 45. ſ. 6.* Ulcera (inquit) annua, aut diuturniora, quę cicatrices cavas faciunt, abscessum in osse significãt, quo nomine abscessus, ossis corruptionem Hippocrates innuit.

Cranii fracti signa.

Dolor quid arguat.

Caries ossiũ quomodo deprehendatur.

Ulcera diuturniora quid significent.

FINIS.

N. ABRAHAMI FRAMBESARII

CANONUM
ET
CONSULTATIONUM
MEDICINALIUM
LIBER,

Complectens Methodum in curationibus Tumorum contra Naturam observandam.

FRAMBESARII IN CANONES MACHAONIOS

PRÆFATIO.

NON eſt de nihilo, quòd Galenus Medicum Duci militari, Architecto, & Nauclero comparat. Sicut enim Exercitus ductor militibus; Architectus cæmētariis, fabris lignariis & aliis opificibus; Navarchus nautis & remigibus imperat: ita quoq; Medicus Chirurgis, Pharmacopœis, aliisq; ſuo regimini addictis præſcribit, quid agendum ſit; ut corporis humani hoſtes domeſtici, victoriâ laudabili proſternantur. Etſi enim antiquitùs Medici (antequàm morborum curatio divideretur) præpararent ipſi medicamenta, & manuarias quoque operas in morbis curandis exercerent; tempore tamen Eraſiſtrati (qui circa octuageſimum annum ſupra centeſimum poſt Hippocratis mortem vixit) hic ordo in benè conſtitutis Rebuspub. cœpit, ut Medicus eſſet caput, Chirurgis, Pharmacopœis, & ęgrorum adſtantibus imperans; ipſi verò miniſtri ſub Medici vexillo & obedientiâ manum admoverent operæ, ſinguli peculiares ſuas functiones adepti. Quanquàm autē Medicus, ut dignitati ſuæ tantò plus ſplendoris conciliaret, ſcientiam ſuam retinens fundatam ratione & conſilio, tanquàm nobilioribus ac liberalioribus partibus, omnium manuariarum operationum jugum excuſſerit; Chirur-

rurgisq; vices curandi morbos extrinsecos commiserit; sibi tamen reservavit non modò observationem & curationem causarum in illis internarum, sed etiam cognitionem essentiæ omniũ affectuum exteriorum manu tractandorum, inspectionem simul atque moderationem operationis Chirurgicæ. Proindè Medicus doctor, ductorque permansit Chirurgorum; hi verò ejus discipuli & operarii, mutuò sibi utrique obstricti: ille ut doceat; hi ab illo discant præcepta artis: sicque sub ejusdem ductu hostes, corpus humanum extrinsecùs adorientes, forti manu conficiant. Hanc ob causam, quod ad ipsam scientiam pertinet, primum locum jure optimo Medicis assignẽt Chirurgi, veluti certo respectu Medici, quoad usum & operas manuum, Chirurgis primas relinquunt. Eodem planè modo edicta Regis, sententiæ supremarum curiarum, & antiquę constitutiones in favorem Medicorum factę, expressè sanciunt atq; jubent, ut Chirurgi Doctores Medicos agnoscant & observent, tanquàm suos magistros, ac summos judices. Ex altera parte æquum est, Medicos arbitrari, sui esse muneris, Chirurgos docere regulas ac fundamenta artis suæ, ipsosque probè ac securè sub cohorte suâ ad conflictum contra Naturæ juratos hostes ducere. Ego itaque, ut ipsis in eo, quod mearum est partium, satisfaciam, secutus doctrinam probatorum Authorum, Græcorum, Arabum, & Gallorum, adjutusque experientiâ, quam fieri vidi indè usque ab ineunte ætate, temporis ali-

quam uſuram collocavi ad cócinnandos ac conſcribendos brevi, diſtincto, ac familiari ſtylo Canones univerſales apprimè neceſſarios, ut diſcentes in theoriâ bona jaciant fundamenta, & in praxi Chirurgiæ probè dirigantur. Atque ut quis Chirurgiam methodicè exerceat, opus eſt, nõ ſecùs ac in faciendâ Medicinâ, primò cognoſcere & conſiderare præſentem morbum, qualis ille ſit, unde generatus, & ubi ſedem ſuam fixerit. Dein proſpicere proindè ac præſagire, an quod periculum ſubſit, vel minùs; an etiam vel tardam curationẽ affectus admittat; ut, ſi res diſcrimen aliquod minatur, tempeſtivè moneantur, qui ægro amicitiâ ſunt juncti: & ſi incurabilis eſt morbus, eum ne aggrediatur quidem. Tertiò in ipſa curatione, ſiquidem ea ſperabilis videatur, ut par eſt, procedat. Hoc ſenſu ſtatui primo loco docere Canones Diagnoſticos, quibus Chirurgus in præſentis morbi cognitionem deveniat: tùm tradere Prognoſticos ad judicandum de illius ſucceſſu: poſtremò Therapeuticos, rationem ſcilicet benè curandi. Cumque morborum externorum, quibus Chirurgi ſuppetiæ requiruntur, quinque ſint genera: Tumores præter naturam, Vulnera, Ulcera, Fracturæ, & Luxationes; hac methodo nõ minùs perſpicuâ, quàm ſuccinctâ ſingula eorum perſecutus ſum. Quòd ſi animadvertero, hunc meum laborem Chirurgis eſſe acceptum, in eo ero, ut, ipſorum gratiâ, plus ocii ubi nactus fuero, opus hoc ampliùs, magisq; auctum producam.

DE

DE TUMORIBUS PRÆTER NATURAM.

CANON I.

TUMOR contra naturam est solutio continuitatis, proveniens ab aliquo humore in certo loco corporis collecto, qui disjungit partes unitas, interq; eas se insinuat, alterato earum temperamento impressoq; qualitatis suæ vitio, undè partes illas reddit deformes, dum naturalem suam quantitatem egrediuntur. Adest igitur intemperatura & mala conformatio cum solutione continui. Præbuit hæc res occasionem Arabibus, ut definirent Tumorem contra naturam Dispositionem compositam ex tribus morbi generibus in unam magnitudinem collectis, eumq; appellaverũt APOSTEMA.

Quid sit Tumor cõtra naturam?

NOTÆ.

TUMOR.] In definitione Tumoris contra naturam Genus constituimus *Solutionem continuitatis*. Paulò pòst dicimus, *provenire eam ab aliquo humore in certo corporis loco collecto*, ad differentiam tumorum contra naturam, qui apparent in dislocationibus & fracturis, ubi non sunt humores, sed os elevatum. Quæ sequuntur in definitione, adjecta sunt, ut meliùs exprimeretur, quomodo humor producat solutionem continui, cum intemperatura & deformitate. *Gal. ad Glauc.*

Ratio definitionis.

APOSTEMA.] Origo hujus vocis est à Græco ἀφίστημι, quod Latinis est *abscedere*, cùm quidpiam ab uno loco abscedit & in alium se recipit. Nam humores, qui Apostema faciunt, è venis prodeunt, procul à sua massa, omissoque loco suo & gubernatione Naturæ, recipiunt se in alium aliquem locum sive partem corporis, eamque obsident, constituentes ibi sibi sedem, adhibentes vim repugnanti Naturæ. Unde patet,

Origo nominis Apostematis.

patet, Græcum nomen ἀπόστημα, & Latinam vocem *abſceſſus* ſignificare collectionem humorum è proprio naturalique ſuo loco ſeorſim digreſſorum. Et hæc eſt cauſa, quare Arabes voce APOSTEMATIS generatim utuntur, adducti ratione etymi, pro quovis Tumore contra naturam. Idem verò & Græci aliquando faciunt; ſed hi ſæpiùs id vocabulum ſumunt in ſpecie pro Tumore orto à materia aliqua extranea, membrana quadam concluſa, non diſſimili ſevo, aut pappæ, vel melli, unde hæc nomina, *Steatoma, Atheroma, Meliceris*, Utuntur & aliquando pro *Phlegmone* vergente ad ſuppurationem, vel quovis alio tumore, cujus materia in pus convertitur. Unde vulgus Chirurgorum etiam apud alias Nationes hanc loquendi formulam traxit, ut dicant, *Tumor ille in Apoſtema degenerat*, i.e. ad ſuppurationem pervenit.

Ejus uſus duplex, generalis & ſpecialis.

II.

Fit autem Tumor contra naturam duobus modis: per Fluxionem, vel per Congeſtionem. Fluxio fit ſubitò, cùm humor peccans vel in quantitate, vel qualitate, ſimul ac ſemel & cum quadam violentia irruit in aliquod membrum, ob plenitudinem vel cacochymiam totius corporis, vel vi partis expellentis, vel ob debilitatem, raritatem, laxitatem, declivem ſitum, calorem vel dolorem recipientis. Congeſtio verò paulatim fit, cùm ſuccedente tempore humor quiſpiam excrementoſus ſe colligit in parte aliqua corporis, ob imbecillitatem facultatis concoctricis & expultricis.

Tumor alius à congeſtione, alius à fluxione.

NOTÆ.

Fluxio quid ſit, & unde. FLUXIO.] Fernelius *cap. 1. lib. 7. Pathologiæ ſuæ* definit Fluxionem impetuoſam & ſubitam effuſionem humoris in majore quantitate, quàm ad nutritionem illius partis requiratur. Procedunt autem cauſæ Fluxionis à vitio totius corporis, vel partis mandantis, aut recipientis. A` toto corpore, cùm id eſt Plethoricum, vel Cacochymicum, ut ſic vel abundantia, vel malitia materiæ irritet naturam ad excretionem. A` parte mandante, quòd hæc utitur virtute ſuâ expultrice ad ejiciendum foràs aut aliò amandandum humores peccantes, qui ei vel quantitate ſuâ, vel qualitate moleſti ſunt, ut

iis

iis se exoneret.) A recipiente, propter ejus debilitatem, raritatem, laxitatem, situm declivem, vel calorem aut dolorem à causis internis vel externis provocatum.

CONGESTIO.] Congestio est cumulus excrementorum tertiæ concoctionis, qui paulatim aggeritur in parte aliqua corporis ob impotentiam virtutis digestivæ vel expulsivæ, sic, ut debilitas facultatis concoctricis in illa parte impedimento sit, ne fiat assimilatio humorum & alimenti depravati eò missi. Imbecillitas verò virtutis expultricis rejicere superfluum non potest. Nam (ut ait Fernelius) postquàm pars tàm imbecilla est, ut nutrimentum ad se transmissum in propriam suam substantiam convertere non possit, vel si adeò corrupta est, ut idem quoque nutrimentum corrumpat, neque superfluitates ibi genitas rejicere & exonerare queat, necessariò sequitur, ut congestio quædam contra naturam fiat, & per consequens Tumor. Porrò, cùm materia congestionem faciens non emittatur, sed multiplicetur & accumuletur per imbecillitatem partis, certum est, Tumorem, qui per congestionem fit, non generari à causa antecedente, (ut in Fluxione accidit) sed solummodo à causa conjuncta. *Congestio quid sit, & unde.*

III.

Cùm autem quatuor sint Humores principes, Sanguis, Bilis, Pituita, Melancholia; generãtur quoq; quatuor Tumores principales, Phlegmone, Erysipelas, Oedema, Scirrhus, ad quas quatuor species cæteræ omnes reduci possunt. Tot genera tumorum, quot humores.

NOTÆ.

Sumuntur differentiæ Tumorum contra naturam aliquando à quantitate, unde & appellantur Magni, Mediocres vel Parvi, aliquando ab accidentibus, putà à primis vel secundis qualitatibus, quarum respectu vocantur calidi & frigidi, molles sive duri: interdum dicuntur à calore albi, flavi, rubicundi, lividi. Ratione doloris, cùm is est vel intensior, vel remissior. Ratione partium affectarum: ut in oculo est Ophthalmia, in auribus Pareotis, in digitis & radicibus unguium Paronychia: inprimis autem desumuntur à materia, è qua generantur: adeò ut, *teste Galeno cap. 4. lib. 13. Meth.* diversitas omnium Tumorum contra naturam proveniat à natura illius, quod fluit, i.e. à diversitate materiæ, quæ producit Tumorem: *Tumorum differentiæ unde sumantur.*

morem: & hinc quidē sunt diversa genera Tumorum. Cùm autem materia uniuscujusque Tumoris ad unum ex illis quatuor principibus Humoribus referri possit, ideò veteres Medici omnes Tumores ad unum genus è quatuor illis principalibus referre voluerunt.

IV.

Quid sit Phlegmone.

Phlegmone est Tumor generatus à sanguine laudabili in qualitate, prosiliente simul ac semel extra venas majore quantitate, quàm pars illa ad nutrimentum sui opus habeat, inducens calorem, ruborem, tensionem, renitentiam, pulsationem cum magno dolore, ut manifestum est ex Ophthalmia, Parotide, Synanche, aliisq; Phlegmones speciebus, quæ species omnes à partibus, in quas incumbunt, trahunt denominationem. Est autem Phlegmone tantò exquisitior, quantò sanguis, unde genita est, melius est temperatus. Quòd si sanguis ille participet de Cholera, Pituita vel Melancholia plus justo, retinet quoq; Phlegmone aliquid de eadē natura, quam habet Erysipelas, Oedema aut Scirrhus. Possunt autem ad Phlegmonen reduci omnes species Tumorum, qui producuntur à sanguine: cujusmodi sunt Phygethlon, Bubo, Carbunculus, Furunculus, & alia ejusmodi tubercula.

NOTÆ.

Phlegmones vocabulum non uno modo sumitur.

PHLEGMONE EST TUMOR GENERATUS À SANGUINE.] Apud Galenum *lib. de differ. morb.* Phlegmone duobus modis capitur: generatim, ex consuetudine antiquorum, qui ante eum vixerunt, pro omni inflammatione & ardore partium, etiam cùm illa sine Tumore, i.e. pro omni dispositione calida & urente, quas Græci usitato vocabulo appellant *Phlogoses*: deinde propriè, more recentium Medicorum, quibus est Tumor à puro veroque sanguine generatus, i.e. laudabili in qualitate. Ipsum nomen PHLEGMONES venit à Græco φλεγμήνειν, quod descendit à primitivo suo φλεγεῖν, significāte *ardere, urere, inflāmare*: ut ita φλεγμονὴ aliud non sit quàm *inflammatio*.

Ratio Etymi.

LAU-

LAUDABILI IN QUALITATE.] Hîc nobis fortè quis non injuriâ objicere posset, in omni Phlegmone ad vitium quantitatis accedere malum quoq; temperamentum. Nam à superflua quantitate, quam Natura regere amplius non potest, introducitur calor alienus, qui necessariò causatur putrefactionem materiæ: unde sequitur, in Phlegmone sanguinem non in quantitate duntaxat peccare, sed etiam in qualitate. Huic objectioni respondeo: Sanguinem, unde generatur Phlegmone, bonum & laudabilem esse in qualitate, dum adhuc continetur intra venas; & esse solummodò causam antecedentem ejus affectus: quando autem ad partem recipientem descendit, simul fit causa conjuncta Phlegmones, peccatque tunc non minùs qualitate, quàm quantitate. *Objectio & ejus solutio.*

PROSILIENTE SIMUL AC SEMEL.] Generatur Phlegmone ad hunc modum. Quando Venæ & Arteriæ majores inflantur & gravantur nimiâ sanguinis quantitate, deponunt eum velut onerosam sarcinam, remittuntque ad mediocres; & hæ rursum ad minores. Tunc sanguis, qui retineri non potuit, neque per oscula venarum, neque per poros & suspiracula tunicarum, exundat & desidet in concavitatem illam, quæ est inter fibras primariarū & fundamētalium partium corporis, inprimis inter musculos, nervos, tēdones, ligamenta & membranas: eo pacto, ut partes illæ velut inebriatæ & turgidæ fluxione illâ, crepent quasi, adeò inflantur materiâ illâ. *Generatio propria Phlegmones.*

INDUCENS CALOREM.] Quia sanguis per se naturę calidæ defluens ad partem majorem quantitate, quàm necesse erat, ibiq́ue accumulatus, gignit obstructiones, à quibus evacuatio in partibus vacuis impeditur, cumq́ue refrigerari non possit, putrescit atque inflammatur, accedēte etiam extraneo calore. *Calor.*

RUBOREM.] Ratione sanguinis, qui ruber est. Is enim humor, qui prædominatur, suo colore tingit cutem & partem, in qua ipse abundat. *Rubor.*

TENSIONEM ET RENITENTIAM.] Quia tunc, cùm sanguis fluit in aliquàm partem, quo non debet, primò replentur venæ & arteriæ majores, deinde & consequenter minores, posteà pori partium similarium, unde deinceps omnes partes vicinæ inebriantur. Hinc sequitur necessariò tumor cum tensione & renitentiâ, cùm nimia repletio ut ultra mensuram adsit. *Tensio & renitentia.*

PUL-

Pulsatio. PULSATIONEM.] Propter pulsum arteriarum, qui excitatur versùs partem affectam & inflammatam; unde oritur dolor pulsatilis. Hinc fit, ut illi, qui à Phlegmone obtinentur, dicant, sentire se in affectâ parte pulsum velut incussum malleoli.

Dolor. CUM MAGNO DOLORE.] Ob nimium & insuetum calorem, tensionem, pulsum.

Ophthalmia. OPHTHALMIA.] vide *titulum primum libri tertii*, ubi de ejus notis, causis, præsagiis & curâ.

Parotis. PAROTIDE.] Parotis est species Phlegmones, occupans glandulas, quæ sunt circa aures; & emunctoria cerebri dicuntur: quæ glandulæ, cùm sint laxæ & raræ, facilè suscipiunt illius superfluitates.

Synanche. SYNANCHE.] De hujus speciebus, causis, notis, præsagiis & curâ vide *titulum 7. lib. 3.*

ALIISQUE PHLEGMONES SPECIEBUS:] verbi gratiâ, Pleuresi, Peripneumoniâ, & Inflammatione gingivarum.

Phlegmones differentia varia. EST AUTEM PHLEGMONE TANTÒ EXQUISITIOR.] In Phlegmones genere aliæ quidem sunt veræ & exquisitæ, aliæ non. Voco autem Phlegmonen veram & legitimam, quæ oritur à sanguine benè temperato, nec nisi in quantitate delinquente; unde Phlegmone spuria sive notha erit, quæ oritur quidem à sanguine, sed cum Bile, vel Pituita, vel Melancholia ultra mensuram mixto. Sic cùm massa sanguinis benè temperati amplificatur & augetur, ut excedat fines à natura constitutos, tunc peccat in quantitate, facitque Phlegmonen veram. Si verò massa sanguinis est intemperata, ut commutatione quâdam substantiæ vel alteratione qualitatis succi abjiciant deserántve naturalem suam proportionem, tunc est vitium in sanguine ratione qualitatis, gignitúrque Phlegmone non vera, quæ ab humore, de quo magis participat, denominatur: ut Phlegmone Erysipelatosa, cùm plus satis choleræ miscetur sanguini; Oedematosa, cùm abundat pituita; Scirrhosa, cùm superat melancholia. Cæterùm, ut de me profitear, non possum probare opinionem quorundam, qui definiunt veram & legitimam Phlegmonen eam, quæ fit ex sanguine puro; & non veram, quæ generatur ex sanguine non puro: cùm constet, Phlegmonen gigni non posse ex puro sanguine sine admixtione aliorum humorum, sive fiat per congestionem, sive fluxionem. Quamvis enim

Opinio eorū, qui aliter definiunt, rejicitur.

enim congestio facere Phlegmonen soleat,(quod tamen rarò admodùm contingit) materia multiplicata ob imbecillitatem membri nihil aliud est, quàm id,quod commutari debuit in ejus substantiam,eique assimilari. Hic autem non est sanguis purè acceptus; quamvis enim membrum illud teneat quatuor humores, necessarium est ut participet de eo, unde nutritur. Phlegmone igitur per congestionem facta illius materiæ, quæ destinata est ad nutritionem membri, non seorsim à sanguine proficiscitur,& sine admixtione aliorum humorum. Si verò Phlegmone per viam fluxionis fieret, tunc sanguis, causa illius efficiens,qui subitaneâ & impetuosâ effusione mittitur ad partem,non posset tàm promptè sequestrari. Sequitur ergo,Phlegmonen generari non posse à solo sanguine & seperatim sumpto,sine participatione aliorum humorum.

PHYGETHLON.] Phygethlon (ait Fernelius *cap.2.lib. 7.Pathol.*) est Phlegmone egerminans in partibus glandulosis,inprimis in collo,sub axillis,& inguinibus. Galenus *cap.1. lib.2.ad Glauc.* ubi definit Phygethlon, non ait simpliciter esse Phlegmonen,sed addit Erysipelatosam; ubi inquit,Erysipelas cum inflammatione. Celsus *lib.5.cap.28.*scribit esse Tumorem non elevatum,largum,qui habeat aliquam conformitatem cum pustulis,ipse vocat Panum. *Phygethlon quid sit. Fernelio, Galeno & Celso.*

BUBO.] Phygethlon in inguinibus speciatim à Fernelio appellatur Bubo: quanquam Galenus Bubonem generaliùs sumat pro omni Phlegmone,quæ accidit glandulis; servitq; ei *Bubonis* vocabulum ad omnes fluxiones, quæ desidunt in emunctoria, cujuscunque generis illæ sint. Accidit (inquit ille *lib.13.Methodi)* ut partes emungentes, quæ valdè imbecillæ sunt, infestentur à Tumoribus, quos nos appellamus Bubones. Præter autem communes illos adhuc duo deprehendo Bubonum genera: unum, quod congeneratur morbo Venereo,vel potiùs eum præcedit, oriturque sæpiùs à pituita vel cholera. Alterum & Pestilentiale, quod non in inguinibus solùm erumpit,sed etiam sub alis,& in emunctoriis colli,quo ipso quidem à priori differt. Interdum est nuntium pestilentiæ: aliquando vel antecedit febrem,vel sequitur. *Bubonis species variæ. Bubones Venerei & Pestilentiales.*

CARBUNCULUS.] Carbunculus est Tumor genitus è sanguine crasso,nigro,& bulliente, qui se in partem aliquam corporis conjicit, ubi statim ardorem excitat, unde oritur abscessus, deinde ulcus concavum & sordidum,cum inflam- *Carbunculus quid sit.*

matione doloroſa circum id, accedente frequentiùs acutâ febri. Græcis dicitur ἄνθραξ. Eſt autem Carbunculus alius ſimplex, procedens à calore & ſimplici putrefactione: alius eſt malignus, ad quem accedit qualitas venenata, unde Peſtilentialis ob ſimilitudinem dici poteſt. Oritur tantùm ex putrefactione, ſed & ex contagione aëris, imprimitque corpori præparato characterem veneni ſui.

Quotuplex.

Furunculus quid ſit.

FURUNCULUS.] Græci, quem nos Furunculum dicimus, vocant φλύκταιναν. eſtque tuberculum acutum ac velut mucronatum cum inflammatione & dolore, neq; ut Phlegmone, provenit à bono ſanguine, violenter in partem aliquam præcipitato, ſed à ſanguine craſſo & vitioſo, nec tamen adeò ebulliente, qualis eſt, qui Carbunculum excitat.

Phyma qualis tumor.

ET ALIA EJUSMODI TUBERCULA:] in quo genere eſt Phyma, Tumor inguinum (definiente Fernelio) humilior paulò atque minor quàm Phlegmone, minus habens ruboris minusque doloris: non enim à ſanguine puro generatur, ſed multum habet pituitæ, ut dici poſſit Phlegmone habens aliquid Oedematis. Galeno tamen *lib. 2. ad Glauc. cap. 1.* Phyma eſt Tumor, qui celeriter creſcit, & ſubitò ad ſuppurationem perducitur: quo tamen ipſo, cùm tàm promptè generetur, & tàm celeriter expiret, naturæ Pituitæ & Oedematis adverſari videtur.

V.

Eryſipelas & ejus definitio.

ERYSIPELAS eſt inflammatio valdè ardens, occupans cumprimis cutem, & aliquando portionem ſubjectæ carnis, proveniens à ſanguine bilioſo & ebulliente, qui propter ſubtilitatem ſuam in Tumorem manifeſtè apparentem non attollitur, ſed ſe dilatat in longum & latum, nunc hàc, nunc illàc, neq; in ullo certo loco conſiſtens. Repit autem Eryſipelas in modum Herpetis, omiſſoq; priore loco paulatim proſerpit ad vicinas & contiguas partes, excitato dolore pungente & morſicante, ſine tamen tenſione. Color ei ex flavo & rubro mixtus eſt, qui contactus evaneſcit, ſed amotâ manu velociter redit. Eſtq; Eryſipelas tantò exquiſitius, quò pu-

rior & (sic dicam) meracior est Cholera, unde generatur. Quòd si ei multum sanguinis mixtum, vel pituitæ, vel atræ bilis, Erysipelas fit Phlegmonosum, vel Oedematosum, vel Scirrhosum. Comprehenduntur autem sub Erysipelate pustulæ biliosæ, Herpetes, & quæ Græcis dicuntur Phlyctænæ & Phlyctides, vulgò Sacer ignis.

NOTÆ.

ERYSIPELAS EST INFLAMMATIO.] Maluimus vocabulo INFLAMMATIONIS uti in definitione Erysipelatis potiùs quàm Tumoris, ea de causa, quòd sanguis biliosus, qui gignit Erysipelas, ob sui subtilitatem in tumorem manifestum non elevetur, sed in longitudinem aut latitudinem diducatur, modò hàc, modò illàc, non obtento certo loco vel spacio. Facillimè autem cognoscitur Erysipelas inter quatuor illos Tumores, partim quòd semper conjunctum sit cum ardore partis, partim quòd prorepat in modum Herpetis, omisso priore loco suo, paulatim ad vicinas partes serpat. Excitat præterea dolorem punctivum & morsicantem sine ulla tensione, quoniam humor biliosus, è quo generatur, acris est & delicatus. Color illi est subflavus & subrubicundus, quia bilis flava est; & sanguis, quo cum illa miscetur, ruber. Evanescit, si prematur digito, ob subtilitatem materiæ, quæ non latet in profundo, sed potiùs in cute consistit, quàm ullâ aliâ parte: unde Galeno dicitur *Erysipelas* Affectio Cutis. Ipsum vocabulum derivatur ab ἐρύθω & πέλας, quòd per cutem tractim repat ad partes vicinas.

Explicatio superioris definitionis.

Etymon vocabuli.

ESTQUE ERYSIPELAS TANTÒ EXQUISITIUS.] Erysipelas non est unius generis: aliud enim est exquisitum, aliud non. Exquisitum voco, quod è cholera pura oritur, quà cum parum sanguinis mixtum est. Non exquisitum, quod è cholera cum multo sanguine, vel pituita, vel atra bile mixto generatur. Hinc fit, ut triplex sit Erysipelas non exquisitum; Phlegmonosum, Oedematosum, & Scirrhosum. Galenus, Celsus, Fernelius & alii duo genera illius constituunt: simplex unum, alterum cum ulceratione. Cùm enim bilis separata est à sanguine ob subtilitatem suam, veniens in cutem facit ulcus: cùm verò miscetur sanguini, qui Choleram, velut frenum, cohercet, tumorem potiùs gignit quàm ulcus. Non igitur credendum est, simplex Erysipelas

Erysipelas quotuplex.

creari ex ſola puraque bile, ut non pauci ſentiunt, cùm conſtet, ſi cholera pura eſſet, neceſſariò fieret ulcus in parte affecta, ſimul ac ea contingeret, neque elevaretur unquam tumor. Quòd ſi aliquando contra Naturam retineatur intra cutem & carnem, excitatur Herpes, & non Eryſipelas.

Herpes quid ſit. HERPETES.] Herpes eſt ardor afferens cuti aſperitatẽ cum multis parvis puſtulis ambulantibus longo ordine, cutim rodentibus atque exedentibus. Eſt autem Herpes duplex: unus dicitur *Miliaris*, alter *Exedens*. Ille oritur è pura flava bile ſeparata ab aliis humoribus. Hic aliquid admiſtæ pituitæ habet cum parvis puſtulis protuberantibus, quæ non niſi tractu temporis curari poſſunt. Herpes *Miliaris* ideò dicitur, quòd in epidermide appareant perexiguæ puſtulæ ſive gemmulæ, parum aut omninò nihil elevatæ, magnitudine ſimiles grano milii. *Corroſivus* dicitur Herpes, quòd incidat & exulceret veram cutem; quando rumpuntur puſtulæ, & quòd longè latéque proſerpat cum penetratione. Utrumque genus procurrit ſpargiturq; ab omni latere, velut in orbem uſq; ad viciniam, ita, ut medium interdum convaleſcat, proferentibus ſe extremitatibus. Derivatur Herpes à Græco verbo ἕρπω, *ſerpo, repo, paulatim gradior.*

Quotuplex.

Miliaris.

Corroſivus.

Etymon.

Phlyctænæ quid ſint. PHLYCTÆNÆ ET PHLYCTIDES.] Φλυκταίναι & φλυκτίδες Græcis ſunt veſiculæ & puſtulæ, quę nonnunquam erumpunt, plenæ humore flaveſcente, claræ & pellucidæ, quales enaſcuntur in iis, qui igne vel fervente aquâ adusti fuerũt: doloris aliquid creãt, ſed parvi & obtuſi. Cùm lacerata ſuticulâ aperiuntur, effluit humor, cruſta verò duriuſcula manet uſque ad finem curationis. Certum eſt, eas generari à bile valdè ebulliente, quæ fervore & vehementiâ ipſi igni ſimilis eſt, ut non ſine ratione huic affectui vulgus nomen indidiſſe videatur, *Sacer ignis.* Germani vocant das wilde Fewer/ut Gallis eſt *Feu ſauvage.* Græcę appellationes derivantur à verbo φλύω, quod eſt *ferveo, amburo.*

VI.

Oedema quid ſit. *OEDEMA eſt tumor frigidus, laxus, mollis, doloris expers, colore albicante, cedens impreſſo digito, relicto veſtigio preſſuræ, procedens ab humore phlegmatico magis per congeſtionem quàm fluxionem. E pituita pura ſuperflua fit verum Oedema: ex pituita cum ſanguine,*

Quotuplex.

guine, vel bile, vel melancholia, mixta generatur Oedema Phlegmonosum, Erysipelatosum, vel Scirrhosum. Comprehenduntur sub Oedematis appellatione tumores aquosi & ventosi, omnesq; alii à Phlegmate non naturali producti.

NOTÆ.

OEDEMA.] Descendit hæc vox OEDEMA à verbo οἰδέειν, i.e. *tumere*, ut οἴδημα Latinè *Inflaturam* dicere possis. Hinc Hippocrati aliisque veteribus vox illa quemvis tumorem significat, qualiscunque ille sit. Galenus tamen, & cum eo recentiores magis speciatim eo vocabulo utuntur pro Tumore Phlegmatico. Definitur autem Oedema propriè à Galeno, Guidone, Fernelio, Paræo aliisque recentioribus *Tumor frigidus*, eò quòd à materia frigida generetur : *mollis & laxus*, ob nimiam humiditatem : *sine dolore*, quia humor neque calidus est, neque fervens, ut in Phlegmone, & quia paulatim colligitur per congestionem : *colore albicante*, ideò, quia humor albus est & propè similis colori cutis, quam non multùm mutat : *cedens impressioni digiti & relinquens concavum pressuræ illius vestigium*, quoniam humor crassus est & tardè movetur.

Oedema apud veteres laxâ significatione.

Definitionis ratio.

PER VIAM CONGESTIONIS.] Certum est, Oedema sæpiùs faciliùsque generari per congestionem quàm fluxionem. Præterquam enim quòd frigus pigrum lentumq; reddit materiæ cursum, accedente ad tarditatis causam viscositate, certè pituita naturâ suâ frigida & glutinosa non tàm expeditè currere solet, ut possit Oedema facere per viam fluxionis. Et posito, pituitam purè subtilem esse, eamq;, non obstante frigiditate, posse celeriter currere, tamen ipsa privatio doloris, quæ œdemati tribuitur, satis clarè ostendit, magis per congestionem quàm fluxionem Tumorem illum generari. Si enim œdema fieret per fluxionem, utique non esset immunis à magno dolore, qui subitò invaderet partem recipientem ob solutionem continui. Cùm autem materia Oedematis genitrix tractu temporis fluat, & paulatim colligatur, adsuescit ei Natura, & velut habitum induit, ut sic consuetudo, quæ velut altera Natura est, impediat sensum doloris. Natura enim se-ipsam non affligit, ut à Galeno scriptum est *lib. 2. de temp.* nec non *lib. 2. de caus. sympt.* & *lib. 5. de usu part.*

Cur per congestionem.

Differentia materiæ veri Oedematis.

E' PURA PITUITA SUPERFLUA.] Oedema (ut & alii tumores) vel eſt verum, vel non verum. Guido & alii multi, qui eum ſequuntur, definiunt verum Oedema, quod fit è Phlegmate naturali: quod quidem aliud nihil eſt, quàm ſanguis crudus aut malè coctus, contentus in maſſa ſanguinaria, ad nutrienda membra phlegmatica. Cui omninò adverſatur Fernelius, qui illud verum & perfectum Oedema appellat, quod generatur à pituita ſuperflua & excrementoſa. In hac diverſitate ego Fernelium quàm Guidonem ſequi malim, quoniam (ut ſanè rectè diſtinguit idem) Tumor duplex eſt: unus collectus, certis concluſus limitibus & menſuris, qui propriè & ſimpliciter nominatur Oedema; alius latus & diffuſus, quem rectiùs Tumorem œdematoſum appellaveris. Hic procedit à ſanguine crudo & pituitoſo, producto à vitio epatis vel alimentorum, qui ſanguis pituitoſus cùm diſtribuitur in omnes partes corporis ad eorum nutritionem, neque tamen ejus conditionis eſt, ut poſſit in earum converti ſubſtantiam, poſtremò congeritur paulatim & cumulatur in parte ea, quam nimiâ ſuâ quantitate onerat, donec craſſeſcat & inflatur non ſine tenſione, fitque ferè in tali tumore, ut nota quædam & concavitas impreſſorum digitorum remaneat. Ita vides, quomodo eodem pacto Hectica, Cachectica, Leucophlegmatias, aliàs quidem pedes, aliàs totum corpus inſufflatione tumefaciant.

Diſſenſus Fernelii & Guidonis.

Origo veri Oedematis.

Cæterùm, Oedema verum & exquiſitum nõ trahit originem ſuam à ſanguine pituitoſo, ſed à pituita excrementoſa, quæ tolummodò aquoſa eſt vel mucoſa, undecunque ea ſe ſuper partem affectam effundere poſſit. Sæpiùs etiam procedit à Catarrho & defluxione capitis, qui catarrhus aliquando currit fluendo ſuper genua, aliquando ſuper humeros aut alia membra. Verum igitur Oedema ideò appellatur, quòd nullus alius humor admixtus ibi appareat; unde ſequitur, nõ eſſe ſanguinem pituitoſum, è quo generetur verum Oedema, propriè loquendo: undè cùm Galenus pituitam communem cauſam conſtituit Oedematis & tumorum œdematoſorum, intelligitur PITUITÆ vocabulum in ampliore ſignificatione ſumere, tàm pro ſanguine pituitoſo, quàm pituita ſuperflua, quæ deſtillat uſitato modo à capite. Habet autem defluxio à capite duas vias, ſecundùm Fernelium *lib. 5. Patholog. cap. 4.* Illa eſt interior, hęc exterior. Cerebrum enim rejicit ſuperfluitates nutrimenti ſui in ventriculos ſuos, qui

Oedema quomodo generetur.

quo-

quodammodò ad hunc usum destinati sunt. Quòd si onus nimium sit, recipit partem aliquam illarum superfluitatum circa menynges, quo ostiola venarum eas evomunt. Hæc ipsa pituita aquosa destillat per nares, palatum, oculos, sæpè etiam descendit ad pulmones; in ipsum ventriculum & alias partes internas, pro quarum partium diversitate varii oriuntur morbi. Colligitur autem præterea etiam aliud excrementum ad partes externas capitis, inprimis versus summitatem ejus sive verticem, sub cute, ubi venarum ostiola per faciem & tempora repentium, pituitam vomunt super dentes, oculos, junctura aliasque partes. Notandum autem est, congestionem factam in partem aliquam per hanc vel illam viam, non dependere à materia destinata ad nutritionem membri. Cùm enim per se excrementosa sit, cumprimis si supponeremus virtutem totius membri, non poterit huic servire pro nutritione: unde pituita superflua cùm extra venas expulsa desinat esse sanguis in potentia, nec unquam fiat sanguis formaliter & actualiter. Stante hoc, non poterit dici congestio arctâ significatione, sed per similitudinem, accumulante se materiâ ad partem imbecilliorem. Ventosiores enim & valentiores rejiciunt superfluitates in debiliores, testante Galeno & subscribente experientiâ. Hanc materiam cùm expultrix virtus amoliri à se non potest, augetur & amplificatur ea magis ac magis, cùm guttatim confluere soleat. *1. Meth. 13.*

E' PITUITA MIXTA.] Guido definit Oedema non verum, quod generatur é Phlegmate non naturali: aitque Phlegmate fieri non naturale duobus modis, nempè per admixtionem aliorum humorum, putà sanguinis, qui illud reddit dulce; choleræ, quæ id salsum; & melancholiæ, quæ illud reddit acre: undè oriuntur tria genera Oedematis nõ veri, Phlegmonosum, Erysipelatosum & Scirrhosum: deinde per se, alterationè substantiæ suę, quando mutatur in aquam, vel resolvitur in vaporem & ventum, unde proveniunt diversæ species Oedematis nõ veri duæ; tumor aquosus, & ventosus: quando verò crassescit & induratur, fit tumor gypseus & vitrosus, unde generantur Steatomata, Atheromata, Meliceridès, Ganglia, Glandulæ, & ejusmodi alii tumores: denique cùm corrumpitur & putrefit, ut salsus evadat humor, nitrosus atque corrosivus, generantur strumæ. *Quid sit œdema non verum & ejus differentia.*

TUMORES AQUOSI.] Tumor aquosus est collectio hu-

Quid sit Tumor aquosus.

moris serosi, in loco aliquo contra naturalem, unde pars illa in quantitate superat constitutionem suam naturalem. Hujus sunt plures species, à diversis ortæ causis, ac proinde varia sortitæ nomina, pro differentia partium affectarum. Si enim in causa sit sanguificationis defectus, unde omnes partes corporis nutriri debebant, convertitur alimentum in substantiam crudam, aquosam & serosam, colligiturque intra capacitatem Peritonæi, & tùm gignitur ea Hydropis species, quæ appellatur Ascites. Si verò humor ille serosus descendat in receptaculum testium, quacunque de causa id fiat, orietur tumor Hydrocæle dictus. Si verò humor aquosus se colligat in capite sub cranio, pericranio, aut cute exteriore, sive id fiat negligentiâ nutricis, vel causâ aliquâ occultâ, vel rupturâ, vel apertione vasorum, gignitur ea tumoris species, quam Hydrocephalen appellare solemus. Cognoscuntur autem tumores aquosi ex tensione partis & splendescentia ejus, nec non ex fluctuatione, cùm premuntur digitis.

Causa Hydropis Ascitis & Hydrocœles.

Quid sit inflatio, & quæ ejus species.

ET VENTOSI,] Inflatio est tumor, qui gignitur à spiritibus vaporosis, collectis intra cavitates sensibiles vel occultas, qui spiritus usitato more assurgunt ab humoribus Phlegmaticis ob debilitatem caloris naturalis. Videtur autem Galenus *lib. 2. cap. 7. ad Glauc. & cap. 7. lib. 13. Meth.* facere duo genera Tumorum ventosorum: unum, cùm ventositas inclusa est in spacio aliquo sensibili; exempli gratiâ, intra capacitatem ventriculi, intestinorum, peritonæi, subter cutem, in periostio altisque membranis, quę ventositas propriè appellatur inflatio, differtque ab Oedemate in eo, quòd illa aliquando dolorem creat, & quòd depressa digitis, notam nullam servat impressionis, quin potiùs aliquando sonum facit ut tympanum. Alterum genus, quod proximè accedet ad naturam Oedematis, est, cùm ventositas includitur intra spacia, quæ per rationem cognoscuntur, velut cùm per substantiam musculorum diffunditur, vel aliarum partium. Causæ autem, quas præcipuè in Tumore ventoso considerare juvat, sunt: primò Efficiens, nempè debilitas caloris naturalis: deindè Materialis, cibi nimis frigidi, eorumque humores crassi & frigidi, tàm in ventriculo & intestinis, quàm omnibus reliquis partibus: tertiò adjuvans, quæ est densitas partium cum angustia & obstructione meatuum.

Causæ tumorũ ventosorum.

OMNES QUE ALII,] Tumores, qui nominantur Steatoma, Atheroma, & Meliceris, omnesque illi, qui vulgò appel-

pellantur *Lupi*, differunt ab aliis eo ipso, quòd eorum materia est involuta in cystide sive tunica: estque inter illos ipsos non parva differentia ratione diversitatis materiæ. Materia enim intra Steatoma contenta, similis est sevo sive sebo, aliquando inibi reperiuntur corpora dura & petrosa, parva ossa, & aliæ res illi loco peregrinæ. In Atheromate reperitur humor similis pappę infantum. Meliceris ostendit humorem similem melli tàm in colore quàm consistentiâ. Hinc apparet, Steatoma durius esse, quàm reliquæ duæ species sunt, neque promptè obedire digitis, cùm deprimitur. Tumori color alius non est, quàm qui cùti ipsi, dolor nullus. Et Ganglion tumor est coloris uniformis, durus renitensq; , doloris expers, nisi cùm validiùs premitur, tunc sentitur dolor quispiam obtusus. Germinat hic tumor circa nervos & junctura, sæpè etiam ad carpum, provenitque à Pituita crassa & viscida, vel à Melancholia naturali, quæ concrescit in illam duritiem. Cùm attollitur alibi quàm in emunctoriis, juncturis & nervis, appellatur *Nodus*, ut ab aliis discerni possit. *Glandula* significant tumorem induratum in emunctoriis, qui à duobus præcedentibus nihil differt, nisi ratione situs. *Struma* sunt tumores duri, qui accidunt emunctoriis, teguntur que atque involvuntur propriis suis tunicules, ut & glandulæ, ad extremum tamen, cùm earum materia plus contraxit malignitatis & acrimoniæ, rodit emunctoria, quin & ipsam carnem, quâ circumdatur, atque cutim, producto ulcere maligno, ambulatorio & corrosivo. Germinant hi tumores potissimùm in collo, ibique aliquando ordine positi conspiciuntur ut glandes: porriguntur etiam aliquando usque ad pectus, alas & mammas. Descendit materia earum ab externa parte capitis per tendines & emunctoria colli, sed guttatim & fluxu adeò lento, ut origo vix deprehendi possit. Cave autem, ne talem materiam pro pituita pura capias, sed pro tali, quæ vi caloris accensa, ab ipsa putrefactione acquisivit rodendi acrimoniam. Quòd si pituita cum atra bile permixta eò furiosior evadat, sequentur strumæ hoc modo generatæ, qualitatem & malignitatem Cancri redolentes, vocabunturque *Struma cancrosa*. Et hæc est causa, quòd strumæ sæpè sunt valdè dolorificæ, inprimis cùm humor incalescit & putrefit. Latini Strumas alio nomine vocant *Scrophulas* à scrophis, Græci χοιράδες, à vocabulo χοῖρος, quod porcum sonat, sive quòd porcus collum habet glandibus & strumulis cooperm 5

Materia Steatomatis,

& Atheromatis.

Meliceris

& Ganglion.

Nodus & Glandula.

Struma.

Locus earum & ortus.

Aliud strumarum nomen.

tum, ut existimavit Ægineta; sive quòd Scropha edit multos porcellos, sicque strumæ internæ multas generent externas.

VII.

Scirrhi definitio.

SCIRRHUS est tumor durus & renitens, sine dolore & sensu, procedens ab atra bile, vel alio quopiam humore crasso & spisso, atræ bili non dissimili. Quòd si fortè aliquid sanguinis aut choleræ admixtum est, aut pituitæ naturalis, non habetur verus aut exquisitus Scirrhus, sed habet aliquid de natura Phlegmones, vel Erysipelatis, vel denique Oedematis. Aliquando statim à principio fit Scirrhus, non praeunte tumore aliquo contra naturam, quando humor Melancholicus collectus in aliqua parte vel per fluxionem, vel congestionem induratur. Aliquando præcedit Phlegmone vel Erysipelas, vel Oedema, cùm eorum materia similis fit atræ bili, deinde in petrosam duritiem se convertit, vel cùm per remedia repercussiva extremè frigefit, vel per resolutiva subtilior ejus pars indecenter digeritur, & nimis desiccatur. Continetur autem sub Scirrho etiam Cancer, tumor durus & inæqualis, cum dolore & inflammatione genitus à Melancholia adusta.

Scirrhus quotuplex.

NOTÆ.

Ratio definitionis Scirrhi.

SCIRRHUS EST TUMOR DURUS.] Scirrhus *secundum Gal. lib. 2. c. 5. ad Glauc.* vel est exquisitus, vel non-exquisitus. Amplius: Scirrhus vel est Primitivus, vel Consecutivus. Scirrhus exquisitus est tumor contra naturam cum duritie & renitentia, doloris omninò expers, imò sensu destitutus. Quamquàm ipsum nomen EXQUISITI aliquem doloris sensum habeat, quod de Scirrho dicitur incipiente, qui nondum perfectus est, nec confirmatus. Materia tàm unius quàm alterius est humor crassus & viscosus, insertus partibus affectæ, impactusque illius spaciis, qui adeò indurescit, ut difficulter admodùm consumi resolviique possit. Galenus *lib. 5. simpl. cap. 8.* ait, humorem illum esse atrabilarem vel pituitosum,

Materia Scirrhi, qualis Galeno.

sum, vel cum utraque participantem. Scirrhus primitivus est, qui fit à principio, non præcedente tumore aliquo contra naturam, quando humor Melancholicus abundans in corpore ob malam vivendi rationem, vel vitio epatis aut lienis, aut suppressione hæmorrhoidum vel menstruorum, se cumulat in partem aliquam, per fluxionem vel congestionem, ibique induratur. Scirrhus consecutivus est, quem præcessit Phlegmone, vel Erysipelas, vel Oedema, cùm horum materia errore aut defectu Chirurgi similis evadit atræ bili, & posteà se convertit in lapidosam duritiem. Accidit autem hoc, cùm nimis refrigeratur illa & induratur per remedia repercussiva, aut si per inscitiam subtilior illius materiæ pars digeritur per resolventia, & pars spissa nimis deficcatur. Vides, Lector, quomodo Galenus loquatur de Scirrho; à cujus sententia paulùm divertit Guido, definitque verum Scirrhum eum, qui generatur à Melancholia naturali, quæ nihil aliud est, quàm fæx sanguinis, vel sanè sanguis crassus & fæculentus, qui consistit in ipsa massa sanguinis, ad nutriendum partes corporis melancholicas: color ei est subniger, gustus acidus. Scirrhus non verus eidem Guidoni est, qui producitur à Melancholia non naturali. Constituit autem is tres Melancholiæ non naturalis differentias: unam per admixtionem alterius humoris, putà sanguinis, bilis, pituitæ, unde scaturiunt tria genera Scirrhi non veri, Phlegmonosum, Erysipelatosum, Oedematosum: alterum per indurationem ob nimiam refrigerationem, aut inconvenientem resolutionem partis subtilioris Phlegmones, Erysipelatis vel Oedematis, unde provenit Scirrhus consecutivus: & tertium per adustionem Melancholiæ naturalis, vel Choleræ, vel alii alicujus humoris, unde generatur Cancer. Est autem *Scirrhus* vox Græca, significatq; Latinis duritiem. Hinc est verbum σκιρρᾶν, quod est indurari.

Scirrhus primitivus.

Consecutivus.

Guidonis definitio Scirrhi.

Etymon nominis.

CANCER.] Græci hunc tumorem Carcinoma vocant, Latini Cancrum, quòd formâ sive figurâ animali illi aquatico sit persimilis. Est autem Cancer, *secundùm Gal. lib. de Tumorib. & cap. 9. lib. 14. Meth.* tumor calidus per accidens, subniger, immobilis, inæqualiter rotundus, interdum stupidus, sæpè cùm dolore, circumdatus multis venis manifestè apparentibus, plenis sanguine fæculento, curvis in modum cancrini pedis, colore non rubicundo, sed livido & plumbeo, qualis nimirum est humor, qui in iis continetur. Causa conjuncta

Cancer unde dicatur.

Quid sit.

juncta illius Tumoris est humor Melancholicus impactus non solùm porositati partis, (quod & in Scirrho fit) sed & in venis, quæ circum sunt, incipiens putrescere in earum cavitate. Quòd si humor ille ulteriùs putrefiat, acquiratque plus malignitatis & acoris per adustionem, gignitur Cancer ulcerosus. Causa ejus primitiva est victus crassior, qui sanguinem gignit spissum & fæculentum, cum aptitudine epatis ad creandum ejusmodi superfluitates, nec non impotentia splenis ad purgandum sanguinem, aliquando etiam suppressio menstruorum, hæmorrhoidum, aliarumque evacuationum consuetarum, accedente debilitate partis affectæ. Accidit hoc malum utplurimùm oculis, naribus, auribus, labiis, palato faucibusque, ano, locis muliebribus, aliisque partibus corporis, inprimis verò mammillis fœminarum, quòd hæ sint raræ substantiæ, madidæ & naturâ imbecilliores.

Causæ cancri, & loca quæ is obsidet.

Sequuntur leges Prognosticæ de eventibus horum Tumorum.

REGULA I.

Unde petantur prognoses in morbis.

PETUNTUR prognoses & præsagia de eventibus horum Tumorum inprimis ab eorum differentiis, per qualitatem materiæ, unde sunt geniti, & per naturam partium, quas occupant cum dispositione totius corporis.

NOTÆ.

Quanquam signa morborum prognostica aliquando sumuntur à rebus naturalibus & non-naturalibus, inprimis tamen petuntur ab affectionibus contra naturam. Et hæc est causa, cur præsagia de eventibus Tumorum hauriantur ab eorum differentiis, causis atque situ. Ex magnitudine enim vel parvitate Tumoris, ex differentia benignitatis aut malitiæ, subtilitate vel crassitie, calore vel frigore, similibusq; aliis qualitatibus materiæ, accedente conditione, robore & debilitate partis tumefactæ, bonâq; vel malâ dispositione totius corporis, fertur judicium, qualis sit futurus Tumoris exitus.

II. *Apo-*

II.

Apoſtemata magna, periculoſa ſunt, ob magnam reſolutionem, quæ fit à ſpiritibus, cùm illa aperiuntur: parva autem ferè ſunt extra periculum. Tumores producti ab humore melancholico vel phlegmatico craſſo & viſcoſo, longioris & difficilioris ſunt curationis, quam illi, qui generantur è ſanguine, vel bile. Rurſum, qui gignuntur ab humoribus naturalibus, faciliores ſunt ad curandum, quàm qui ſunt ab humoribus non-naturalibus geniti, qui facilè convertuntur in ſubſtantiam peregrinam. Qui accidunt partibus vitalibus, lethales ſunt: neq; periculo vacant, qui fiunt juxta magna vaſa. Qui in juncturis, difficulter curantur: & qui in corporibus cacochymicis creantur, ſæpè in malignum aliquod ulcus & cacoëthes degenerant.

Differentiæ à qualitate tumorum.

A'locis affectis.

NOTÆ.

APOSTEMATA MAGNA.] Vides cauſam, ob quam Hydrops aliique omnes tumores exceſſivi in magnitudine, utplurimùm lethales ſunt, eò quòd facto exitu ad materiam, magna ſpirituum copia unà exit.

Explicatio & ratio definitionis.

TUMORES PRODUCTI AB HUMORE.] Quoniam humor Melancholicus & Phlegmaticus craſſus eſt viſcidusque, ideóque difficilis ad reſolvendum: humor verò ſanguineus & bilioſus multùm ſubtilis, & ad digerendum facilis.

QUI GIGNUNTUR AB HUMORIBUS NATURALIBUS.] Quoniam humores naturales non peccant niſi in quantitate; ſed non-naturales peccant plus in qualitate, ita ut ſe convertant in diverſas ſubſtantias, quibus nulla cum ipſis humoribus ſimilitudo: cujus generis ſunt, ſevum, pappa, amurca, fæx vini; aliquando etiam corpora ſolida, lapides, arena, carbones; aliquando animalia, vermes, ſerpentes, inprimis quando materia longo tempore retenta non evacuatur.

QUI ACCIDUNT PARTIBUS VITALIBUS.] Tumores, qui accidunt partibus nobilibus, putà cordi, epati, & his ſimilibus, mortem afferunt, quia impediunt actiones facultà-

cultatum, à quibus dependet ipsa vita. Qui fiunt juxta magna vasa, cujusmodi sunt venæ, arteriæ, nervi, periculosi sunt, ob hæmorrhagiam, resolutionem spirituum & convulsiones, quæ fere coincidere solent. Qui in junctûris aut secundùm illas, difficulter curantur, ob gravia symptomata, quæ eos ferè comitantur. Qui nascuntur in corporibus bene temperatis, facilè admittunt remedium: qui verò in cacochymicis, ut in hydropicis, leprosis, aliisque mali habitus, longæ ac tædiosæ sunt curationis, & frequenter in ulcera maligna degenerant.

III.

Exitus tumorum varii.

Finiuntur autem Tumores diversimodè: quidam per resolutionem, quæ quidem via est optima, fitq; tunc, cùm accidentia minuuntur, & malum ipsum levatur, unde sentitur pruritus in parte affecta. Aliàs per suppurationem, quando dolores, febres, & periculosa symptomata exasperantur. Quidam degenerant in duritiem, ob crassitudinem materiæ, vel usum immoderatè repercutientium, aut resolventium. Sunt & alii multò pejores, qui convertuntur in Gangrænam, quæ est initium corruptionis, & paulò pòst in Sphacelum, quæ est perfecta mortificatio affectæ partis: accidit q; tunc, cùm nimia quantitas humorum in membrum aliquod delapsorum suffocat extinguitq; calorem, quo amisso nigrescit vel livescit, inflatur laxaturq; in speciem cadaveris, non amplius pulsantibus arteriis, neq; superstite dolore vel sensu qualicunq;. Quidam postremò deterrimi omnium subitò evanescunt, & denuò subintrant corpus, transportatâ materiâ suâ & malignâ qualitate ad partes nobiles interiores, unde sequuntur febris, deliquium animi, aliaq; pernicioſa symptomata, ut experientia ostendit.

Gangræna & Sphacelus unde.

NOTÆ.

FINIUNTUR TUMORES.] Habent tumores curabiles

les quatuor tempora: initium, incrementum, ſtatum, declinationem. Initium eſt, cùm pars incipit: incrementum, quando inflatura, dolor, & alia accidentia augentur ſenſibiliter: ſtatus, cùm accidentia non ampliùs creſcunt, ſed in ſuo gradu permanent: declinatio, quando omnia accidentia notabiliter minuuntur, apparente manifeſtè ipſius tumoris termino. Porrò terminantur tumores non uno modo: quidam per reſolutionem, quando humor in partem affectam delapſus, per inſenſilem tranſpirationem omninò digeritur: alii per ſuppurationem, quorum materia concoquitur: alii, cùm ſolummodò pars humoris ſubtilior reſolvitur, tranſeunt in diſpoſitionem ſcirrhoſam. Deteriores ſuperioribus ſunt, in quibus partes affectæ vincuntur à fluxione, ut in tantam veniant intemperaturam, ut omnes ejus perdantur actiones; obrepente Gangrænâ: quibus tamen cunctis pejores ſunt, qui ſubitò evaneſcunt, redeuntque in corpus, deportatâ maligná materiâ ad partes interiores & nobiliores: quæ quidem tranſportatio morborum à partibus ignobilibus & externis ad nobiliores & interiores eſt periculoſiſſima. *Quatuor tempora tumorum.*

RESOLUTIONEM.] Signum eſt finiri tumorem per reſolutionem, quando inflatura, calor, dolor aliaque accidentia minuuntur, apparetque levius malum non ſine pruritu & titillatione partis. Fit hoc communiter in tumoribus calidis, quoniam humor magis ſubtilis eſt & tenuis. *Primus modus Reſolutio.*

PER SUPPURATIONEM.] Signum factæ ſuppurationis eſt, quando tumor, pulſus, calor, dolor, febris augetur, ut Hippocrates docet *aphor. 47. lib. 2.* quoniam materia, quæ ſuppuratur, ebullit, & occupat ſpacii, unde major ſequitur diſtenſio pulſatioque, & calor intenſior, & per conſequens dolor major, ſicque ob communicationem caloris cum corde, febris vehementior. *Secundus Suppuratio.*

IN DURITIEM.] Hujus ſignum eſt, (nempe quòd Apoſtema transformetur in Scirrhum) quando tumor minuitur, manente tamen duritie in parte affecta; ob imbecillitatem Naturæ, vel craſſos & glutinoſos humores, vel propter ignorantiam Chirurgi, qui nimis uſus eſt medicamentis reſolventibus aut repercutientibus. *Tertius Induratio.*

IN GANGRÆNAM.] Cùm pars aliqua corporis ob magnam inflammationem ad mortificationem tendit, neq; tamen etiam dum mortua eſt, neque penitus privata ſenſu: talis indiſpoſitio appellatur Gangræna, *teſte Gal. cap. 10. lib. 2.* *Quartus Inflammatio.*

ad

Varia nomina Sphaceli. *ad Glauc.* Cùm verò mortificatio perfecta est, nominatur à Græcis Σφάκελος, à Latinis *Syderatio*, ab Arabibus *Estiomenos*, à Gallis *le feu sainct Antoine*, à Germanis der kalte Brand. Fit autem Gangræna, *secundum Avicen. cap. 15. tract. 1.* vel ideò, quòd temperamentum & spiritus, qui id comitatur, corrumpantur, vel quòd spiritus moventes impediantur, ne ad partem affectam pervenire possint, aut propter utrumque simul; idque tàm ob causas exteriores, quàm interiores.

Causa Gangrana supervenientis.

Causæ externæ. Causæ externæ Gangrænæ sunt combustiones ab igne factæ, vel per medicamenta acria & caustica; vel fit ob frigiditatem ab ambiente aëre, sive ab applicatione remediorum frigidorum & stupefacientium; ob contusiones,

Causæ internæ. ligaturas, qualitates venenosas, & ejusmodi alias causas. Internæ possunt esse magnæ fluxiones humorum calidorum & frigidorum, quæ descendunt super aliquod membrum, eâ quidem quantitate, ut alterari non possint, neque digeri aut regi per suas facultates, ut ita extinguant suffocentque calorem naturalem cum spiritibus ob defectum transspirationis. Ob exiguum enim & angustum loci spacium arteriæ non possunt habere liberum suum motum, putà dilatationem,

Systole & diastole, & earum usus. quam Græci appellant διαστολὴν, per quam attrahitur aër exterior: & contractionem, quam iidem vocant συστολὴν, per quam excrementa fuliginosa ejiciuntur foràs per poros.

Signa. Signa Gangrænæ sunt lividitas & nigredo partis cum diminutione sensus per quendam veluti soporem aut veternum.

SUBITÒ EVANESCUNT.] Quando apparet subitanea diminutio & delitescentia Tumoris, cum augmentatione reliquorum accidentium, hoc est signum, fluxionem regressam fuisse ad interiora. Fit hoc aliquando per nimiam refrigerationem, sæpiùs tamen ob venenosam materiæ qualitatem, etiamsi foris nihil applicatum fuerit.

IV.

Phlegmone quomodo terminetur. *Phlegmonæ exiguæ terminantur utplurimùm per resolutionem; majores plerumq; veniunt ad suppurationem, & degenerant in Apostemata. Consueverunt autem etiam in Gangrænam vergere, quando abundantia sanguinis, per consistentiam & obstructionem corrupti, suffocat & extinguit calorem partis naturalem.*

AN-

ANNOTATIO.

Quando materia Phlegmones eſt in exigua quantitate, facilè reſolvitur: ſi verò abundat, Natura eam totaliter reſolvere non poteſt, ſed convertit in pus, idque ideò, ne vincatur aut ſuperetur nimis magnâ quantitate aut malignitate ejus. Et hæc eſt ratio, propter quam Phlegmonæ parvæ uſitato more per reſolutionem terminantur, majores per ſuppurationem, & enormes in Gangrænam degenerant. Quando Phygethlon, Bubo, Furunculus & Phyma non reſolvuntur, non minùs ſuppurantur quàm Phlegmone. Sed materia Carbunculi (*ut Fernelius ait cap. 2. lib. 7. Pathol.*) nunquam ſuppuratur, ſed ad extremum, cùm velut toſta eſt à calore, evadit in fruſtulum carnis, quod ubi excrevit, manet ulcus concavum ſordidumque, in quo quidem differt à reliquis tuberculis. Et hæc eſt cauſa, ob quam Galenus *cap. 1. lib. 2. ad Glauc.* ait, Carbunculum ſemper malignum eſſe, ut qui à malignis humoribus producatur. Evadit autem multò etiam pejor, cùm ad naturalem ejus malignitatem alia quædam extrinſecùs accedit, à conſtitutione aëris profecta.

Ratio ſuperioris regulæ.

Carbunculi differentia à reliquis tuberculis.

V.

Eryſipelas communiter terminatur per reſolutionem. Quòd ſi aliquando ad ſuppurationem perveniat, admixtus eſt ei craſſus aliquis humor non ſine cholera. Cùm ab interiore extrinſecùs prodit, bonum id ſignum eſt; contrà, ſi intrò repat, malum. Periculoſum ſanè eſt, cùm in magna quantitate faciem occupat. Si gignitur in utero prægnantis mulieris, mortem affert. Si plagis & ulceribus ſuperveniat, malum habetur præſagium.

Quomodo terminetur Eryſipelas.

NOTÆ.

ERYSIPELAS COMMUNITER.] Quòd Eryſipelas ferè per reſolutionem terminetur, cauſa eſt, quòd humor biliosus, unde gignitur, admodùm ſubtilis eſt & ad reſolvendum facilis. Quando ſuppuratur, apparet non fuiſſe verum aut legitimum Eryſipelas, quia genitum eſt ab aliquo craſſo humore cum bile mixto; unde ſequitur corroſio partium, quæ cuti proximè ſubſunt; quapropter tale Eryſipelas pejus etiam habetur, eò quòd exquiſitum appellatur.

Cauſa, cur Eryſipelas finiatur reſolutione.

CÙM AB INTERIORE,] ut oſtendit Hippocrates

eph.25.lib.6. ubi notandum est, sicut Galenus quoque *in comment.* ait, bonum signum esse, si non Erysipelas duntaxat, sed & quodvis aliud vitium à partibus profundis & principalibus foràs ad cutem expellatur: contrà verò mali præsagii rem, si hæc talia partes interiores profundioresque repetant.

Cur faciem infestet Erysipelas?

PERICULOSUM SANE EST.] Quamvis Erysipelas cuivis corporis membro accidere potest, principaliter tamen faciem infestat ob ejus raritatem & subtilitatem Choleræ. Estque periculosum ac noxium, faciem occupans in magna quantitate, quòd illa communicet cum membranis cerebri.

Erysipelas uteri lethale.

IN UTERO MULIERIS PRÆGNANTIS MORTEM AFFERT,] ut evincit Hippocrates *aph.43.lib.5.* Tunc enim necessarium est, ut Galenus ait, ut moriatur fœtus: cùm constet, quòd aliquando acutę febres etiam sine inflammatione illum extinguant.

Cur malum in ulceribus?

SI PLAGIS ET ULCERIBUS SUPERVENIAT.] Hippocrates *aph.19.lib.7.* ait malum signum esse, si Erysipelas superveniat, cùm os apertum est: tunc enim proficiscitur à defluxione bilis vel bulliente sanguine, qui corrodit absumitque carnem, quæ circum ulcus est, per suam acrimoniam.

VI.

Quomodo terminetur Oedema.

Oedema terminatur per resolutionem, vel sæpiùs per indurationem, rarò per suppurationem, ob exiguum calorem, qui ei inest.

ANNOTATIO.

Tempus Oedematis.

Oedema sæpiùs accidit hyeme quàm æstate, quia hyberno tempore major colligitur pituitæ copia. Partes nervosæ & glandulosæ magis subjectæ sunt Oedemati, quia sunt exsangues, minusque habent quàm reliquæ caloris, suntque laxiores, & per consequens magis aptę ad recipiendas fluxiones. Corpora cacochymica, crapulosa & senilia, quæ parùm & rarò exercentur, plerumque magis vexantur ab hoc tumore. Si Oedema non satis subitò resolvitur, degenerat in tumorem scirrhosum, raróque ad suppurationem pervenit, quòd humor, unde constat, frigidus sit.

Cur degeneret in Scirrhum?

VII.

Prognostica Scirrhi.

Scirrhus confirmatus est incurabilis: ille verò, cui adhuc

huc aliquis ſenſus ineſt, quamvis ſit is obſcurus, neq; incurabilis eſt, neq; difficulter ſanatur. Cùm venit ad ſuppurationem, ſæpè degenerat in Cancrum & Fiſtulam.

ANNOTATIO.

AD SUPPURATIONEM.] Scirrhus ob frigiditatem materiæ ſuæ tardè ad ſuppurationem pervenit, niſi fortè per accidens calefiat & corrumpatur, & hoc caſu ſæpè degenerat in Cancrum & Fiſtulam, quod fit ob aduſtionem & corroſionem materiæ. Cancer enim, ſecundùm Aëtium *lib.* 6. non ceſſat rodere & exedere profunda partis, cui inhæret, idque ſine intermiſſione.

Scirrhus quando & cur Cancer fiat?

REGULÆ AD CURATIONEM TUMORUM.

I.

CURATURUS Chirurgus tumores contra naturam, qui fiunt per viam fluxionis, duos ſibi ſcopos propoſitos habere debet. Prior eſt, ut ſiſtat humorem adhuc fluentem: poſterior, ut evacuet materiam per fluxionem jam in partem affectam delapſam. Ad ſiſtendum humorem fluentem, ante omnia amovenda eſt cauſa fluxionem movens, nempè repletio totius corporis, per venæ ſectionem & arctiorem diætam: Cacochymia per purgationem: debilitas & laxitas partium recipientium per topica adſtringentia & corroborantia: calor per refrigerantia; dolor per anodyna. Deindè omnibus modis danda eſt opera, ut divertatur curſus humoris, modò retrahendo ad partem contrariam, per adminicula revellentia, modò derivando ad partes vicinas. Poſt hæc deveniendum eſt ad evacuationem illius,

Methodus curandi tumores per fluxionem factos.

Prior ſcopus curæ.

2. Derivanda materia peccans.

3. Evacuandum.

quod jam in partem affectam defluxit: quod fit duobus modis. Primò, per resolventia & attrahentia, quorum beneficio humor transportetur & foràs extrahatur; vel per emollientia & suppurantia, ut fiat tumoris apertio, etiam (si opus sit) ferro, aut per cauterium actuale, vel potentiale.

NOTÆ:

Confirmatio superiorum ex Galeno.

AD CURATIONEM TUMORUM.] Galenus *cap.* 88. *artis Med.* 2. 13. *Meth. & aliis locis multis*, evincit, in omnibus morbis, qui adhuc fiunt, duo præcipuè considerandà esse Medico ad curationem eorum progredienti: prius, ait, consistere in Præservando; posterius, in Curando: horum illud respicit causam antecedentem; hoc conjunctam. Vides rationem, quâ & nos moti, in tumoribus contra naturam, qui fiunt per fluxionem; curandis, duos Medico proponamus scopos considerandos: quorum prior est, ut impediat fluxionem; posterior, ut evacuet humorem jam per fluxionem in partem delapsum, & infixum. His adjungit Guido tertium, nempè sedationem dolorum, utque reprimatur omnis occasio movens ad fluxionem vel attractionem ad partem; tribuitque huic rei secundum locum, ut Pareus tertium. Nos verò hoc aliter non consideramus quàm dependens aliquid à primo, aut velut accessorium quippiam. Hinc quoque id sub priore curationis parte complexi sumus; assignantes ei primum locum, moti eo, quòd ad sistendum fluxum necessarium sit mitigare dolorem, qui sit causa movens illius fluxûs. Manet ergo, in curatione tumorum, non nisi duos principales scopos considerandos esse, qui jam suprà à nobis suis sunt descripti limitibus.

Dolor sedandus.

Priori nostræ coincidit tertia Guidonis pars.

Sublatâ causâ tollitur effectus.

UT SISTAT HUMOREM FLUENTEM.] Omnis causa debet priùs debellari destruique, antequàm producat dispositionem, ad quam tendit, cùm constet, effectum perseverare ob continuationem causæ. Unde possibile non est, ut indispositio aboleatur, non extirpatâ priùs causâ productrice illius, ut Galenus infinitis locis ostendit. Hinc ad sistendum vel divertendum cursum fluxionis, ante omnia tollenda est causa, quæ illam movet; deinde divertendus cursus humoris, qui ad partem fluit: quærendus est enim ei alius transitus, ut muret deseratque noxium canalem, quem hactenus

genus obtinuit. Oritur autem causa fluxionis ferè à repletione totius corporis, quam Græci *Plethoram* appellare solent, vel ex malitia humorum cacochymicorum, vel ab imbecillitate & laxitate partis mittentis, vel robustâ facultate expultrice partis recipientis, vel propter humilem situm, vel denique ratione caloris aut doloris. Est ergo ante omnia amputanda causa omnis productrix fluxionis, per suum contrarium. Nam teste Galeno *cap.13. lib.9. Meth.* sicut dispositio naturalis conservatur per res similes, sic omnis dispositio, quę est contra naturam, aboletur per res contrarias. *Causa fluxionis.*

NEMPE REPLETIO TOTIUS CORPORIS.] Galenus *cap.6. lib.13. Meth.* ait, repletionem totius corporis minui phlebotomiâ, frequentibus balneis, exercitiis, frictionibus, unctionibus resolutivis & jejunio, quia repletio tollitur per contrarium suum, nempe inanitionem, quæ procuratur per omnia vacuantia remedia, quæ Græci vocant κενωλικά. Ego tamen nullius alius mentionem feci, præter Phlebotomiæ & tenuis dictæ, quòd sciam hæc esse duo præcipua remedia evacuantia, quódque alia illa propriè non conveniant impediendæ fluxioni. Si igitur corpus repletione gravatum est, minuendus erit sanguis, quantum satis sit, facto initio à partibus remotioribus, ut rectitudo fibrarum & communitas partium religiosè conservetur; & hoc sub initium & incrementum tumoris. Præscribetur deinde languenti victûs ratio admodùm tenuis, ut pars mandans egens alimento retineat secum humorem superfluum à nutritione, & sic sistatur fluxio. *Plethorica corpora ut curanda.* *Cautio in Phlebotomia.*

CACOCHYMIA PER PURGATIONEM.] Galenus *lib.5. cap.13. Meth.* inquit, Cacochymiam curari per purgationem appropriatam ad unumquemque humorem peccantem. Est autem Cacochymia (ait is *loco allegato*) abundantia humoris cholerici, vel phlegmatici, vel melancholici. Ex quo sequitur, purgationem, quæ nihil aliud est quàm evacuatio malorum humorum, triplicem esse, itidem ut Cacochymia triplex est: *Cholagogam*, quæ convenit purgando humori Cholerico: *Phlegmagogam*, ad humorem Phlegmaticum: & *Melanagogam*, ad evacuandum humorem Melancholicum aptam. Si igitur corpus abundet pravis humoribus, adhibenda erunt medicamenta purgantia, ut corpus ab impuritate (quam *humoralem* vocant) repurgetur. Eligenda autem erunt ejusmodi, quibus ineſt proprietas evacuandi *Cacochymia quid sit, & quotuplex.* *Cacochymia cura.*

humores vitiosos, qui fluunt, vel in via fluxionis sunt. Præterea non omittenda est ratio vivendi, quæ requiritur ad generandum bonum sanguinem, malosque & corpori noxios succos corrigendos.

Quæ sint topica adstringentia.

PER TOPICA ADSTRINGENTIA ET CORROBORANTIA.] Talia sunt repercussiva terrestria frigida in materia calida, & calida in materia frigida, *de quibus paulò pòst agemus.* Quapropter si causa fluxionis est imbecillita & laxitas partis recipientis, roboranda illa est & contrahenda horum usu. Si hoc accidit ob humilem situm, corpus ægri artificiosè ita collocandum erit, ut pars affecta, si fieri possit, altiorem locum obtineat.

Quæ calorẽ mitigantia.

CALOR PER REFRIGERANTIA.] Talia sunt repercussiva frigida, tàm aquea, quàm terrestria, *de quibus mox.*

Quid sit dolor & tres modi illius mitigandi.

DOLOR PER ANODYNA.] Dolor est sensus tristis & molestus, factus per subitam alterationem, vel solutionem continui. Mitigatur dolor sublatâ causâ illius efficiente, vel rursum corroborando calorem naturalem, aut hebetando sensum partis. Unde sequitur, tria genera esse remediorum Anodynorum. Primum est curativum morbi, oppugnans directè morbum, & ad hoc referuntur generaliter dicta Anodyna. Huic succedunt mitigantia dolorem, quæ non obstante continuatione causæ, allevant dolorem per temperatum calorem, qui primum gradum non transiliat, & hęc sunt propriè Anodyna, aliàs *paregorica* dicta. Ultimum locum obtinent stupefacientia, quæ *narcotica* dicuntur, impropriè Anodyna.

Anodyna primi modi.

In primo genere sunt omnia medicamenta contraria causis morbi, ut in intemperie calida oleum rosatum, oxycratum. In intemperie frigida oleum laurinum, nardinum, oleum de castoreo. In intemperatura sicca, mixtiones aquæ, ut olei, balnea aquæ dulcis. Breviter, omnia remedia, quæ tollunt causam doloris, sunt anodyna, largiter capto vocabulo, cujusmodi sunt venæ sectio, purgatio, cucurbitulæ, cauteria actualia & potentialia, clysteres, & id genus alia, quæ evacuant abundantiam materiæ, tollunt que ac delent dolorem.

Anodyna duplicia.

Anodyna propria temperata sunt, aut moderatè calida & humida, ad temperata quàm proximè accedentia, quæ, quia respondent aliquo modo calori naturali, habentque familiaritatem aliquam & amicitiam cum nostra natura, multùm leniunt dolorem.

Anodyna temperata quæ sint.

Temperata voco ea, quæ cùm non constent qualitatibus modum excedentibus, calo-

rem

rem naturalem integrum conſervant, qualia ſunt oleum ſimplex, oleum amygdalarum dulcium, vitellum ovorum. *Calida & humida in primo gradu* ſunt, quæ roborant calorem naturalem, rarefaciunt cutim, ſubtiles reddunt digeruntque humores & ventoſitates, quibus non patet exitus: hujusmodi ſunt flores chamomillæ, meliloti, anethi, crocus, oleum chamomillæ & anethi, oleum lini, vermium, ovorum, frumenti, lac muliebre & vaccinum, butyrum, axungia porci, vituli, pulli gallinacei, anſeris, cuniculi, anguillæ, pinguedo humana, mucilago ſeminis lini, fœnugræci, bismalvæ: decoctiones liliorum, violarum, teſtium & pedum & omenti vervecini. *Narcotica* ſunt frigida uſque ad quartum gradum, faciuntq; extremâ ſuâ frigiditate, ne ſpiritus animalis in affecta parte ſe exerere poſſit, unde auferunt ſenſum obſtupefacto membro, cui applicantur. Hujus generis ſunt, hyoſcyamus, cicuta, papaver, mandragora, opium & philonium. Non eſt utendum Narcoticis, niſi ſummâ neceſſitate urgente, putà cùm dolor nimis eſt vehemens, & nullis cedere vult remediis. Admiſcendus autem eſt ſemper Narcoticis, antequàm applicentur, crocus, vel caſtoreum, vel myrrha, & ejusmodi calida, quòd verendum ſit, ne ſtupefaciendo ſenſus eos omninò extinguant, aut introducendo ſpiſſitudinem materiæ denſitatemque cuti, malum reddant minùs curabile.

Calida & humida in primo gradu.

Stupefacientia anodyna.

Cautela in Narcoticis.

DEINDE OMNIBUS MODIS.] Galenus *cap. 6. lib. 4. Meth.* ſecutus doctrinam Hippocratis, oſtendit, ad ſiſtendam omnem fluxionem violentam neceſſarium eſſe, ut derivetur impetuoſus curſus humoris fluentis per revulſionem verſus partem contrariam, & per derivationem ad partes vicinas, ubi primùm fluxio ceſſare incipit, antequàm humor fortiùs adhæreat aut firmiùs affigatur.

Quando ſit locus revulſioni.

PER ADMINICULA REVELLENTIA:] qualia ſunt, venæ ſectio, ſcarificatio, applicatio cucurbitularum, hirudinum, ligaturæ, frictiones.

Revellentia remedia quæ ſint.

MODÒ DERIVANDO:] intellige, per venas communes.

POST HÆC DEVENIENDUM EST.] Quod attinet ad materiam in parte cõtentam, cùm illa ſit Naturæ contraria, quærit evacuationem; quæ duobus modis fieri poteſt: cùm aliò transfertur per remedia repercutientia, & foràs extrahitur per reſolventia vel attrahentia, poſtquàm emollientia jam antè adhibita ſunt, (ſi nimis ſit indurata) aut ape-

riendo tumorem, factâ coctione materiæ per ſuppurantia.

Quæ ſint repercutientia.

PER REPERCUTIENTIA:] Medicamenta, quæ Græci vocant ἀποπρεστικὰ, nos Latinè *Repercuſſiva* dicimus: ſuntque ea, quæ ſerviunt ad ſiſtendum humorem fluentem, & repellendum id, quod nuper in partem affectam delapſum eſt. Inter repercutientia alia ſunt aquoſa, ſine ulla adſtrictione; alia ſunt terreſtria & adſtringentia: horum rurſus alia ſunt calida, alia frigida. Medicamenta repercutientia aquea, quæ tantùm repellunt ob qualitatem frigidam, ſunt, lactuca, rumex, portulaca, cichoreum, centinodia, trifolium, ſolanum, lentes aquaticæ, umbilicus Veneris, pſyllium, cucurbitæ, cucumeres, melopepones, roſæ, albumen ovi. Fortiora ſunt, hyoſcyamus, papaver, boleti, mandragora. Repercutientia terreſtria & adſtringentia calida ſunt, inter herbas, abſynthium, centaurium, agrimonia, mentha, laurus, Gentiana, coriandrum. Inter aromata, cinnamomum, nux myriſtica, ſpica nardi, crocus, calamus aromaticus, cardamomum, myrrha, lignum aloës. Inter mineralia, chalcanthum, ſulphur, alumen, ſal. Inter compoſita, oleum de abſynthio, de maſtiche, de nardo, de coſto, ceratum ſtomachicum Galeni, diaſantalorum, emplaſtrum diacalciteos. Terreſtria adſtringentia frigida ſunt, quæ proprie repercutientia appellantur, inter herbas, plantago, folia vitium, quercus, cupreſſi, rubi, oxyacanthi, cauda equina, folia & fructus ſorbi arboris, meſpila, pyra ſylveſtria, poma cydonia, myrtus, groſſularia, capita & pediculi roſarum, nuces virides, cupreſſi, glandes, gallæ, ſumach & ejuſmodi fructus immaturi. Inter poculenta, acetum, agreſtæ (ut vocant,) ſuccus granatorum acidorum, cydoniorum, de berberibus, acacia. Inter cortices, de quercu, malicorio. Inter flores, balauſtia. Inter farinas, de hordeo, panico, avenâ, milio, orobo. Inter mineralia, antimonium, tutia, pompholyx, ſpodium, plumbum, lithargyrum, ceruſſa, terra lemnia, bolus armena, præterea coralium & ſanguis draconis. Inter olea, de roſis, olivarum viridium, myrtillorum, ol. papaveris, cydoniorum, nenuphar. Inter unguenta, album Rhaſis, roſatum, camphoratum, comitiſſæ, diapalma diſſolutum in oleo roſato & aceto, deſiccativum rubeum, diapompholygos, populeum. Inter emplaſtra, triapharmacon Gal., Contra rupturam, de ceruſſa. In compoſitione repercutientium craſſæ ſubſtantiæ ſæpè additur acetum, camphora & alia ingredientia partium ſubtilium, ut meliùs pe-

Repercutientia aquoſa.

Terreſtria calida & adſtringentia.

Terreſtria adſtringentia frigida.

ne-

netrent, & ſerviant pro vehiculo, quo deportetur ſubſtantia terreſtris & adſtringens, ut ad interiora penetrare poſſit. Ligaturæ debito modo factæ & intortæ, referuntur in numerum repercutientium, quia impediunt affluxum humorum, & ſic repellunt per accidens. *Ligaturæ & earum uſus.*

PER RESOLVENTIA.] Medicamenta reſolventia ſunt, quæ calore & tenuitate ſubſtantiæ ſuæ poros aperiunt, attenuant, diſſipant, faciuntq; ut evaporent & exhalent per inſenſilem tranſpirationem humores aliæque materiæ inutiles & ſuperfluæ in partibus, ubi hærent. Sunt autem hæc in duplici differentiâ. Quædam enim ſunt debiliora, quæ Græci vocant ἀραιωλικὰ, i.e. rarefacientia; alia ſunt fortiora, proprie dicta Diaphoretica. Quæ rarefaciunt, aperiunt emolliuntque cutim mediocri ſuo calore, cùm ſint parùm ſicca, ſubtilisque ſubſtantiæ, & ſic materiæ contentæ præbent exitum. Diaphoretica aliquantùm calidiora ſunt quàm araeotica, unde diſſipant inſenſibiliter id, quod eſt impactum infixumque partibus. Araeotica præcipua ſunt, bismalva, parietaria, adiantum, Mercurialis, ebulus, Valeriana, roſmarinum, ſalvia, thymus, flores chamomillæ, meliloti, anethum, farina hordeacea, triticea, ſemen lini, fœnugræci, ſem. nigellæ, mica panis, furfur, butyrum, pinguedo gallinacea, anſerina, anatũ, cuniculorum, vitulina: amygdalæ dulces, oleum chamomillæ, anethi, liliorum, lumbricorum, vitelli ovorum, tritici, amygdalarum dulcium, keirinum, unguentum altheæ, emplaſtrum diachylon ireatum. Diaphoretica rurſum ſunt vel ſimplicia, vel compoſita. Simplicia ſunt, ariſtolochia, enula campana, iris, cœpæ, ſquilla, polygonatum, bryonia, panis porcinus, acorus, aſphodelus, dracunculus, mentha, origanum, pulegium, ſerpillum, ſabina, calamintha, hyſſopus, urtica, artemiſia, lavendula, caulis, chamæpytis: ſemina, aniſi, fœniculi, cumini, piper, nux myriſtica, coriandrum, baccę lauri, juniperi: farina fabacea, de lupinis, de orobo & milio: mel, vinum vetus, aqua vitæ, muria, adeps taurinus, equinus, leoninus, caninus, hircinus, medullæ cervi & arietis: ammoniacum, galbanum, opopanax, ſagapenum, bdellium, ladanum, ſtyrax, laſerpitium: ſtercus caprinum, columbinum, bubulum. Compoſita: oleum amygdalarum amararum, juniperinum, de ſcorpionibus, de coſto, nardo, lauri baccis, itidem rutæ, de euphorbio, tartaro, latere cocto: petroleum: unguentum Agrippæ, Martiatum, Aragonis & enulatum: em- *Quæ ſint reſolventia. Duplicia, rarefacientia & Diaphoretica. Araeotica. Diaphoretica. Simplicia. Compoſita.*

UNIVERSIDAD DE NAVARRA BIBLIOTECA

plaſtrum de Vigo, oxycroceum, & diacalciteos diſſolutum in oleo digerente.

Attrahentia medicamenta.

ATTRAHENTIA] Medicamenta, quæ Græci appellant *Helctica & Epiſpaſtica*, & nos *Attrahentia* vocamus, contraria ſunt repercuſſivis. Sunt autem calidæ ſubtilisque ſubſtantiæ, cujus vi foràs extrahunt inque circumferentiam id, quod profundiùs latet in corpore. Eſt autem virtus attrahendi duplex: vel naturalis, vel accidentalis. Illa ſequitur qualitatem manifeſtam, vel proprietatem occultam & familiarem Naturæ. Medicamenta attractiva per qualitatem manifeſtam ſunt, inter ſimplicia, allium, bryonia, cœpe, porrum, ariſtolochia, hermodactyli, cyclaminus, ſigillum Mariæ, aron, aſarum, aſphodelus, gentiana, pyrethrum, ſavina, anagallis, urtica, titymalus, aliæque plantæ acres. Gummata, ammoniacum, bdellium, galbanum, opopanax, ſagapenum, euphorbium: ſulphur, ſal ammoniacum, auripigmentum, calx viva; pinguedo urſi, viperæ, anſeris, canis, axungia vetus. Inter compoſita, oleum ſcorpionum, ſpicæ, Philoſophorum, unguentum Agrippæ, Martiatum, enulatum, Aragon. Emplaſtra: de meliloto, diachylon magnum, oxycroceum, divinum. Quæ attrahunt familiaritate quâdam ſubſtantiæ, ſunt, magnes, Mercurius, carabe, pæonia, omnes confectiones alexipharmacæ magnæ, theriaca, mithridatium, & omnia medicamenta catharctica. Attrahentia per qualitatem accidentalem: ſtercus columbinum, caprinum, vaccinum, fermentum, caſeus vetus, & id genus alia, quibus attractiva facultas ineſt per acrimoniam qualitatum à vi putrefactionis excitata. Ventoſæ, ſanguiſugæ, cucurbitulæ, factiones, dolores, ligaturæ, frictiones & cauteria pertinent ad catalogum attrahentium per accidens.

Duplicia.

Per ſe.

Per accidens.

Quæ ſint medicamenta emollientia.

EMOLLIENTIA.] Hæc à Græcis vocantur μαλακτικὰ, emolliuntque indurata corpora moderato ſuo calore ſine ulla humiditate aut ſiccitate apparente. Hujus cenſûs ſunt inter ſimplicia, radices liliorum, bismalvæ, folia malvæ, bismalvæ & violaceæ, herbæ, ſemen malvæ & bismalvæ, lini, fœnugræci, groſſi, uvæ paſſæ, decoctum teſtium, pedum & omenti arietum: pinguedo porcina, vitulina, caprina, vulpina, urſina, gallinacea, anſerina, humana, butyrum, lana ſuccida, medulla cervi, cera pinguis, vitellus ovi, bdellium, ammoniacum, galbanum, ladanum, ſtyrax, opopanax, oleum olivæ & amygdalarum dulcium. Inter compoſita, oleum liliorum,

rum, unguentum de althæa, emplastrum diachylon, oxycroceum, ceroneum & de mucilaginibus.

Quæ sint suppurantia.

SUPPURANTIA.] Medicamenta suppurantia sunt, quæ claudunt poros, & impediunt transpirationem, atque sic augent calorem naturalem, ut convertant putridum sanguinem in pus. Sunt autem naturâ calida & humida, similia temperaturæ partis, cui applicantur: consistentia est illis, qualis est emplastris, ut conservare calorem naturalem possint, ne exhaletur & dissipetur. Hujus generis sunt, adeps animalium domesticorum, butyrum, farina tritici cribrati & à furfuribus purgati, in hydrelæo cocta, grossi, pix, thus, radices bismalvæ, liliorum, cœparum, cum foliis lapathi. Inter unguenta, basilicum & diachylon.

Cauterium duplex.

FERRO AUT PER CAUTERIUM.] Cùm apostema venit ad suppurationem, si pus gignatur, non rumpitur suâ sponte: aperiendum igitur est vel scalpello, vel novaculâ, vel cauterio actuali, aut potentiali. Sunt autem cauteria potentialia, medicamenta, quæ virtute suâ causticâ urunt & escharam inducunt. Applicantur hæc ad faciendam aperturam partis alicujus, ut fieri possit evacuatio, derivatio, revulsio & attractio humorum. Conveniunt hæc propriè apostematibus phlegmaticis, quòd caliditate suâ humores frigidos crudosque coquant, qui difficulter suppurantur, ut & illis, in quibus fluxus sanguinis metuendus est. Faciunt & ad apostemata Venerea, bubones & carbones pestilentiales, nisi magna adsit inflammatio, quia attrahunt venenum è profundo in superficiem, præbentque amplum materiæ exitum. Eadem de causa prosunt ad puncturas & morsus bestiarum venenatarum, suntque apta ad consumendum carnes superfluas putridasque, utq; cadant crustæ callosæ à labiis ulcerum. Fiunt autem cauteria ejusmodi è cineribus quernis, ficulneis, è sarmentis vitium, de tithymalo, de trunco caulis & fabarum, è cinere de fæce vini combusta, aliisque similibus. Sunt & certa mineralia, quæ materiam illis præbent, chalcanthum, alumen, nitrum. Conficitur insuper sal ex omnibus rebus, qui calore suo causticò escharam facit, velut ferrum aut vivus carbo, unde fit apertura tumoris, consumtâ corrosâque cute & carne, cui applicantur. Laudantur à Pareo valdè Cauteria serica, quæ ipse ita appellat, cùm quia artem conficiendi illa mercatus est à Chymicæ artis & extrahendi quintam essentiam homine peritissimo, exhibitâ ei materiâ serica

Potentialia ad quæ sit utile.

Unde fiant cauteria potentialia.

Cauteria serica Parei.

cà heteromallâ; tùm quòd mitissima sint, nec quicquam doloris pariant, si imponantur partibus nondum inflammatis.

Eorum descriptio. Describit autem cauteria illa ad hunc modum. Accipe cineres de siliquis fabarum, (quorum loco potes etiam earum truncis uti) cineres de lignis quernis benè coctis, utriusque generis ℔ iij. cinerum e fæce vini adusta ℔ j. aluminis glaciati in pulverem redacti ʒ iiij. aquæ fluviatilis quartulas sex, mitte hæc omnia in Caldarium, & confunde diligenter. Postmodùm adde lapidem unum calcis vivæ, ad pondus ℔ iiij. misce omnia aliquoties, & sine ut ita macerentur per biduì spatium, commovendo ea interim subindè, ut fiat inde lixivium valdè forte. Hoc exemptum coctumque ad ignem cola per linteam crassioris fili. Hanc colaturam rursus bis vel ter infunde denuò super eosdem cineres, ut acquirat virtutem igneam, deinde sine ut bulliat in pelvi, quâ barbitonsores utuntur, vel in vase figulino plumbato, subjectis affatim vivis carbonibus, donec omne redigatur in materiam terrestrem instar salis. Non est autem sal iste tàm diù relinquendus supra ignem, donec omnis ejus humiditas siccetur aut consumatur, sed auferendus est ab igne, cùm aliquid humoris ei supereste, ut inde, quot velis, cauteria fingere possis, magna, parva, longa, rotunda: quæ ita efficta statim indes uni pluribusque vasis vitreis sive phialis, probè obturatis eorum orificiis, ne admisso aëre in aquam diffluant, sicq; conservabis in loco calido siccoque, miniméque humido, ne liquescant, sed ut illis uti possis, cùm opus est.

Quid sint vesicatoria. Vesicatoria vel rubores inducentia, quæ Græci vocant *Phænigmata*, multum familiaritatis habent cum cauteriis potentialibus. Sunt autem medicamenta acria, quibus inest virtus faciendi vesicas & ulcerandi cutem, extrahendique foràs humores impactos parti affectæ, qui digeri per resolventia, emollientia & attractiva non potuerunt.

Materia eorum. Sumitur autem materia eorum à medicamentis septicis, cujus generis sunt sinapi, anacarda, cantharides, euphorbium, squillæ, radix bryoniæ, aliæque similes res, quæ incorporantur cum melle vel therebintina aut fermento, aut gummi aliquo vel resinâ, ut inde fiat Unguentum, Emplastrum vel Cataplasma. Exempli gratiâ, ℞. *Canthar. euphorb. sinap.* aã ʒ ß. *mellis anacardini* ʒ j. *aceti* modicum. Excipiantur fermento, & fiat Vesicatorium. Hujus ope extrahuntur foràs aquæ hydropicorum & serosus humor, ex quacunque parte, auferturque contumax dolor capitis,

pitis, coxarum & junctarum. Hinc remediorum istorum usus est, in dispositionibus longis, cùm cætera nihil profecerint, in Hemicrania, Epilepsia, morbo Ischiatico & Podagra. Adhibentur etiam in Carbunculis pestiferis.

II.

Cavendum est etiam atq; etiam, ne applicentur repercutientia tunc, cùm materia continetur in glandulis, post aures, in inguinibus vel juxta partes nobiles; vel cùm ipsa est critica, vel venenosa & maligna, vel etiàm crassa & viscidà. Resolventia conveniunt materiæ subtili. Attrahentia locum habent, cùm jam in eo est, ut humor redeat interiùs ad partes nobiles & principes. Cùm materia indurata est, utile erit applicare emollientia, antequàm utaris resolventibus. Quòd si materia ob crassitiem suam omninò & penitùs resolvi non possit, veniendum est ad suppurantia. Tumore jam suppurato, nisi per se rumpatur, necesse est facere apertionem in loco molliori, ubi cedit digito relicto vestigio impressionis, in parte humiliore, quâ pus commodiùs exire possit, observatâ rectitudine fibrarum, & longitudine venarum, nervorum & arteriarum. Neq; verò omnis materia simul ac semel evacuanda est, si abscessus sit grandior. Tandem mundandum, incarnandum & ad cicatricem perducendum est ulcus.

Quando sint applicanda repercutientia.

Variæ cautiones.

NOTÆ.

CAVENDUM EST AUTEM.] Guidonis, ut & omnium antiquorum pertinax sententia est, sub initium tumorum phlegmonosorum aliorumque omnium, qui per viam fluxionis producuntur, utendum esse repercutientibus, præterquàm in casibus exceptis. Notavitq; idem Guido, Galenum singulariter excipere quatuor casus. 1. Cùm tumor est in emunctoriis. 2. Cùm constat è materia venenosa. 3. Cùm materia crassa est & viscida. 4. Cùm nimis impacta est affectæ parti. Avicennas duos tantùm casus excipit; quando tumor

Quomodo sint curanda ulcera.

Casus excepti quatuor.

tumor est in emunctoriis, vel in tali loco, unde periculum sit, ne redeat materia peccans ad partes principes. Alii denique unum duntaxat excipiunt: rursum alii sex, decem, novendecim, viginti-tres. Sed de his dicere nihil attinet.

Primò utendum resolventibus.

RESOLVENTIA CONVENIUNT.] Cùm optima sit via terminandi tumores, quæ fit per resolutionem, ut breviore insistamus viâ, conandum est, an aliquid profici posset per remedia resolventia, antequàm suppuratio tentetur, in primis autem tunc, cùm materia subtilis est & tenuis, quòd hæc sit facilis ad digerendum.

Attrahentia quando adhibenda.

ATTRAHENTIA LOCUM HABENT.] Si metus sit, ne materia redeat interiùs ad partes nobiles, impediendæ est per medicamenta attrahentia tumori imposita; his enim ineſt virtus extrahendi foràs materiam, quæ jam in eo erat, ut penitiora repeteret. Serviunt insuper ad revellendum, quod residuum est à Phlegmone induratâ, ad maturandum abscessus criticos, ad extrahendum festucas fractorum ossium, clavos, spinas, sagittas, ad eliciendum venenum in extimam pellem, adeóque ad curandos morsus tàm animalium, quàm hominum, ad exhauriendam vitiosam laniem in plagis partium nervosarum & malignorum ulcerum, adq; reddendam vitam partibus tabidis & macie confectis, postremò ad calefacienda frigida membra.

Cur emollientia aliquando præcedant resolventibus?

UTILE ERIT APPLICARE EMOLLIENTIA.] Quando humor affectæ parti impactus valdè induratus est, applicanda erunt medicamenta emollientia, antequàm utaris resolventibus, quòd talis materia resolvi nullo modo possit, nisi priùs emolliatur. Et hæc est causa, cur utamur medicamentis emollientibus in tumoribus scirrhosis, qui aliquando ad extremum gignuntur in mediis musculis, in glandibus, visceribus, labiis ulcerum è materia crassa frigida & viscosa, qualis est pituita & atra bilis. Sunt tamen tumores ex hoc humore geniti utplurimùm cancrosi, ideóq; malignores fiunt per usum emollientium; qui verò generantur è pituita, magis indigent emollientibus.

Quando sit ad suppurantia recurrendum?

VENIENDUM EST AD SUPPURANTIA.] Cùm materia nimis crassa est, quàm ut totaliter digeri per remedia resolventia possit, tunc necesse est, ut ad suppurantia confugiamus, ut pori, crassitie illâ obturati, contineant intra se naturalem calorem, qui eo pacto plus habet vigoris virtutisque, ad maturandam coctionem materiæ, ut sic ista materia

in

in pus conversa ad extremum evacuari possit, facta apertione vel à natura, vel ab artificio.

TUMORE JAM SUPPURATO.] Antequàm fiat apertio, maturanda prius perfectè est materia, ut totus tumor suppuretur, alioquin quod supereſt, manebit crudum, & per consequens longæ ac difficilis curationis. Unde præcipitanda nequaquàm est apertura tumoris, neque tunc facienda, cùm pars quædam materiè suppurata apparuerit. Facto enim initio, id, quod jam concoctum est, celeriter residuum quoque in pus rediget. Videmus hoc in corporibus inanimatis, exempli gratiâ in pomo, quod putrescere incipit, ubi sublatâ putridâ parte, reliquum quoque celeriter putrefit, quod ut impediatur, abscinditur pars jam corrupta. Sic quoque comparatum est cum humoribus contentis in tumoribus præter naturam. Diligenter igitur Chirurgus observabit hoc præceptum: quod ita intelligendum est, si pars à tumore obsessa non sit subjecta corruptioni, aut si materia contenta non sit venenosa aut critica. Sed si tumor omninò fuerit suppuratus, nisi sponte suâ rumpatur, necesse erit, ut paulò post aperiatur, ne pus ampliùs putrefiat, vicinasque partes corrodat, nato maligno ulcere aut fistulâ interiùs. *Abscessus quando sit aperiendus.*

FACERE APERTIONEM.] In Apostematis alicujus apertione sex res considerari solent, ut tàm veteres quàm recentiores Medici observaverunt. I. Ut apertio fiat in loco molliori, & qui cedit impressioni digiti, & ubi acuminatur, quia constat, ibi materiam magis quàm alibi suppuratam esse, & cutem tenuiorem. II. Ut fiat in loco humiliori, quo pus expeditiùs effluere possit, neque fœtorem contrahat. III. Ut fiat secundùm rugas cutis & rectitudinem musculorum. IV. Ut vitentur majora vasa, qualia sunt venæ, arteriæ, nervi. V. Ne materia semel ac unâ vice evacuetur, ne sequatur debilitatio virium, ob nimiam evacuationem spirituum exeuntium cum materia. VI. Ut post aperturam locus mundetur, carne repleatur, & ad cicatricem perducatur. Factâ apertione si quædam pars tumoris supersit, quæ nondum omninò suppurata fuerit, cogitare debet Chirurgus, duplicem sibi restare curam, tumoris videlicet & ulceris, exigente ordine Medicinæ, ut prius curetur tumor, deinde ulcus; cùm hoc curationem recipere non possit, nisi prius pars tumefacta ad naturalem habitum redacta fuerit. Continuabit igitur usum medicamentorum suppurantium, tracta- *In aperiendo abscessu sex sunt consideranda.*

tractabitque ulcus duorum triúmve dierum ſpacio cum tali digeſtivo. ℞. Vitellum unius ovi, therebint. Venet. & olei roſati añ ʒ ß. Miſce. Hinc mundabis tali medicamento. ℞. Mellis roſati ʒ j. ſyrupi roſat. & therebinti Venet. añ ʒ j ß. farinæ hordei ʒ ij. fiat medicamentum ad uſum. Vel ſanè mundificativo de apio, cujus hæc eſt confectio. ℞. *Suc. apii, abſynth. beton. plantag.* añ ʒ j. *mel. commun.* ʒ v. *therebinth. Venet.* ʒ iiij. *far. hordei, orobi* añ ʒ ij. *pulv. aloës, myrrhæ, rad. ireos Florent.* añ ʒ j. Coquatur mel cum ſuccis, quibus conſumptis addantur farinæ & pulveres, miſceantur omnia ad formam unguenti. Si opus fuerit ulteriore mundificatione, uteris unguent. Apoſtol. vel aureo & Ægyptiaco, miſtis ſimul, ut ars poſtulat. Emundato ad hunc modum ulcere incarnetur, & ad cicatricem perducatur.

Deſcriptio Mundificativi de apio.

III.

In curatione Tumorum, conſideranda eſt illorum eſſentia, qualitas materiæ, & natura partium, in quibus illi hærent. Pro magnitudine enim eorum vel parvitate oportet augere, minuere vel mutare medicamenta. Pro ratione Tumorum, conſideranda eſt eorum qualitas, & hîc adhibenda propria remedia; poſtremò ſecundùm naturam partium affectarum varianda eſt cura.

In morbis curandis tria conſideranda.

ANNOTATIO.

Cura Tumorum quot modis differat.

In cura Apoſtematum tria obſervanda ſunt: primò eſſentia Tumoris: ſecundò qualitas humoris, qui tumorem fecit: tertiò natura partis, in qua tumor reſidet. Primum indiciũ, ſumptum ab eſſentia tumoris, variat curam. Ut enim tumor magnus eſt ſive parvus, ita adhibentur remedia. Idem facit ſecundum indicium, ſumptum à qualitate humoris, qui cauſatur illam tumoris ſpeciem, cùm aliter tractandus ſit tumor ſanguineus, quàm is, qui à flava vel atra bile genitus eſt, vel alia materia. Sic etiam aliter curandum eſt Oedema quàm Scirrhus; Phlegmone quàm Eryſipelas. Sic & cura tumoris à naturali humore orti, diſſimilis eſt illi, quâ utimur in humore non-naturali: poſtremò tumores facti per congeſtionem aliam exigunt curam, quàm qui fiunt per viam fluxionis. Tertium indicium ſumitur à natura partis tumore obſeſſi, nec minùs quàm ſuperiora variat tractationem. Per naturam

ram enim partis intelligimus ejus temperamentum, formationem, ſitum & facultatem. Ex his omnibus ſumitur indicium. Temperamentum enim monſtrat nobis, alia convenire remedia partibus carnoſis, quæ ſunt humidiores, alia nervoſis, quæ ſicciores ſunt. Sic quoque ut remittantur omnes cęteræ partes in temperamentum ſuum naturale, diverſa requiruntur remedia. Conformatio etiam partis nos docet, partes quasdam interiùs habere cavitates & ſpacia, alias verò non. Adde, quòd aliæ ſint raræ, aliæ ſolidę: unde & aliæ magis obnoxiæ ſunt fluxionibus, aliæ minús. Aliter igitur procedendum eſt Medico in cura unius, quàm alterius. Nec parum momenti habet conſideratio ſitûs, propter connexionem, quam pars affecta quandoque habet cum magnis vaſis, & commoditatem ductuum, ad faciliorem evacuationem humoris ibi contenti. Pariter & facultas partis (ad quam Galenus reducit uſum ejus atque ſenſum) non parum mutat curationem. Inter partes enim corporis noſtri quædam ſunt principales, ut cerebrum, cor, epar, à quibus virtus per totum corpus diſtribuitur, per nervos, arterias & venas; aliæ ſunt ita neceſſariæ, ut homo diù vivere non poſſit ſine earum actione, in quo genere eſt ventriculus, quibus ſollicitè & cum cura applicanda ſunt medicamenta, quæ laxant & reſolvunt immoderatè, aut quæ ultra modum refrigerant; aliis ineſt ſenſus exquiſitus, putà oculo, nervis, membranis, & tendinibus, quæ ob ſubtilem ſenſum acria ac mordicantia medicamenta perferre non poſſunt.

IV.

Quæ conſideranda in cura Phlegmones.

Duo præcipuè conſiderantur in cura Phlegmones: prius eſt, ut amputetur via ſanguini confluenti ad partem; poſterius, ut evacuetur ille, qui jam affluxit. Ad obtinendum prius, oportet ab ipſa ſcaturigine tollere ni-miam ſanguinis quantitatem per phlebotomiam: impedire incrementum ejus atq; impetum arctiore victu & refrigerante: curſum ſanguinis alió divertere, & ad partes contrarias revocare per revellentia, &, antequàm infigatur, illum derivare, aliumq; oſtendere tranſitum: inſuper extinguere calorem, mitigare dolo-

rem, & amputare omnem occasionem, quâ fit attractio ad partem affectam. Ad evacuandum autem sanguinem, qui jam confluxit ad partem, utendum est medicamentis repercutientibus durante fluxione, ut repellatur id, quod incessanter adfluit, dum nondum infixum est. Resolventibus utendum est, ad extrahendum per insensilem transpirationem id, quod jam firmiter affixum est & inhæret. Et hæc est causa, ob quam pura repercutientia locum habere debent initiò: in augmento verò resolventia in parva quantitate cum illis conjungi: in vigore denique æqualiter miscere: postremò in declinatione pura resolventia adhibenda. Quòd si humor taliter impactus est parti, ut repercuti resolvique non possit, & tumor ad apostema deveniat, recurrendum est ad suppurantia, quæ dum occludunt perspiracula cutis, perficiunt concoctionem auxilio caloris naturalis. Quòd si apostema suâ sponte non aperiatur, aperiendum est, ne pus putrescat ampliùs, & rodat exedatque partes vicinas. Si Gangræna superveniret, quiescendum esset: si verò ne Sphacelus quidem impediri posset, necessariò abscindendum foret membrum mortificatum, quò servaretur residuum corpus.

NOTÆ.

Ratio, cur Auctor duobus capitibus complectatur curam Tumorum.

DUO CONSIDERANTUR IN CURA PHLEGMONES.] Guido, Gormelenius, Pareus aliique recentiores in cura Phlegmones quatuor sibi puncta proponunt: rationem vivendi; impedimentum humoris fluentis; evacuationem ejus, qui jam affluxit; & correctionem accidentium. Mihi verò placuit, cum Galeno *cap. 2. lib. 3. Meth.* omnem curationem Phlegmones, ut & Erysipelatis, Oedematis & Scirrhi, ad duo principalia puncta reducere, quorum prius respicit causam antecedentem, posterius conjunctam, ut eo pacto me-

methodus generalis curandi tumores, ad hos velut duos scopos collineans, observetur in omnibus speciebus. Accedit, quòd victûs ratio ideò instituatur, ut sisteretur fluxio. Quod ad accidentia attinet, si ea levia sunt, non desiderant singularem curam; cùm constet, sublatâ causâ conjunctâ, illa evanescere: si gravia sunt, putà vehemens calor & dolor, fiunt causæ moventes fluxionem: sic sequetur, primum & ultimum eorum intentionis caput appendices esse illius, quod ipsi secundum constituunt. Habes, Lector, causam, cur omnem curam Phlegmones duobus complectar capitibus, comprehendens sub prima victûs rationem, extinctionem caloris, & mitigationem doloris.

Cur necessaria sit vena sectio?

UT INTERCIDATUR VIA SANGUINI.] Ad amputandum affluxum, tollenda est causa illius: est autem hæc præcipuè abundantia sanguinis. Vides rationem, propter quam initium in cura Phlegmones à venæ sectione sit faciendum. Extrahendum autem est tantum sanguinis, quantum requiritur ad diminutionem plenitudinis. Etsi autem fortè corpus plethoricum non esset, & inflammatio nullâ aliâ occasione provocaretur, quàm calore & dolore partis affectæ; non tamen esset intermittenda sectio venæ, morbi magnitudine id exigente, ut Galenus monet 13. *Meth.* ita tamen, ut habeatur respectus ad naturam & ætatem languentis, nec non ad constitutionem temporis & regionis.

Cur victus tenuis esse debeat?

ARCTIORE VICTU ET REFRIGERANTE.] Sicut larga & affluens victûs ratio multũ gignit sanguinis, sic diæta angusta & tenuis minuit nimiam ejus quantitatem, & impedit illius incrementum. Sicut etiam usus ciborum calefacientium provocat augetque fluxionem sanguinis: sic & refrigerantes cibi refrænant sistuntque impetuosum ejus cursum. Hæc est causa, cur victûs ratio tendere debeat ad frigiditatem, & (si adsit febris) ad moderatam humiditatem. Intelligo autem per *victûs rationem* cum Galeno, usum sex rerum non-naturalium, (ut vocantur.) Locum igitur æger sibi deliget, in quo habitet, ubi aër purus sit & clarus, simulq; frigidiusculus. Cibus ejus potusque sit moderatè frigidus & humidus; abstineat à cibis multùm nutrientibus; utatur jusculentis decoctisque de lapatho, lactucâ, spinachiâ, bugloſsâ, borragine, cichoreo. Vitet omnia aromata, allium,

In quo consistat recta victûs ratio.

cœpas, & omninò omnes cibos, qui calefaciunt sanguinem: nec non pinguia & dulcia edulia, cùm hæc celeriter inflammare queant. Vinum bibat tenue & dilutum: quòd si febris adsit, abstineat omninò, bibatque aquam hordeaceam vel decoctum. Studeat esse quietus, quòd omnis motus calefaciat, inprimis verò, ne exerceat partem affectam, quocunque modo id fiat. In dormiendo servet mediocritatem. Venter ut liber sit à constipatione, det operam; quòd si sponte alvus non fluat, utatur clysteribus & suppositoriis per intervalla. Caveat ab omnibus vehementioribus animi affectionibus, ab irâ, tristitiâ, vitetque inprimis consortia fœminarum.

Quæ sint remedia revellentia.

PER REMEDIA REVELLENTIA:] qualis est venæ sectio directè contraria parti ægræ; & applicatio cucurbitularum; nec non frictiones & ligaturæ partis oppositæ. Itaque si Ophthalmia fuerit in parte dextra, vel Synanche in parte dextra gutturis, statim, & sub ipsum fluxionis initium, aperienda est cephalica in brachio dextro. Quòd si humor fluat in genu, secanda est basilica brachii in eodem latere, observatâ semper rectitudine, quod Græci vocant κατ' ἴξιν. Similiter, si sit Phlegmone in brachio sinistro, fricandæ sunt & ligandæ coxæ; si sit in ipsis coxis, facienda frictio & ligatura in brachio.

Quando locus derivantibus.

ANTEQUAM INFIGATUR.] Post revulsionem locus dandus est derivationi, quæ abstrahat humorem adhuc fluentem, nec fortiter adhærentem. Si enim quæstio est de derivando & aperiendo vel evacuando vas propinquum, necessarium est, ut derivatio proveniat à revulsione, vacueturq; semper humor, nondum firmiter infixus.

Causa refrigerantium & mitigantium.

EXTINGUERE CALOREM, MITIGARE DOLOREM.] Necesse est, ut ante omnia sedulus sit Chirurgus in temperando calore & mitigando dolore, quòd tàm hic, quàm ille, causa sit novæ fluxionis, attrahendo nimirum sanguinem & spiritus ad affectam partem. Hinc opus est, ut applicentur continuò remedia refrigerantia & mitigantia, quale est Linimentum olei rosati cum pauxillo cerę circumpositum: Cataplasma de mica panis triticei in lacte madefacti cum vitellis ovorum, oleo rosato & pauxillo croci: vel de malva in aqua cocta, admistis furfuribus, oleo rosato vel violaceo, & croco. Vel ℞. *Flor. chamæm. melilot.* aā P. ij. *far. sem. lini, fœnugræci* aā ℥ j. *mucilag. sem. psyllii, cydoniorum* aā ℥ ß. *ol. chamæm. viol.* aā q. s. Fiat Cataplasma ad formam pultis satis liqui-

liquidę. Vel ℞. *Mucilag. sem. althæa, fœnugræci* aã ℥ iij. *ol. roſat. aneth.* aã ℥ ij & ß. *far. ſem. lini* q.ſ. formetur inde Cataplaſma ſatis molle. Quòd ſi dolor adeò ſit vehemens, ut his remediis mitigari non poſſit, prudenter utendum erit Narcoticis præparatis & accommodatis ad hunc modum. ℞. *Fol. hyoſcyami, papav. ſub cineribus coct.* aã ℥ iiij. *adip. ſuilli, ol. roſat.* aã ℥ ij. *croci* ʒ ß. fiat Cataplaſma. Vel ℞. *Fol. recent. mandragoræ, ſemperviv. oxal.* aã M. ij. terantur & colo tranſmittantur, addendo *ol. violac.* ℥ ij. fiat Cataplaſma. Vel ℞. *Foliorum cicutæ & ſolani* aã ℥ iij. coquantur ſub cineribus, terantur & colo tranſmittantur, addendo *Unguenti populei & olei roſati* aã ℥ j. *farinæ fœnugræci* q.ſ. ut inde formari poſſit Cataplaſma ad formam pultis ſatis liquidæ.

Quando ſint adhibenda Narcotica.

AD EVACUANDUM SANGUINEM, QUI JAM AFFLUXIT.] Fit evacuatio, per quam curamus propriè Phlegmonem, pro temporum diverſitate, per medicamenta diverſarum facultatum, *ut Galenus non uno loco monet.* A principio enim opus eſt, ut rejiciatur materia Phlegmones per repercutientia, ut ſunt, ſpongiæ madefactæ oxycrato, lintea intincta albuminibus ovorum, oleum roſatum cum aqua vel ſucco plantaginis vel roſarum. Fit & Cataplaſma de ſedo minore, de cortice granati, de ſumach, de ceraſis acidis. Vel ℞. *Suc. ſempervivi, plantag.* aã ℥ iij. *farin. hordei* ℥ ij. *pulv. malicorii, balauſtiæ, roſ.* aã ʒ ij. *ol. roſ. myrtill.* aã ʒ j. fiat Cataplaſma. Vel ℞. *Fol. plantag. ſolani, hyoſcy.* aã M. ij. *cauda equin. thapſiæ barbat. centinodii* aã M. j. coquantur perfectè in oxycrato, terantur & colo tranſmittantur, addendo *pulv. myrtill. nuc. cupreſſ. & roſ. rub.* aã ʒ iij. *farin. fabar.* ℥ ij. *ol. roſat. & cydoniorum* aã ℥ j ß. fiat Cataplaſma ad formam pultis ſatis liquidæ. Utimur & cum unguento roſ. albo Rhaſis, camphor. pop. Empl. diachalc. diſſoluto in aceto & ol. roſat. In augmento affectûs, cùm non ſolùm ſit repellenda materia, quæ fluit, ſed & ea, quæ jam eſt impacta parti, aliquo modo reſolvenda, conjungendum eſt aliquid reſolventis, cum repercutientibus in hunc modum. ℞. *Fol. malvæ, plantag. abſynthii* aã M. ij. coquantur in oxycrato, terantur & colo tranſmittantur: adde *far. fabar. & hordei* aã ℥ j. *roſar. rubr. & abſynthii* aã ʒ ij. *ol. roſat. & chamomill.* aã ℥ j. fiat Cataplaſma ad formam pultis. Vel ℞. *far. hordei* ℥ iiij. *far. ſem. lini & fœnugræci* aã ℥ ij. *axung. anſer. & ol. roſati* aã ℥ ij. fiat Cataplaſma. In ſtatu ſive vigore mali, cùm non minùs ſit habendus reſpectus ad materiam

Topica evacuantia variare debent,

In incremento mor-

bi:

In vigore

impactam, quàm ad eam, quæ adhuc ad partem fluit, utile erit uti resolventibus in pari quantitate cum repercutientibus, &, si adsit dolor, miscere mitigantia, in hunc aut similem modum. ℞. *Rad. althææ* ℥ iij. *malvæ*, *parietariæ* aā M. ij. coquantur sub cineribus, addendo *far. fabar. & lentium* aā ℥ ij. *pulv. chamomill. melil.* aā ℥ ß. *ol. chamomill. rosar.* aā ℥ j. *axung. gallin.* ℥ ij. fiat Cataplasma. Vel ℞. *Micæ panis triticei in aqua calida maceratæ* ℔ ß. *pulv. rosarum & absynthii* aā ℥ ß. *ol. anethi & mellis communis* aā ℥ ij. fiat Cataplasma ad formam pultis. Declinante malo, cùm alium scopum propositum habere non debeamus, quàm ut sensibiliter resolvamus materiam impactam, necesse erit uti puris solisque resolventibus: cujus generis sunt hæc. ℞. *Malvæ, bismalvæ* aā M. ij. *coquantur, addendo farin. hord.* ℥ ij. *mellis communis* ℥ j. *ol. chamæmeli, anethi* ℥ j ß. fiat Cataplasma. Vel ℞. *Rad. bryoniæ, cucumeris agrestis* aā ℥ ij. *florum chamæmeli, meliloti* aā P. ij. coquantur in hydromelite, addendo *farin. sem. lini, fœnugræci* aā ℥ ij. *ol. anethi, axung. anseris, anatis* aā ℥ j. fiat Cataplasma. Vel ℞. *Empl. diachyl. magni* ℥ ij. *emplast. de meliloto* ℥ j. *ol. anethi & chamæmeli* aā ℥ ß. liquefiant omnia simul. Vel ℞. *Emplast. de mucilag. oxicroceo* aā ℥ ij. *emplast. diachyl. treat.* ℥ j. *ol. lilior. aut chamæmeli* q. s. fiat Emplast. satis molle.

In declinatione.

Quando recurrendum ad suppurantia.

. AD SUPPURANTIA.] Cùm nulla spes est resolutionis, transeundum est à resolventibus ad suppurantia. Conveniunt hûc propriè Basilicon & Diachylon magnum. Galenus utitur hydrelæo in fomentationibus, deinde applicat Cataplasma de farina triticea, mediocriter bulliente in hydrelæo, aut mica panis mediocriter cocta in aqua & oleo. Poteris etiam uti hoc: ℞. *Rad. liliorum, althææ* aā ℥ ij. *fol. parietar. senec.* aā M. j. coquantur in hydromelite, terantur & colo transmittantur, *addendo farinæ sem. lini* ℥ ij. *adip. suilli & ol. liliorum* aā ℥ j ß. fiat Cataplasma. Vel ℞. *Malvæ, althææ* aā M. j. *caric. ping.* N. x. *passularum* ℥ ij. coquantur in aq. q. s. terantur & colo transmittantur, addendo *mellis communis* ℥ ij. *unguent. basilic. & butyr. recent.* aā ℥ j. fiat Cataplasma.

Remedia ad sistendam Gangrænã.

SI FORTE GANGRÆNA SUPERVENIAT.] Ad sistendam Gangrænam, ubi ægro præscripta fuit ratio vivendi tenuis & refrigerans, & medicamenta cordialia exhibita, qualia sunt, Theriaca dissoluta in aqua oxalidis vel cardui benedicti; Opiatum compositum de conservis rosarum & buglossa cum Mithridatio, impositoque epithemate in regione

gione cordis, ad corroborandum illud & conservandum ab infectione noxiorum vaporum, qui ascendunt à parte Gangrænâ infectâ per arterias, utendum est frequentibus scarificationibus & incisionibus magnis profundisque, pro magnitudine mali, ut sanguis abundanter fluat, evacuandæ materiæ conjunctæ gratiâ, & allevandæ eventilandæque partis gangrænatæ ergò. Deinde, aliquoties in die facienda est ablutio, cum lixivio facto è cineribus ficulneis, vel quernis, in quo decocti fuerint lupini, vel cum aqua salsa, adjuncto de aloë, Ægyptiaco & aqua viva, vel cum hoc, quod sequitur, decocto. ℞. *Aceti opt.* ℔ j. *mel. rosati* ℥ iiij. *syrup. aceto s.* ℥ ij. *salis communis* ℥ v. bulliant simul: adde *aq. vitæ* ℔ ß. vel alterius decoctionis deficcativæ, resolventis, detergentis, & aperientis, ut virulenta & corrupta materia consumatur & tollatur putredo. Applica deinde tumori Ægyptiacum & Cataplasma aliquod habens virtutem impediendi putrefactionem, resolvendi & detergendi virulentam saniem, quod simul queat deficcare & corroborare partem, doloremque sedare; cujus generis hoc est: ℞. *Far. fabarum, hordei, orobi, lentium, lupinorum* aã ℔ ß. *salis communis, mellis rosati* aã ℥ iiij. *suc. absynthii, marrubii, centaurei* aã ℥ ij. *aloës, masticbes, myrrhæ, aqua. vitæ* aã ℥ ß. *oxymelitis simpl.* q. s. fiat Cataplasma. Non est autem obliviscendum, simul imponendum esse tumori defensivum, ad prohibendum descensum humorum, & ne vapores putridi ad cor adscendant; quale hoc est: ℞. *Ol. rosati & myrtill.* aã ℥ iiij. *suc. plantag. solan. & sempervivi* aã ℥ ij. *album ovorum* N. v. *bol. Armen. terræ sigillatæ* aã ℥ j. *oxycrati* q. s. misce ad usum præfatum. Si hæc fortè non profint, ad extrema remedia deveniendum erit, quæ consistunt in amputatione partis. Cura Carbunculi aliquid commune habet cum cura Phlegmones, & simul aliquid proprii, unde de utroque aliquid dicendum est. Qui à Carbunculo infestantur, his præscribenda est victûs ratio tenuis, frigida & humida. Confortandum est illis cor, exhibitis remediis tàm quæ ore sumuntur, quàm quæ foris applicantur. Expedit autem extrahere bonam quantitatem sanguinis, ex loco vicino vel directè oppositio. Fluxio ipsa derivari avertique aliò non debet, tàm ob spissitudinem, quàm ob malitiam humoris, ne partes in corpore latentes offendantur. Scarificatur (*ut Paulus ait cap. 25. lib. 4.*) tumor circa pustulam, vel (ut aliis placet) fiunt incisiones circa ulcus satis profundæ. Abluuntur illæ incisiones

Cura Carbunculi.

aquâ falsâ calidâ, & applicatur parti læsæ Cataplasma de mica panis, plantagine & lenticula cocta: deinde imponitur ulceri medicamentum aliquod appropriatum. Cessante verò inflammatione, & cadente ischarâ usu butyri recentis, vel similis cujusdam medicamenti, inducetúrque cicatrix ulceri, ut moris est in aliis.

V.

Quis sit scopus in curando Erysipelate.

Cùm curandum est Erysipelas, duos sibi scopos propositos habet Medicus: ut refrigeret evacuetq; sanguinem cholericum bullientem, & exorbitantem extra venas partis, per remedia universalia: ut & illum, qui jam est effusus inter cutem & carnem per topica. Unde victus præscribendus est frigidus & humidus; vitandum verò vinum & omnia calefacientia: contrà utendum refrigerantibus. Necessarium quoq; est, ut fiat evacuatio materiæ antecedentis per sectionem venæ & medicamenta cholagoga, vel saltèm per clysteres: imponenda etiam affectæ parti topica, cùm morbus est in principio & augmento, frigida & humida, non verò sicca, neq; adstringentia; quòd metuendum sit, ne bilis repellatur interiùs ad membrum aliquod princeps. Ubi primùm inflammatio cœperit extingui, antequàm pars liveſcat, applicanda sunt moderatè resolventia, ad digerendam materiam conjunctam.

NOTÆ.

Amputatio causarum Erysipelatis quomodo facienda.

CÙM CURANDUM EST.] In hujus affectûs curâ duo præcipuè scopi sunt Medico propositi, & quidem illi ipsi, qui in Phlegmone observantur. Prior est, ut tollantur causæ antecedentes per remedia universalia: posterior, ut auferatur causa conjuncta per topica. Obtinetur autem tàm prius, quàm posterius, per refrigerationem & evacuationem. Cùm enim ardor Erysipelatis major sit, quàm Phlegmones, majore etiam ibi opus est refrigeratione quàm hîc, quia principalis scopus est refrigerare.

Diæta ratio in hoc malo.

VICTUS PRÆSCRIBENDUS EST.] Tota vivendi ratio,

ratio, quæ consistit in sex rebus non-naturalibus, magis debet ad frigiditatem & humiditatem tendere quàm in Phlegmone. Vitandus igitur est aër calidus, vinum, cibi acres & aromatibus condíti, ut & omnia dulcia & pinguia. Utendum est lactucis, rumice, portulacâ, similiumque herbarum decoctis, hordeo mundato & ptisanâ. Fugienda sunt exercitia nimis violenta, vigiliæ immodicę, iracundia, aliæque passiones animi, & omnis usus Veneris.

PER SECTIONEM VENÆ.] Phlebotomia necessaria est, si Erysipelas sit phlegmonosum, & plenitudo corporis adsit, cùm hæc sæpè sit causa movens Erysipelas, ut testatur Galenus *aph.* 15. *lib.* 1. Si verò Erysipelas sit exquisitum, nec corpus plethoricum, phlebotomia necessaria non est, cùm sanguis sit frænum choleræ, quæ quò purior est ab aliis humoribus, eò est furiosior.

CHOLAGOGA:] qualia sunt apozemata, potiones, boli propriati ad expurgandam choleram, quæ debent à Medico præscribi.

MEDICAMENTA TOPICA:] cujusmodi sunt hæc, quæ sequuntur. ℞. *Aq. frigidæ* ℥ vj. *aceti* ℥ j. fiat Oxycratum. Vel ℞. *Suc. plantag. solan. sempervivi* aā ℥ ij. *suc. hyoscyami* ℥ j. *ca. mucag. sem. psyll.* ℥ j ß. *aceti opt.* ℥ ß. *misce.* Item: ℞. *Unguent. rosat.* ℥ iij. *suc. plantag. sempervivi* aā ℥ j. *trochisc. de camphora* ℥ ß. *aceti parum.* fiat Linimentum. Si dolor & inflammatio adeò sit vehemens, ut jam ferri non possint, utendum est Narcoticis. Igitur ℞. *Suc. hyoscyam. solan. cicut.* aā ℥ j. *ol. papav. ticorum.* ℥ ij. *mucag. sem. psyl. & fœnugrac. in aqua rosarum & plantag. extract.* aā ℥ j ß. *aceti* ℥ ß. *opii & camphor.* aā gr. iiij. *croci* ϑ ß. *album ovorum* N. ij. fiat Linimentum, addendo *ung. refrig. Gal. camphorat.* q. s. Cæterùm, Chirurgus hujus medicamenti usum non nimis diù continuabit, ne extincto calore naturali mortificetur pars affecta.

Medicamenta topica.

Cautela de Narcoticis.

MODERATÆ RESOLVENTIA:] qualia sunt hæc: ℞. *Rad. althææ* ℥ ij. *fol. malv. bismalv. parietar. absynth. salvia* aā M. j. *flor. chamæmel. melilot. rosarum rub.* aā P. ij. coquantur in æquis partibus aquæ & vini, fiat fotus cum spongia. Item: ℞. *Farin. hord. & orob.* aā ℥ ij. *farin. sem. lini* ℥ j. coquantur in hydromelite, addēdo *pulv. rosarum rub. & chamæmel.* aā ℥ ß. *ol. aneth. & chamæmel.* aā ℥ j. fiat Cataplasma. Potest etiam applicari diachylon ireatum, vel diapalma dissolutum in oleo chamomillæ. Cura Herpetis non differt à cura Erysipela-

Cura Herpetis.

tis, nisi ratione ulceris. Similis enim ratio vivendi prescribenda est, & facienda evacuatio materiæ antecedentis, cum iisdem medicamentis purgantibus, & ablatione materiæ conjunctæ, per eadem topica. Cùm autem Medico in Herpete corrosivo tàm sit habenda ratio ad tumorem, quàm ad ulcus, oportet ut duplicem sibi proponat intentionem, nempe resolutionem tumoris, & deficcationem ulceris. Ad quem finem ut perveniat, applicabit medicamenta quædam resolventia & deficcantia, qualia sunt hæc. ℞. *Ol. rosati, & adip. capr.* añ ʒ ij. *cerussæ & tuth. præpar.* añ ʒ j. *cortic. pini usti & loti* ʒ ß. *ceræ* q. s. fiat Unguentũ. Vel ℞. *Farin. hord. & lent.* añ ʒ ij, coquantur *in decocto plantag. malicor. & balaust.* addendo *pulv. rosar. rub. & absynth.* añ ʒ ß. *ol. myrtill. & mell. communis* añ ʒ vj. fiat Cataplasma. At pro Herpete miliari, ℞. *Aq. rosarum* ʒ iij. *acet. acerrimi* ʒ j ß. *ol. myrtill. axung. anseris, terebint.* añ ʒ j. *pulv. galla, malicor. balaust. bol. Armen.* añ ʒ vj. fiat Linimentum. Affirmat Ambrosius Pareus, compertum sibi experientiâ *Enulatum cum Mercurio* magis efficax esse, quàm quodvis aliud Unguentum, quòd id mortificet pustulas, consumatque humorem in iis contentum.

VI.

In quo cõsistat cura Oedematis.

Cura Oedematis consistit in duobus: in evacuatione materiæ antecedentis, & conjunctæ. Ad evacuandam materiam antecedentem, quæ frigida est & humida, primò præscribẽda est diæta calida & sicca, quæ impedit illius incrementum; deinde exhibenda medicamenta phlegmagoga, ad purgandam cacochymiam pituitosam, quæ est in corpore; posteà roborandæ sunt partes principales, inprimis quæ serviunt concoctioni, ne in posterum tantum gignant phlegmatis. Et ad evacuandum humorem impactum parti, imponenda sunt medicamenta, quibus inest virtus aliquo modo repercutiendi, (si fluxio adsit) nec non resolvendi & deficcandi. Quòd si fortè Oedema videatur vergere ad suppurationem, tunc opus erit suppurantibus applicatis. Quòd si pus suâ sponte non exeat, aperiendum erit apostema, deinde de-

tergen-

vergendum & inducenda cicatrix ulceri. Si verò declinet in dispositionem scirrhosam, curetur ut Scirrhus.

NOTÆ.

CURA OEDEMATIS.] Ad procedendum methodicè ad curationem Oedematis, primò auferenda est causa illius antecedens per remedia universalia, deinde ejus conjuncta per topica. Remedia universalia sunt, modus vivendi, purgatio, corroboratio partium principalium. Topica sunt, medicamenta repercutientia, resolventia, desiccantia, quæ applicanda sunt parti tumefactæ.

PRÆSCRIBENDA EST DIÆTA.] Hìc necesse est, ut ratio vivendi, quæ consistit in sex rebus non-naturalibus, tendat ad calorem & siccitatem, utque sit contraria causæ & morbo, qui frigidus est & humidus. Captabit ergo æger locum, in quo sit aër calidus, siccus & subtilis. Potus ejus sit bonum & delicatum vinum, panis ejus benè coctus, cibis utatur bonum generantibus succum, eosque potiùs assos comedat quàm elixos, unde à jusculentis abstinebit. Piscibus omninò valedicet: in universum parum comedat, minus verò etiam bibat, ad impediendam generationem cruditatum. A' cœna prandióve utatur pulvere aliquo digestivo, studeatque alvum semper habere liberam, qua in re, si natura sit pigrior, excitet eam arte. Exerceat se moderatè, in primis antequàm cibum capiat, ut subinde partem aliquam humoris superflui dissipet, excitetque calorem naturalem. Parum dormiat, ne per somnum cumulentur excrementa: à curis & anxietatibus abstineat, ut & ab usu rerum Venerearum. *Diæta.*

MEDICAMENTA PHLEGMAGOGA,] quibus inest virtus ad extrahendam pituitam, ubi ea priùs præparata fuerit per apozemata attenuantia, incidentia, detergentia & aperientia.

ROBORANDÆ SUNT PARTES PRINCIPALES.] Ventriculus omninò roborari debet atque confortari per remedia intra corpus sumpta, cujus generis sunt, quæ vocantur Conservæ, Electuaria, Tabellæ, Opiata, & quæ foris applicantur, ut Linimenta, Emplastra & Sacculi, Unguenta, Cataplasmata. *Quæ faciat ad roborandas partes principes.*

AD EVACUANDUM HUMOREM IMPACTUM.] Fit evacuatio humoris in partem impacti, per medicamenta topica, quæ variabunt secundùm quatuor tempora. In principio *Topica cedentia quæ, in augmẽto:*

cipio enim & incremento præcipit Galenus, ut imponatur ſpongia humefacta oxycrato. Quòd ſi Oedema ſit in brachio vel in femore, neceſſaria eſt fricatura expulſiva, faciendo initium à parte inferiore, & finiendo in ſuperiore. Poteris etiam uti his medicamentis. ℞. *Lixivii ex cineribus ſarmentorum, caulium* aã ℥ iiij. *aceti* ℥ ij. *tartari, aluminis* aã ℥ ß. fiat decoctio, in qua madefacies ſpongias vel complicata lintea ad fomentandam partẽ. Vel ℞. *Farinæ hordeaceæ* ℥ iij. coque in lixivio communi, poſtea adde *olei myrtill.* ℥ ij. *pulv. nucis cupreſſi, balauſtiæ* aã ℥ j. *myrrhæ, aloës, aluminis* aã ℥ ß. fiat Cataplaſma.

In ſtatu & declinatione. Cùm eſt in ſtatu & declinatione, utendum eſt medicamentis reſolventibus & deſiccantibus, cujusmodi ſunt hæc. ℞. *Salviæ, origani, calamentæ, hyſſopi, meliſſophylli, abſynthii, equiſeti, thapſiæ barbatæ, plantaginis, centinodiæ* aã M. j. *nucum cupreſſ. ſumach, malicor. balauſt. alum. tartar. ſalis communis* aã ℥ j. coquantur in lixivio, fiat fotus cum ſpongia. Poſtea ℞. *Rad. bryoniæ* ℥ ij. *ſalviæ, origani, puleg. abſynthii, plantaginis, centinodiæ* aã M. ß. coquantur in hydromelite, terantur, colo tranſmittantur, addendo *farinæ hordei & ſabarum* aã ℥ j. *olei aneth. & chamamel.* aã ℥ j. *pulveris roſar. rub. chamamel. & melilot.* aã ß. fiat Cataplaſma à fotu adhibendum. Poſtremò confortantur partes frictionibus, quæ fiunt linteis percalefactis; hæ enim revocant & attrahunt ſanguinem & ſpiritus, dum reſolvunt humores fuliginoſos retentos intra cutem & carnem, unde pars affecta plus vigoris acquirit &

Exemplum curati tumoris œdematoſi. alacritatis. Accidit anno à nato Chriſto M. D. X C V. ut Novembri menſe pandocheus quidam in urbe Rhemorum inſigni tumore œdematoſo in utroque crure afficeretur, qui, quamvis eſſet ſexagenarius, curatus tamen fuit intra vigeſimum diem, cùm uſus fuiſſet ſuperioribus remediis, tàm univerſalibus, quàm topicis, me jubente atque ordinante, Pharmacopolâ Ludovico Clemio ea præparante, applicante verò

Cura tumoris aquoſi. Claudio Carterio, Chirurgo jurato in urbe Rhemorum. Sicut autem tumor aquoſus magnam habet familiaritatem cum Oedemate, ad cujus naturam propè accedit; ita quoque eadem ratio in illius curâ eſt adhibenda. Poſtquàm enim obviàm itum eſt cauſæ illius antecedenti per remedia univerſalia, neceſſe eſt, ut auferatur materia conjuncta: ad quem ſcopum ſi per reſolutionem pervenire non poſſumus, ad apertionem deſcendendum eſt, quę fit vel inciſione, vel punctione, vel perforatione aut uſtione, ut docet Paulus Ægineta

ta *lib.4.cap.10.& lib.6.cap.3.50.& 62.* Atverò in cura Inflatio- *Cura tumo-*
nis, cùm hæc consistat in evacuatione ventositatis, quæ fieri *ris ventos.*
non potest nisi ablatione causæ efficientis materialis & adjuvantis, necesse est, ut roboretur calor naturalis, densus vapor resolvatur, & subtilior reddatur humor frigidus, crassus & glutinosus, qui humor materia est ventositatis. Calescit autem ventriculus, qui est officina primæ concoctionis, (cujus errorem sequentes corrigere non possunt) usu remediorum aromaticorum & stomachicorum; cujusmodi sunt, Opiata, Conservæ, Pulveres, Electuaria, ut aromaticum rosatum & diarrhodon. Ad resolvendas ventositates, attenuandos & dissipandos crassos humores, & rarefaciendam partem facit usus medicamentorum calidorum, siccorum & attenuantium, quæ vulgò Carminativa vocantur, servato tamen partium corporis discrimine. Alia enim esse debent, quæ applicantur ventriculo & intestinis; alia, quæ imponuntur junctu-ris & partibus carnosis. Quando ventositas continetur in ventriculo & intestinis, ut fit in dolore Cholico, dantur clysteres carminativi, addito oleo calido & subtilium partium, in quo decocta sit ruta aut tale aliquid, applicatis insuper sacculis resolutivis ventri, & cucurbitulis umbilico. Si tumor est in partibus externis, locus est fomentationibus, linimentis, vel his, quę sequuntur, Cataplasmatis & Emplastris. ℞. *Absynth.hyssop.* aã M.j. *florum chamæmeli, melilot. aneth. rorismar. rosarum rub.* aã P.j. coquantur in lixivio, addendo aceti parum, pro fotu cum spongia. Galenus utitur fomentatione de oxyrrhodino, adjungens particulam aliquam salis, adhibetque jeam fomentans partem spongiâ, quam affectæ parti impositam relinquit. ℞. *Ol.chamæmel.anethi, rutacei, liliorum* aã ℥ j. ß. *aq.vitæ* ℥ j. *ol.laurini* ℥ ß. *cerę albæ* ʒ vj. fiat Linimentũ, quo illinatur pars affecta à fotu. Vel ℞. *Far.fabarum, orobi* aã ℥ iij. coquantur *in decocto pulegii, origani, calamint. salv.* adde *ol.anethi, chamæmeli* aã ℥ j ß. *pulv. chamæmeli, meliloti* aã ʒ ß. *sulphur.vini subtil.pulv.al.* ʒ ij. fiat Cataplasma. Emplastrum Vigonis cum & sine Mercurio multum etiam hûc facit. Steatoma, Atheroma, Meliceris omnesque alii tumores, quorum materia in pellicula inclusa est, cùm curantur, unus tantùm Medico propositus est scopus, nempe ut auferatur materia in parte contenta cum ipsa, in qua conclusa fuerat, pelle, quod fit operatione manûs. Lupus *(Panus & Ganglion)* curari potest, cùm adhuc parvus est, & nasci incipit,

pit, tunc enim ſæpè perfricandus eſt manu, quia ſic incaleſcit ſubtilioríque fit; ſæpè etiam reſolvitur humor intùs contentus. Si hoc nihil profit, deprimendus eſt tumor, ut crepet cyſtis ejus: quâ ruptâ, applicatur lamina plumbea, uncta argento vivo, & arctè ſuperalligatur tumori; ineſt enim tali lamine admirabilis vis conſumendi, reſolvendi & arefaciendi humorem in quacunque parte contentum. Quòd ſi Lupus partem aliquam corporis inſederit, ubi compreſsio fieri non poteſt, velut in facie, gutture, ventre; imponatur Emplaſtrum reſolvens, quale hoc eſt. ℞. *Gummi ammoniac. bdellii, galbani* añ ʒ iiij. liquefiant in aceto, & colo transmittantur, addendo *ol. liliorum, laurin.* añ ʒ j. *aq. vitæ* ʒ ß. *pulv. ireos, ſalis ammon. ſulphuris vivi, vitrioli Romani* añ ʒ ß. incorporentur omnia ſimul, & fiat Emplaſtrum ſecundùm artem. Si omnibus his remediis tumor reſolvi non poſſit, aperiendus eſt lanceolâ vel cauterio; quo facto, faciendum eſt ut decidat eſchara & totaliter conſumatur cyſtis, uſu Ægyptiaci, pulvere Mercurii, vel ſimili aliquo: deinde mundificetur, incarnetur & ad cicatricem perducatur ulcus. Lupi aliquando tàm magni ſunt, ut memoratis remediis curari non poſſint, ibi neceſſe eſt ut adhibeatur operatio manûs, ad faciendam totalem extirpationem, modò non nimis fortiter infixi adhæreſcant, aut ſiti ſint in locis periculoſis, propter venas majores, arterias & nervos intercurrentes; hoc enim caſu ſatius erit, ab illis abſtinere manum.

Curâ Strumarum. Quod ad curam Strumarum attinet, poſtquàm Medicus præſcripſerit medicamenta ad evacuandum humores ſuperfluos, per arctiorem victum, ut reddat naturam famelicam, ut ipſa conſumat digeratque humores in exceſſu peccantes, applicabit Chirurgus remedia topica, quæ neceſſaria judicabit, qualia ſunt emollientia, reſolventia, vel denique ſuppurantia. Sententia Ambroſii Parei eſt, Emplaſtrum de Vigo cum Mercurio præſtantiſſimum eſſe ad reſolvendas ſtrumas; affirmatque, inunxiſſe ſe ſtrumoſos linimento morbi Gallici uſque ad ſalivationem, ſatis felici eventu, quod hac ratione à ſe amoliatur humorem cauſantem ſtrumas. Quòd ſi ſtrumæ reſolvi non poſſint, oportet ut Chirurgus ſinat perfectè ſuppurari totum tumorem, antequàm fiat apertura; aliàs, quod ſupereſt, manebit crudum, ideoq; difficilis & longæ curationis. Eſt & alia ratio curandi ſtrumas, nempe per operationem manûs Chirurgi: ut cùm in collo ſunt & ſuperficiariæ, factâ inciſione, ut ſeparentur à

parti-

partibus, quibus cum cohærent, deinde sectæ extrahantur. Magna tamen hîc adhibenda est sollicitudo, ne tangatur vena jugularis, arteria carotis, & nervus recurrens.

VII.

Si quis velit probè curare Scirrhum, det operam, ut priùs evacuetur materia antecedens, deinde progrediatur ad conjunctam. Præscribat igitur ab initio bonam vivendi rationem, quæ tendat ad humiditatem & calorem temperatum, vitatis omnibus, quæ gignunt humores crassos & viscosos: purgato corpore ab humore melancholico, per medicamenta melanogoga, provocatisq; in viris quidem hæmorrhoidibus, in mulieribus verò fluxu menstruo: deinde applicet topica, ab initio quidem emollientia, deinde resolventia, iterato sæpiùs alternato eorum usu. Si enim solis malagmaticis uteretur, periculum foret, ne induceretur putredo, & excitaretur Cancer; & si diaphoretica pura applicarentur, metuendum esset, fore ut resolutâ subtiliore materiæ parte, reliquum ulteriùs induraretur.

Quid sit observandum in curatione Scirrhi.

NOTÆ.

SI QUIS VELIT.] Si quæ spes sit reliqua, posse adhuc curari Scirrhum, duobus mediis ad eum finem perveniri potest, auferendo videlicet causam antecedentem & conjunctam. Aufertur autem causa antecedens per remedia universalia, putà rationem vitæ, purgationem & sectionem venæ, si necessaria sit: materia autem conjuncta per topica, tàm emollientia, quàm resolventia.

BONAM VIVENDI RATIONEM.] Hæc in Scirrho debet esse sobria & moderata, aliquantum calida & humida; cum virtute attenuante. Habitationem sortietur æger, ubi aër bonus sit, utetur vino delicato, albo vel rubello, cibis boni succi, pane triticeo bene cocto, perdicibus, gallinis, capis, carne vitulinâ, caprinâ, vervecinâ, ovis sorbilibus: ex herbis, bugloss â, borragine, spinachiâ, rumice, cichorio, malvâ, earumque decoctis jusculis: abstineat à bubulâ, leporinâ, aprugnâ & simili carne, nec non à cochleis, piscibus marinis, legumini-

Modus vivendi in cura Scirrhi.

minibus,brassicâ, antiquo caseo, dulciariis, omniq́ue cibo crassi nutrimenti: à fructibus insuper,aromatibus,salsamentis,omnibusq́ue rebus acribus, quæ urunt sanguinem,cujus generis sunt sinapi,allium,cœpæ: vitabit violenta exercitia, immoderatas vigilias,tristitiam,tædium, curas, mœrorem, & consuetudinem fœminarum;dabitq́ue operam,ut semper suum faciat alvus officium.

Purgatio quomodo facienda.

MEDICAMENTA MELANOGOGA.] Cùm benè præparatus fuerit humor melancholicus per convenientia apozemata, purgandus erit per medicamenta melanogoga, putà folia senæ,thymum,polypodium,catholicum, hieram, confectionem hamech,& alia Medicis satis nota: qui si viderint opus esse,provocabunt hæmorrhoidas iis,qui earum fluxui sunt obnoxii,in mulieribus autem menstrua,quibus non legitimè fluunt.

Topica in Scirrho.

TOPICA.] Ad evacuandum id,quod continetur in parte contra naturam, applicanda sunt primùm omnium medicamenta emollientia, deinde resolventia, quemadmodum Galenus docet. Emollientia hæc esse possunt. ℞.*Rad.althææ & liliorum* añ ℥ iiij. *coquantur in aqua, terantur & colo transmittantur, addendo emplast.diachyl.albi* ℥ iij. *ol.chamæm.lilior.* añ ℥ ij. *æsip.* ℥ ß. *ceræ albæ* q.s. *fiat Ceratum.* Vel: ℞.*Gummi ammon.galbani, bdellii, styracis liquid.in aceto dissoluti* añ ℥ j. *diachyl.alb.Mes.*℥ ij. *ol.lilior.axung.anseris* añ ℥ j ß. liquefiant omnia simul,addendo ceræ q.s.fiat Ceratum satis molle.Ubi ad tempus aliquod emollitum fuerit ulcus, utere suffumigatione de aceto forti & aquâ vitæ, super pyriten lapidem inspersâ, vel super candentem laterem, recipiaturq́ue vapor à parte ægra, ad incidendum, attenuandum & resolvendum humorem jam emollitum:hoc facto iterum utere emollientibus, ut reliqua etiam materia præparetur ad resolutionem: hinc repete suffumigationem, continuando utriusque usum alternativum, donec id fuerit necesse. Per hoc medium curavit sanavitq́ue Galenus scirrhum in filio Cercili, ut ipse refert *lib.2.ad Glauc.*

Cura Cancri incipientis.

Cancer incipiens aliquando impeditur, ne crescat,antequàm pedes adipiscatur, & radices profundiores agat in parte affecta,si sæpiùs detur Vere & Autumno medicamentum forte, purgans Melancholiam, aperiâ priùs venâ,si ætas & vires permittant,evitatis insuper in vivendi ratione omnibus rebus, quæ possunt crassum fæculentumq́ue humorem generare,sanguinemq́ue calefacere;interim prospi-

ſpiciendum eſt epati & lieni remediis tàm ore ſumptis, quàm foris applicatis; ſi etiam neceſſe ſit, provocato fluxu hæmorrhoidum & menſtruorum, ſi forte hæc conſtiterint. Quòd ſi tumor in notabilem magnitudinem elevatus fuerit, curari non poterit ſine operatione manûs. Eſt autem omnis tumoris illius materia ità abſcindenda, ut nulla radicula remaneat; quod quidem fieri non poteſt ſine magna hæmorrhagia ob magnitudinem circumpoſitorum vaſorum, niſi vaſa illa ligentur aut murantur: quamvis neutrum fieri queat ſine magno ægri periculo, inprimis tunc, cùm Cancer penetraverit ad partes interiores. Hàc nimirum de cauſa divinus Hippocrates *aph.* 38. *lib.* 6. prohibet tangere Cancros occultos. Non expedit igitur, ut tentetur curâ Cancri per inciſionem, neq; per cauterium actuale vel potentiale, vel alia remedia fortia & acria: ſed palliandus potiùs eſt Cancer remediis dulcibus & benignis, doloremque ſedantibus. Ab initio poteris uti repercutientibus, qualia ſunt, ſuccus de ſolano, plantagine, rumice, lactuca, centinodia, burſa paſtoris, portulaca, hyoſcyamo, lenticula paluſtri: item oleo roſato, omphacino: pulveribus de berberibus, ſumach, lithargyro, ceruſſa, plumbo uſto, pompholyge, aliisque ſimilibus, unde fiunt Linimenta, Unguenta, Cataplaſmata, & Emplaſtra. Cerat: diachalciteos diſſolutum cùm ſucco ſolani & pauculo olei roſati, multum facit ad Cancros nondum ulceratos: & pompholyx, ſi lavetur in ſucco ſolani vel plantaginis, illis prodeſt; qui jam ulcerati ſunt. Poteris etiam uti hoc Linimento: ℞. *Lithárg. ceruß.* añ ℥ j. terantur in mortario plumbeo cùm *oleo roſato*, donec reducantur ad conſiſtentiã Linimenti. Nec minùs uteris Unguento reſolvente & repercutiente, quale hoc eſt. ℞. *Plumbi uſti, loti, pompholygos, thuris* añ ℥ ij ß. *abſynthii Pontici* ℥ ß. *ol. roſati* ℥ iij. *ceræ* ℥ vj. *ſuccí ſolani* q.ſ. ad Unguenti craſſitudinem. Præterea multum levaminis affertur Cancris nondum ulceratis, ab impoſitis laminis plumbeis, illitis argento vivo.

Cura Cãcri magni valdè periculoſa.

Palliantia Cancrũ quæ ſint.

REGULÆ DE PLAGIS, VULNERIBUS ET ULCERIBUS.

I.

Quid sit plaga & quotuplex.

PLAGA *sive Vulnus, est solutio continui recens, sanguinolenta & sine putredine, facta in parte molli ab externa causa, velut ictu, morsu vel casu: unde & pro diversitate causæ diversa sortitur nomina: quæ enim fit à re acuta, incidente & secante, appellatur* Incisio; *quæ est à re pungente & mucronata, vocatur* Punctura: *quæ verò fit à re obtusa, dura, hebeti, quassante & allidente, dicitur* Contusio, *vel* Plaga contusa.

ANNOTATIO.

Definitio superior explicata.

In definitione PLAGÆ posui Genus, *solutionem continui:* cum Guidone & modernis adjunxi hæc verba; *recens, sanguinolenta, sine putrefactione,* ad differentiam Ulceris, quod est solutio continui inveterata cum sanie & putredine. *Facta in parte molli,* ad differentiam fracturarum, quæ oboriuntur in partibus duris, putà in ossibus. Addidi, *à causa externa*, ut discernerem à fracturis, quæ adveniunt in partibus duris, putà in ossibus: postremò, *ab aliquo ictu, morsu vel casu,* quod omnes causæ, sive sint animatæ, sive inanimes, reducantur ad tria illa genera, quorum pro diversitate diversis quoque appellantur nominibus. Nam causæ evidentes plagarum vel secant scindúntve, vel pungunt, vel quassant & allidunt, vel lædunt diversis modis. Gladius secat & scindit, ut & omne ferramentum, quod aciem habet oblongam. Sica, pugio, sagitta, morsus animalis, & quicquid habet aciem mucronatam, pungunt hæc omnia stimulantque. Lapsus sive casus, obviationes violentæ, motus validiores & immanes clamores quassant & allidunt. Globi è bombardis torti, tragulæ & similia tela scindunt, pungunt, quassantque simul, atque ita lædunt diversis modis.

II.

Plaga duplex.

Est autem plaga vel simplex, vel composita. Simplex,

cùm

cùm nulla ei causa, morbus, neq; symptoma jungitur. Composita, quando aliæ dispositiones cum illa complicantur, quæ nisi removeantur, sanari illa non potest. Fitq; tàm in partibus similaribus, quàm organicis: ut, in cute, carne, venis, arteriis, nervis, tendinibus, ligamentis, juncturis, capite, pectore, ventre.

ANNOTATIO.

Sumuntur differentiæ plagarum ab earum *natura*, quo respectu dicuntur vel simplices, vel compositæ: vel ab earum *quantitate*, quo nomine vocantur magnæ, parvæ, vel mediocres: vel à *figura*, quòd sint vel rectæ, vel obliquæ, vel rotundæ: denique à *partibus*, quibus inflictæ sunt.

III.

Rursum, vulnus aliud superficiarium est, aliud profundum. Illud, cùm solummodò partes exteriores & apparentes incisæ sunt: profundum, quando penetrat usq; ad partes exteriores & occultas; putà ad cerebrum, medullam spinæ dorsi, pulmones, ad cor, ad diaphragma, in œsophagum, in ventriculum, intestina, epar, splenem, renes, vesicam, matricem. Vulnus superficiarium per se dignoscitur à sensibus, neq; aliis eget indicibus, cùm incurrat in oculos: in illis verò, quæ profundiùs penetrant, opus est signis demonstrativis, ut cognoscatur, quæ pars interior sauciata sit. Alia divisio vulneris.

ANNOTATIO.

Inter alias differentias à quantitate desumptas, inprimis considerandum est, an vulnus sit superficiarium, an verò profundum: quòd illud quidem per se cognoscatur & à sensu visûs discernatur; hoc verò opus habeat signis diagnosticis, ad perdiscendas rationes, quibus constet, quænam pars interior sauciata sit.

IV.

Si cerebrum, vel ejus meninges sunt sauciatæ, tunc sanguis per nares exit, quibusdam etiam per aures, vo- Signa vulnerati cerebri.

mitusq; statim adest, apud quosdam iteratur. Dolor acris est & crudelis, qui manducando augetur; ob mandibularum motum, spiritus magnis ducitur suspiriis. Quibusdam sopiuntur vel hebetantur sensus, ita ut ne quidem animadvertant, si suis appellentur nominibus: plerisq; etiam eveniunt convulsiones. Paulò post supervenit febris, incidunt q; ferè tertio aut quarto die in delirium. Antequàm moriantur, nonnulli lacerant fascias, quibus obligatum est caput eorum, ut vulnus apertum frigori pateat.

ANNOTATIO.

Explicatio superioris regulæ secundum partes.

Signa, quibus cognoscitur, cerebrum ejusque meninges esse vulneratas, sumuntur ab eventibus, à functionibus læsis, à colore, febre, delirio, aliisque accidentibus supervenientibus. Sicut enim observavit Celsus *cap.* 26 *lib.* 5. sanguis distillat per nares, vel per aures, vel etiam per os & oculos, ob ruptas venas arteriasque, quæ sparguntur per meningas & substantiam cerebri. Sequitur in continenti vomitus bilioſus, ut affirmat Hippocrates *aphor.* 50. *lib.* 6. ob sympathiam ventriculi cum cerebro, obque societatem, quam illi cum hoc intercedit per nervos sextæ conjugationis, qui descendentes à cerebro, inseruntur orificio superiori, & hinc dividuntur per totam ventriculi substantiam. Hic, cùm comprimitur attrahiturque introrsum, ejicit primùm id, quod intra se continet, deinde attrahit flavam bilem è cystide fellis, quam simul per vomitum emittit. Quando membranæ sunt fauciæ, dolor ultra modum crudelis, ut Fernelius ait, quia illæ sunt sensus exquisitissimi, acuiturque dolor ille manducando ob motum mandibularum, nec non cùm fortiùs ducitur respiratio, quia talis motus commovet & aliquo modo concutit cerebrum ejusque meningas. Sensus aliquando obstupescunt & hebetantur propter obstructionem ductuum spiritus animalis. Supervenit aliquando convulsio, ob repletionem nervorum. Febris è vestigio adest cum delirio & alienatione mentis propter inflammationem, quæ supervenit membranis & cerebro, quæque communicatur cordi omnibusque aliis partibus corporis. Multi insuper diripiunt lineas fascias, quibus obli-

obligatum est iis caput, exponuntq; nudum vulnus frigido aëri, quia amiserunt judicium & usum rationis.

V.

Quando medulla spinæ dorsi incisa est, tunc partes inferiores perdunt modum atq; sensum, omni destitutæ functione, ita ut se exonerent præter voluntatem, nunc quidem fæcibus alvi, nunc verò urinâ & semine genitali.

Signa sanciæ medullæ dorsi.

ANNOTATIO.

Mirandum non est, quando medulla spinæ dorsi per medium secundum latitudinem secta inciſáve est, quòd omnem partes inferiores perdant motum! Medulla enim illa spinæ ab ultimo cerebri ventriculo producta, multos nervos emittit, distribuitque omnibus partibus sub capite constitutis, ut elegãter ostendit Galenus 16. *de usu part.* Cùm autem motus & sensus invicem permixti sint in partibus per spiritum animalem, & deferantur per nervos huic usui destinatos, sequitur, quando medulla spinæ dorsi intersecta est, spiritum animalem sisti in modico cursu suo, per solutionem unitatis nervorum, & interruptionem continuitatis. Hinc evidens est, sequi paralysin vel etiam convulsionem: unde fit, ut partes inferiores aliquanto tempore pòst emittant involuntariè urinam, semen, vel materiam fæcium, ut doctè est à Celso observatum.

Rationes illorum signorum.

VI.

Quando vulnus penetrat in concavum pectoris, tunc reciprocando spiritum, ventus sive halitus exit per plagam, & si quis ibi inflet pulverem aloës, myrrhæ, vel aristolochiæ, amaror statim ad os adscendit. Si verò etiam pulmones tacti sunt, exspuit æger spumosum sanguinem, neq; potest retrahere habitum, nisi difficulter & cum sibilo.

Signa vulneris in pectus penetrantis.

ANNOTATIO.

Diximus, esse signum, quòd vulnus in capacitatem thoracis penetraverit, quando aër exit à vulnere cum sibilo. Hoc ut meliùs cognoscatur, comprimendum est os & nares sau-

Explicatio superiorum signorum.

cii, ut ſpiritus intùs retineatur. Hoc facto, ſi vulnus penetret in concavum, & plagæ admoveatur candela ardens, videbitur moveri flamma, ita ut aliquando candela extinguatur. Alterum ſignum læſionis ad cavum thoracis penetrantis eſt, quando amaror ſubitò ad os adſcendit, ſi quis in vulnus inflet pulverem aloës, myrrhæ, vel ariſtolochiæ. Præter hæc omnia, ſi fauciati fuerint pulmones, æger per os ejicit ſanguinem ſpumoſum tuſſiendo, effluitque per vulnus ſanguis rubeus valdè, cùm vento ſtridente, difficultate reſpirandi & dolore laterum, optatque æger in vulnus decumbere. His addit Celſus, quosdam erigere ſe ſine ratione: multosque, cùm corpore in læſionem incumbant, loqui; ſi in adverſum latus devolvantur, perdere loquendi facultatem.

VII.

Signa vulnerati cordis.

Cùm cor percuſſum eſt; multum è vulnere exit ſanguinis, pulſus arteriarum debilis eſt & exiguus, color pallidus valdè, extrema membra frigeſcunt, reſolviturq; corpus in ſudores frigidos & malè olentes, quæ ſigna ſunt prænuncia mortis.

ANNOTATIO.

Vulnerato corde largiter effluit ſanguis, ob venas & arterias, quæ ibi ſunt interciſæ: pulſus debilis eſt parvusque, palleſcit facies, extrema fiunt frigida, ob grandem effuſionem & jacturam ſanguinis, unde virtus adeò proſternitur, ut corpus reſolvatur in frigidos & mali odoris ſudores, cùm penitùs deſtituatur calore naturali & ſpiritu vitali.

VIII.

Signa vulnerati diaphragmatis.

Si diaphragma vel ſeptum transverſum ſit perforatum, hypochondria ſurſum attrahuntur, æger amittit ſenſus & intellectum, reſpiratio eſt valdè impedita, aliquando tuſsis adeſt cum rejectione ſanguinis.

ANNOTATIO.

Pertuſi diaphragmatis ſigna ſunt, cùm hypochondria ſive latera ſurſum attrahuntur, adeò quidem, ut aliquando ventriculus & inteſtina attrahantur per vulnus in ipſam thoracis capacitatem, ſicut id Pareus obſervavit in duobus, in Franciſco Alonio centurione, & ſervo Maſſonii. Senſus & intellec-

tus

ctus turbantur, ob communicationem nervorum sexti paris, qui inseruntur diaphragmati: adest difficultas respirandi, tussis, sputum sanguineum, halitus malè olens, & alia accidentia, quæ tunc eveniunt, cùm sanguis in thoracem delapsus est, qui extra sua vasa convertitur in fœtidam saniem.

IX.

Signa saucii œsophagi.

Quando œsophagus sauciatus est, intercluditur meatus cibi atq; potûs; & si vulneratus aliquid deglutiat, id in continenti pòst evomit, infestaturq; per intervalla singultu, deliquio animi & convulsionibus.

ANNOTATIO.

Cùm œsophagus sive gula saucia est, intercluditur transitus alimoniæ, ademptâ comedendi & bibendi facultate, propter inflammationem, quæ supervenit vulneri. Crebri ægro vomitus sunt molesti, & singultus, lipothymia & convulsio, propter sympathiam cerebri & stomachi cum œsophago.

X.

Signa saucii stomachi.

Si ictus penetraverit in cavitatem usq; stomachi, cibus potusq; per vulnus exit, vomitus adest frequens, singultus & deliquium animi.

ANNOTATIO.

Perforatâ ventriculi tunicâ penitùs, quæ comedit bibitq; æger, exeunt per hiatum vulneris, quia ea ventriculus debilitatus retinere nequit, supervenit vomitus & singultus, propter excrementa, quæ à plaga prodeunt, & quæ Natura conatur omnibus modis expellere. Lipothymia accedit, ob putridos vapores, qui ascendunt, offenso ventriculo.

XI.

Signa sauciorum intestinorū.

Cùm intestina vulnerata sunt, materia fæcum non descendit deorsum, sed exit per plagam, vel saltèm gravis fæcum transpirat odor.

ANNOTATIO.

Postquàm majora intestina receptacula sunt fæculentæ materiæ, cùm illa vulnerata pertusaque sunt, fæces exeunt per vulnus; vel si retineantur intra intestina, ibi generatur corruptio, quæ tetrum exhalat odorem per aperturam vulneris.

XII.

Signa vulnerati epatis.

Signa vulnerati jecinoris hæc ſunt. Magna copia ſanguinis effluit ab latere dextro, ob inciſionem ramorum venæ cavæ & venæ portæ, quæ inſertæ ſunt epati: latera aliquo modo retrahuntur versùs ſpinam dorſi, propter inflationem, quæ accidit parti ſauciæ, quæ trahit ad ſe inteſtina ei adhærentia. Sentit æger dolorem punctivum, qui ſe porrigit uſq; ad claviculam, ob ſympathiam pleuræ cum peritonæo, mediante diaphragmate, ad quod affixum eſt epar. Superveniunt vomitus & dejectiones ſanguineæ, ob effuſionem ſanguinis, qui exit extra venas interciſas in capacitatem ventris. Fit aliquando, ut æger puram vomat choleram, velut obſervavit Celſus, ob ſympathiam cum cyſtide fellis, regurgitante bile in ventriculum: rectiùs videtur habere æger, ſi in ventrem decumbat, quàm quovis alio poſitu corporis, quia tunc inteſtina non tàm validè trahuntur versùs partem ſauciam.

XIII.

Signa vulnerati lienis.

Si lien ſauciatus eſt, profluit ſanguis è latere ſiniſtro, is quidem niger & melancholicus: hypochondria ejusdem lateris fiunt dura, extendente ſe dolore uſq; ad claviculam: ſentitq; magnam æger ſitim.

ANNOTATIO.

Sauciato liene oportet ſanguinem è latere ſiniſtro fluere, quia ſplen ibi ſuam habet ſedem: ſanguis deprehenditur craſſus nigerque, quia lien eſt receptaculum ſanguinis melancholici: percipiuntur hypochondria illius lateris dura, ob inflationem, quæ fit in parte ſaucia. Porrigitur dolor uſque ad claviculam, velutì cùm jecur vulneratum eſt, propter conjunctionem pleuræ cum peritonæo, quo cingitur lien. Affligitur æger magnâ ſiti, ob ſiccitatem prodeuntem ab inanitione, magnamque effuſionem ſanguinis, quæ fit tàm per vomitum & dejectionem ab alvo, quàm per ipſum vulnus.

XIV.

Si renes vulnerati sunt, descendit dolor ad inguina & testiculos, accidit q; ægro difficultas reddendi urinam, aliquando mingit purum sanguinem, vel urinam sanguini permixtam. Signa renũ sauciorum.

ANNOTATIO.

Vulneratis renibus descendit dolor ad inguina & testiculos, ob intercedentes ureteres & vasa spermatica: difficultas reddendi urinam vexat ægrum, quia renes offensi non ampliùs, nisi difficulter & laboriosè, faciunt officium: mingit clarum dilutumque sanguinem, vel urinam facit sanguinolentam, ob solutionem continui in renibus, & debilitatem inde provenientem, cum affluentia sanguinis, quę fit in parte saucia per emulgentes.

XV.

Parum abest, quin eadem signa evidenter se ostendant, cùm vesica vulnerata est, ad quæ tamen accedit vomitus, singultus, alienatio animi, cum effusione urinæ per osculum vulneris. Signa sauciæ vesicæ.

ANNOTATIO.

Quando vesica vulnerata est, deprehenduntur propè eadem indicia, quæ in sauciatis cernuntur renibus. Nam, ut ait Celsus, sentitur dolor in inguinibus: loco urinæ mingit æger sanguinem: urina exit per vulnus: evomit etiam saucius choleram, vexatur singultu, accidit que mentis perturbatio, vel alienatio, ob sympathiam stomachi & cerebri cum vesica, quæ fit mediantibus nervis.

XVI.

Pariter & matrice vulneratâ communicatur dolor inguinibus, coxis & femoribus. Sanguis exit partim per vulnus, partim per membrum muliebre: sequitur hæmorrhagiam vomitus flavæ bilis. Quædam mulieres non loquuntur: nonnullæ amittunt usum sensuum; quædam conqueruntur de dolore nervorum & oculorum. Signa percussæ matricis.

ANNOTATIO.

Cùm matrix sauciata est, superveniunt ægræ propemo-

dùm eadem accidentia, quæ in vulnerata ſentiuntur veſica. Adeſt dolor inguinum, coxarum, femorum, ob connexionem peritonæi: exit ſanguis per pudendum muliebre, ſimulque per vulnus, ob inciſionem vaſorum, quæ matrici inſerta ſunt. Sequitur vomitus ob ſympathiam ventriculi. Aliquando non loquuntur, aliquando amittunt uſum rationis: quædam de nervorum & oculorum dolore conqueruntur, quod fit propter ſympathiam cerebri cum matrice, quæ fit interventu nervorum communicatorum.

Tranſitus à Plagis ad Ulcera. Et hactenus quidem de ſignis diſtinctivis & prænotionibus Plagarum Vulnerumque locuti ſumus: nunc nos ordo inſtituti noſtri monet, ut etiam de diagnoſi Ulcerum dicamus.

XVII.

Quid ſit Ulcus. *Eſt igitur* ULCUS *ſolutio unitatis inveterata, è qua prodit pus vel ſanies, facta in parte molli per eroſionem, à cauſa interna, vel externa: quamvis vocabulum* ULCERIS *etiam à Græcis ſæpè pro* Plaga *vel* Vulnere *uſurpetur. Appellatur* Ulcus ſanioſum, virulentum, purulentum, ſordidū, *propter materiæ, quæ inde exit.* Cacochymum *dicitur, quando cauſa ejus efficiens in ipſa parte ſita eſt;* & Rheumaticum, *cùm ibi fluit quantitas humorum, ulcus nutrientium & conſervantium.*

ANNOTATIO.

Ejus vocabuli apud Græcos & Arabes. ULCUS EST SOLUTIO CONTINUI.] Utuntur vocabulo ULCERIS Galenus & cum eo major Græcorum Medicorum pars ſæpè indifferenter pro *Vulnere*, & rurſum voce VULNERIS pro *Ulcere*. Arabes verò & qui eos ſecuti ſunt, tàm diſtinctè utuntur illis, ut nunquam alterum pro altero ſumant. Ex horum ſententia & nos definivimus Ulcus ſolutionem continui inveteratam, reddentem pus vel ſaniem, factam in parte molli per eroſionem, à cauſa interna, vel externa. In hac definitione poſuimus Genus *ſolutionem continui*, deinde *inveteratam, reddentem pus vel ſaniem*, ad differentiam Vulneris, quod eſt ſolutio continui recens, ſanguinolenta, & ſine putredine. Addidimus, *factam in parte molli*, ad

Ratio deſinitionis.

ad differentiam corruptionis ossis, quæ propriè Ulcus non est, sed caries & teredo. Sequitur, *per erosionem à causa interna, vel externa*, ad ostendendū, Ulcus ab alia causa esse, quàm Plagam sive Vulnus: cùm hoc ab externa duntaxat causa fiat; illud verò (Ulcus) utplurimùm à causa interiore, antecedente vel conjuncta, puta ab humore peccante, qui facit erosionem partium. Aliquando tamen etiam à causa externa, ut ab ustione, aut extremo frigore, vel per applicationem medicamenti corrosivi.

SANIOSAM.] Materia, quæ fluit ab ulceribus (ut Fernelius ait *cap. 9. lib. 8. Pathol.*) cum diversitate causarum generantium, statuunt principales ulcerum differentias. Ulcus enim (quemadmodum & Vulnus) potest dici magnum, parvum, superficiarium, profundum, rectum, obliquum, æquale, inæquale, novum vel vetus, sed hæ tamen non sunt propriæ differentiæ. Species proximæ trahuntur à rebus, quę crescunt in ulcere & inde extillant, unde dicuntur Ulcera sanioſa, virulenta, purulenta, sordida, verminantia. Est autem Sanies materia subtilior, quàm quævis alia, quæ fluere possit ab ulceribus, nequaquam viscosa, albicans vel aliquantulùm rubescens. Quæ spissior est, si insuper etiam glutinosa sit, sive sit Græcorum *Ichor*, sive *Meliceris* appelletur, Latinis dicitur *Virus*. *Pus* etiam spissius est crassiusque, magisq; ad album colorem vergit, quàm duo superiora, dummodò non sit fæculentum. Cùm ulcus non procul abest ut sanetur, pus reddit; quod verò incipit, estque adhuc cruentum, saniem ejicit; malignum verò stillat virus. *Sordes* quæ Latinis dicuntur, crassiores sunt magisque viscosæ, quàm omnes superiores species; neque effluunt, sed velut fixæ inhærent ulceri. Postremò *Vermes* generantur tàm è sordibus, quàm putredine, inprimis in iis ulceribus, quorum nulla habetur ratio.

Unde sumantur differentiæ.

Quid sit sanies.

Virus.

Pus.

Sordes.

Vermes.

DICITUR CACOCHYMUM.] Plures differentiæ Ulcerum desumuntur à causa, unde & *Ulcus* dicitur *Rheumaticum* & *Cacochymum*. Appellatur autem *Rheumaticum*, quando conservatur in essentia sua à causa antecedente, i.e. cùm continuò fluit ad partem affectam quantitatis humoris. *Cacochymum*, quando id causam suam conjunctam secum habet, i.e. cùm pars ulcerata circumdatur humore vitioso. A' causa conjuncta petuntur secundùm *Fernelium* hæ differentiæ: Ulcera phlegmonosa, erysipelatosa, œdematosa, cancrosa: ampliùs, corrosiva, cacoëthes & putridum. Aliquando enim

Rheumaticum & Cacochymum quãdo dicatur.

enim ulcus producitur à tumore aliquo aperto, & aliquando sine tumore, ab humore putrefacto aut parte corrupta. A' tumore provenit phlegmonosum, erysipelatosum, œdematosum, cancrosum, quod ipsum etiam vocatur Cancer ulceratus. Sine tumore generatur ulcus corrosivum; sic dictum, quòd sine intermissione excedat, cavet consumatq; partem, quam occupavit, aliquando etiam devoret vicinas, cujus rei causa est humor biliosus, acris morsicansque. Ulcus cacoëthes (i. e. malignum & difficilis curationis) utplurimùm magnum est & latum, non tamen putridum, neque mordax aut multum excitans doloris, extrema tamen ejus inflata sunt, dura & callosa. Inducit quandoque levem cicatricem, sed statim post recrudescit. Producitur hoc ab incognita malignitate, præter commune vitium humoris, supervenitque frequenter post longum & contagiosum morbum. Ulcus putridum ad id quàm proximè accedit, in quo non tantùm id, quod fluit, putrefactum est, sed etiam ipsa ulceris caro corrupta est, quæ ubi mollis & emortua facta est, emittit malum fœtidumque odorem. Hæc depravatio nisi reprimatur, subsequitur fere perfecta mortificatio. Aliquando provocatur à sola humoris natura; sæpiùs autem inde trahit originem, quòd calor naturalis affectæ partis extinctus sit, ob arteriarum obstructionem, vel alia quapiam de causa, quæcunque sit, ut non amplius defendere ac tueri possit, vel incolumem servare substantiam & integritatem membri.

Cacoëthes.

Ulcus putridum.

XIIX.

Ulcus duplex, simplex & cõpositum.

Est autem Ulcus vel simplex, vel complicatum. Simplex, *quando nulla alia ad id concurrunt indispositiones, unde & à Græcis appellatur* ἁπλοῦν ἀπεύθετον. Complicatum *quando conjunctam habet suam causam efficientem, vel alios morbos aut symptomata.*

NOTÆ.

Omne ulcus, ait Galenus *cap.* 1. *lib.* 4. *Meth.* vel est solum, per se, & sine ulla indispositione, quæ cum ipso concurrat, sive præcedente, sive subsequente: vel est sociata uni pluribúsve indispositionibus, quarum aliæ quidem non solùm produxerunt ab initio ulcus, sed & in præsens id faciunt magnum; aliæ verò locum causæ obtinent, sine qua non potest perfici cura. Unde, secundum eundem Galenum, omne ulcus vel

est

est simplex, vel complicatum. Nec obstat, quòd Guido definiat Ulcus solutionem continui; in qua sunt una vel plures dispositiones, impedientes vel retardantes ejus consolidationem; quasi nullum Ulcus simplex esset. Pariter & Fernelius defendere nititur, Ulcus semper comitem habere suam causam, quæ conservet nutriatque, quod ipsa genuit; quâ ratione id differre ait à Vulnere, quod nudum existat & remotum à sua causa.

XIX.

Ulcus, quod in aperto est & evidens, facilè à visu dignoscitur, nec non à tactu, odore, aliisq; sensibus. Quod autem latet intra corpus, cognoscitur judicio rationis per signa diagnostica, desumpta à proprietate doloris, ab excrementis, & naturali situ loci. Dolor enim rodens, & excrementa (qualia sunt, pus, sanies, sanguis, particulæ membranaceæ, venæ, arteriæ, cartilago, caruncula) demonstrant, Ulcus esse in parte ad ulcerationem dispositâ, undè illa omnia prodeunt. Quomodo agnoscatur Ulcera.

ANNOTATIO.

Ad cognoscendum Ulcus nihil opus est signis, quòd oculis videri tangique digitis queat. Ut autem sciatur, an Ulcus sit in corpore, necesse est, ut recurratur ad signa, quæ desumuntur tàm à mordaci dolore, quàm ab excrementis inde prodeuntibus: cujusmodi sunt, pus, sanies, sanguis, particulæ tunicarum, venarum, arteriarum, cartilaginum, caruncularum, squamæ, excrescentia, quæ generatur super ulceribus, quę Græcis dicitur ἐφελκὶς. Petitur & judicium à natura loci & situs, quòd membra & partes quædam habeant particulares morbos, sicuti nares obnoxiæ sunt Ulceri, quod *Ozena* vocatur, & pulmones Phthisi. Sumuntur & aliquando signa diagnostica ulceris interioris à propriis accidentibus: sic ungues convoluti & velut imbricati ostendunt ulcus in pulmonibus, *secundùm aph. 60. lib. 2. Prognost.* *Explicatio signorum in Ulceribus.*

RE-

REGULÆ, QUO PACTO JUDICANDUM SIT DE EVENTIBUS VULNERUM ET ULCERUM.

I.

Unde petãtur prognoſes.

SIGNA, à quibus peritur prognoſis de eventu Vulneris, ſumuntur ab illius eſſentia, vel à parte ſaucia, vel à cauſa vulnerante, vel ab accidentibus ſuperuenientibus; habitâ ratione ætatis, temporis, aliarumq; ſimilium circumſtantiarum.

ANNOTATIO.

An vulnera ſanari poſſint, vel non? an curâ eorum futurâ ſit facilis, an difficilis? ſumuntur præſagia ab eorum eſſentia, quia ſunt vel ſimplicia, vel compoſita, (complicata) magna vel parva, oblonga, rotunda, vel alterius alicujus figuræ: vel à parte ſaucia, ratione illius ſubſtantiæ, temperaturæ, conformationis, ſitûs & virtutis: vel à qualitate, magnitudine vel malignitate cauſæ vulnerantis, ut, ſi vulnus punctim vel cæſim illatum, vel à morſu animalis, vel à re venenata, vel à caſu aut colliſione violenta: poſtremò ab accidentibus ſive ſymptomatibus, quæ læſioni ſuperveniunt; cujusmodi ſunt, inflammatio, apoſtema, gangræna, febris, convulſio, paralyſis, ſyncope. Præterea, ut melius de futuro eventu judicium ferri poſſit, conſiderari ſolet ætas ægri, ſenex'ne ſit an juvenis, robuſtus an debilis, ſit'ne vulnus factum Vere an Autumno, Æſtate aut Hyeme, tempeſtate ſiccâ an humidâ, bonâ an malâ conſtitutione aëris, in loco'ne calido an frigido, an ipſe ſaucius malâ, an verò bonâ ratione vivendi uſus fuerit, & utatur.

II.

Prima differentia à forma vulnerum.

Vulnera ſimplicia & parva, facta lineâ rectâ in partibus carnoſis, & cæſim illata, facilè & celeriter curantur, inprimis in adoleſcẽtibus & tempore verno. Vulnera

ra rotunda pejora sunt cæteris omnibus. Contusione facta difficiliùs curantur, quàm incisione.

NOTÆ.

Vulnera, quæ facilè & celeriter curam recipiunt, & quæ omninò vacant periculo, sunt, quæ à nobis simplicia dicta fuerunt, cùm ea non comitetur febris, tumor, nec aliud symptoma, quæ eorum curam impediant: consolidantur ergo, ut celeriter ad cicatricem perveniant. Quæ cæteris minora sunt, quia divisio non est magna, facilè reuniuntur, nec quicquam est periculi, cùm omnis noxa vulneris dependeat à magnitudine ejus: & quæ secundùm lineam rectam inflicta sunt, cùm divisio facta est secundùm fibras, & ipsa facilè coalescunt. Vulnera recepta in partibus carnosis, ubi non sunt multi nervi, venæ, & arteriæ, facilè consolidantur, incarnantur & ad cicatricem perducuntur, neque malo aliquo accidente tentantur, siquidem rectè curentur. Et cæsim illata vulnera celeriùs coëunt, inprimis in juvenibus, quòd in hac ætate Natura sit robustior vegetiorque, inprimis tempore verno, quòd læsiones vernæ tàm molestæ non sint quàm hyberuæ vel æstivæ, cùm vulneribus omnis excessus, tàm frigoris quàm caloris, adversetur. Vulnera rotunda deteriora sunt cæteris, quia labia eorum difficulter conduci unirique possunt; rotunda enim fieri non possunt, nisi aliquid deperdant de sua substantia. Et plagæ sive vulnera contusa difficilioris longioris que curæ sunt, quàm incisione facta; quia quicquid contusum & lividum est, oportet, ut ad suppurationem perducatur, cui rei facilè noxia accidentia supervenire possunt. *Curatu facilia quæ.*

III.

Omnia magna vulnera sunt periculosa. Magna *dicuntur* vulnera, *non solùm quæ longa, lata & profunda sunt, sed & quæ in iis facta sunt partibus, quarum actio & virtus necessaria est toti corpori, ipsiq; adeò vitæ: quæq; ab instrumento venenato, vel morsu venenosi animalis, vel quacunq; de causa maligna facta sunt, periculosa judicantur.* Quæ sint vulnera periculosa.

NOTÆ.

Galenus *cap. 6. Meth.* & Celsus *cap. 2. lib. 5.* testantur, omnia ma-

magna vulnera esse periculosa, ob accidentia, quæ inducunt.

Tribus modis vulnus magnum dicitur.

Sunt autem secundùm Galenum, plagę & vulnera (sicut & omnes morbosi affectus ceteri) magna & gravia tribus modis: nempè ob excellentiam partis læsæ; quanquam illa non nimis vehementer offensa fuerit; cujusmodi est cerebrum, jecur, ventriculus, vesica aliæque partes, quarum virtus & actio necessaria est toti corpori & vitæ: deinde ob magnitudinem mali, secundùm triplicem dimensionem, in longitudine, latitudine, profunditate; etsi nulla pars nobilis contacta fuerit: tertiò propter malignitatem; unde & magna dicuntur Vulnera recepta in junctures, ut & in capitibus & finibus musculorum valdè nervosorum; *teſtante commentario ſuper aph. 66. lib. 5.* Pernicioſiora sunt facta à globo veneno illicito, à morsu rabidi canis, à vipera aliisque animalibus venenatis. Hanc triplicem magnitudinem si rectè consideraverit Chirurgus, facilè discernere poterit inter Vulnera curabilia & incurabilia, inter curatu facilia & difficilia.

IV.

Bona & mala præsagia in magnis vulneribus.

Quando magnis plagis sive vulneribus supervenit tumor, bonum est signum, quia Natura conatur succurrere parti offensæ, quo ipso ostendit, sibi non deesse vires: cùm autem nihil ibi inflatur aut tumescit, malum est præsagium; metuendum enim est, ne humores, ad læsionem currentes, receperint se versùs partes nobiles, vel ne Natura prostrata omnibus destituta sit viribus.

NOTÆ.

Annotavit hoc Hippocrates *aph. 66. lib. 5.* ubi testatur malum esse signum, quando nullus apparet tumor in Vulneribus notabilibus & malitiosis, cujusmodi illa sunt, (ait Gal.) quæ accidunt in capitibus & extremitatibus nervosorum musculorũ, quòd periculum sit, ne humor affluere solitus, regurgitaverit ad partes nobiles, vel ne Natura adeò debilitata sit, ut nullam opem ferre possit parti læsæ. Idem Hippocrates *aph. præced.* observavit, quòd ubi tumor in ulceribus appareat, non facilè superveniat convulsio, neque alienatio mentis. Si verò tumor aliquis adfuerit ulceribus in dorso factus, & is citò dispareat, ferè supervenire convulsionem vel disten-

tenſionem nervorum; quòd ſi fiat in anteriore parte corporis, etiam alienationem mentis accedere, cum dolore acuto laterum; vel ſuppuratione, vel dyſenteriâ, ſi tumor ſit rubicundus. Poſteriorem enim corporis partem (*ſecundùm Galenum*) eſſe nervoſam; anteriorem venoſam & arterioſam. Hinc fit, ſi humor, qui tumorem cauſatur, à partibus ulceratis ſe retrorſum ad partes nervoſas retrahat, atque ita ad partem aliquam nobilem, fiat convulſio & diſtenſio, (quæ ſunt paſſiones nervorum:) ſi verò à partibus anterioribus, fiat alienatio mentis, nempe ſi humor deſcendat ad caput: dolor verò laterum, ſi redeat ad thoracem. Sæpenumerò etiam tumor venit ad ſuppurationem, niſi reſolvatur humor: poſtremò, ſi tumor, qui antè adfuit, diſpareat, ſupervenit ea ſpecies dyſenteriæ, quæ ſanguinea appellatur, quæ eſt evacuatio ſanguinis, facta per inteſtina, ſine tamen horum ulceratione.

V.

Si vena quæpiam vel notabilis arteria abſciſſa fuerit, res non vacat periculo, ob fluxum ſanguinis, qui ſequitur, quo vires ægri proſternuntur. Hæmorrhagia mortifera.

ANNOTATIO.

Hæmorrhagia nimia, ex quocunque vaſe illa fiat, valdè periculoſa eſt: niſi enim ſiſtatur, ſine dubio mortem affert; cùm ſanguis ſit theſaurus Naturæ. Quando autem poſt copioſum fluxum ſanguinis ſupervenit ſingultus, convulſio, delirium aut ſyncope, peſſimum eſt augurium, *ut obſervavit Hippocrates aph. 3. lib. 5. & poſt eum Avicenna & plerique recentiores.*

VI.

Maximi momenti ſunt vulnera partium nervoſarum, cùm ea plerumq; comitari ſoleat ingens calor, vigiliæ, convulſiones, inflammatio, febris, delirium, aliaq; pernicioſa accidentia: cujus rei cauſa eſt, quòd nervi ſint ſenſus exquiſitiſſimi, multumq; communicent cum cerebro. Unde convulſio vulneri ſuperveniens, peſſimum ſignum eſt; indicat enim, læſam eſſe partem nervoſam, & ſimul pati cerebrum, quod eſt, ut novimus, fons nervorum. Præſagia in vulneribus nervorum.

ANNOTATIO.

Huic regulæ præbet Galenus *lib.4.Meth.cap.6. in pluribus & aliis locis* locuples teſtimonium, ubi ait, Omne vulnus in parte nervoſa magnum & periculoſum cenſeri debere, ob ſuam κακοχυμίαν, i.e. malam conditionem. Id verò tanto pejus etiam eſt, ſi ſit in corpore cacochymo aut plethorico. Omnes enim nervi vel proximè, vel mediante medullâ ſpinæ dorſi, originem ſuam trahunt à cerebro, quòd illis ſuam communicet facultatem, & patiatur cum illis. Præterquàm autem quòd nervi adeò affines ſunt parti tàm nobili, etiam exquiſitiſſimo ſenſu præditi ſunt. Hinc fit, ut læſi vulneratique neceſſariò majorem dolorem creent, quàm omnes cæteræ corporis partes; unde ſequitur inflammatio, hinc febris, convulſio, vigiliæ, delirium, aliaque odioſa ſymptomata, niſi maturo remedio obviàm eatur. Hippocrates *aph.2.lib.5.* obſervavit, ſi quæ convulſio ſupervenîat ulceri, id eſſe mortale: neque tamen ſemper, (ut affirmat Galenus) ſed certè utplurimùm. Accidit autem convulſio vulneribus, (ait idem) propter inflammationem, quando illa occupavit partes nervoſas. Animadvertimus autem, evenire convulſionem partibus, quæ ſunt rectà è regione partium inflammatarum: deinde cùm pervenit uſque ad ipſum principium, tunc extenditur malum per totum corpus.

Cur ea tàm periculoſa.

VII.

Vulnera junctûrarum maligna ſunt; quæ de cauſa etiam magnis annumerantur, quæ nunquam periculo vacant: ubi enim ſunt nervi & tendines, (tendones alii,) & loca oſſea carne nuda, periculum eſt doloris, vigiliarum, convulſionis & deliriorum.

Signa vulnerum in junctûris.

ANNOTATIO.

Nemo ignorat, (ait Galenus *lib.4.Meth.cap.6.*) vulnera junctûrarum malæ eſſe conditionis. Empyrici id ſolâ experientiâ magiſtrâ didicerunt, doctis autem ipſæ partes vulneratæ indicium faciunt. Ubi enim ſunt tendines, nervi, loca oſſea nuda carnibus, periculum eſt doloris, vigiliarum, convulſionis & delirationis. Unde vulnera junctûrarum non ſine ratione periculoſa judicantur: ſæpiùs etiam mortifera, propter aponeuroſes membranoſas, quæ illas junctûras alligant, quibus inſeruntur nervi exquiſiti ſenſûs; inprimis ii, qui in in-

interiore parte junctur arum siti sunt, velut in alis, plicaturâ cubiti, carpo manûs, poplitibus, propter magnas venas & arterias, quæ illàc transeunt, unde sequitur fluxus sanguinis, dolor extremus, aliaque pernicioſa accidentia.

IIX.

Omnes ictus penetrantes in caput, in pectus & ventrem, periculum ſecum ferunt, in primis tunc, cùm pars aliqua interior tacta eſt. Præſagia vulnerum penetrantium.

ANNOTATIO.

Vulnera penetrantia in interiora membrorum, ſunt periculoſa, tàm ob hanc cauſam, quia aër externus per ea ſubintrans, necdum alteratus, offendit partes interiores; quàm quòd ſpiritus interior per aperturas illas exhalat, unde debilitatur virtus, accedente alio, quòd nimirum non benè poſſint hæc ſufficienter mundari. Hinc accidit, ut poſtremò degenerent in fiſtulas & empyemata, unde ſequitur mors.

IX.

Si ictus penetraverit uſq; ad ventriculos cerebri, ſubitò adeſt finis vitæ, quia ſpiritus animalis ſemel ac ſimul exit: quòd ſi non nimis profundè intret ictus, mors non tàm celeriter ſequitur. Galenus unum vidit Smyrnæ in Ionia, vivente magiſtro ſuo Pelope, qui curatus fuit à vulnere penetrante in ipſam cerebri ſubſtantiam. Vidit & Guido alium, qui & ipſe convaluit, curatus ab eo, quanquàm particulam exiguam de ſubſtantia cerebri perdidiſſet. Sed & ipſe ego anno Salutis M.D.LXX. apud Orignium oppidum vidi curari juvenem, nomine Cruæum, cui vulnus ab ictu ſatis altè penetraverat in ipſam cerebri ſubſtantiam; & is tamen ita convaluit, ut etiamnum vivat. Sed hæc profectò rara ſunt. Eadem eſt ratio læſæ medullæ ſpinæ dorſi, quæ & cerebri; utraq; enim læſio eſt lethifera. Præſagia vulneratæ cerebri.

ANNOTATIO.

Hippocrates *aph.* 18. *lib.* 6. refert læſiones cerebri inter

mortales : quod & *Galenus* confirmat *in comment.* quamvis idem affirmet, vidisse se unum atque alterum convaluisse.

Alia causa, cur vulnera cerebri sint mortalia.

Guido adducit aliam rationem, quare vulnera cerebri & membranarum ejus lethalia sint, nempe, quòd læso cerebro & meningum ejus, sequatur læsio, aliquando etiam abolitio actionis musculorum thoracis, aliorumque membrorum, quæ inserviunt respirationi : actione verò horum deperditâ, necessarium est perire quoque respirationem, unde intemperatura accidit cordi, & statim ipsa mors, quod & observavit Galenus *lib. 5. de loc. aff.*

X.

Prognostica vulnerũ pulmonis.

Vulnera pulmonis maximâ ex parte sunt incurabilia, quòd perpetuus hujus partis motus impediat, ne coëant, accedente tussi, quæ ea subinde ampliora facit, ruptis diductisq; eorum labiis. Quòd si vulneratus non moriatur subitò, postremò paulatim consumitur febri & languore.

ANNOTATIO.

Præterquàm quòd pulmones perpetuò movẽtur ob respirationem, & per tussim offenduntur, cùm sauciati sunt, è vestigio ulcere vel apostemate afficiuntur; (ut Guido ait:) cumque impossibile sit, ut medicamenta, curandis ulceribus propria, viribus suis usquè ad pulmones penetrare possint, sequitur, vulnera pulmonum difficillimæ curationis esse. Possunt tamen curari, (ut defendere nititur Pareus) nisi nimis sint magna, vel correpta inflammatione, vel in loco superiore, verùm in extremitatibus, & si æger se contineat quietum, non tussiat, neque loquatur, neque nimis fortiter respiret. Ego de me id profiteri possum, vidisse me plures, qui curati persanatique sunt.

XI.

Præsagia vulnerum cordis.

Vulnera intrà substantiam cordis recepta, de necessitate mortifera sunt.

ANNOTATIO.

Non est mirandum, quòd cor non possit ferre ullam continui solutionem, nisi necessariò subsequente morte ; cùm inde producatur spiritus vitalis, idque continuò moveri debeat, & arteriis quoque infatigabilem motum suppeditare,

ad

ad conſervandum naturalem calorem partium. Cùm autem læſio adimat ei potentiam ſuum faciendi officium, interruptâ actione ejus, oportet ceſſare motum, & per conſequens motum quoque arteriarum; unde ſequitur extingui calorem naturalem, conſervatorem partium: hinc mors pulſat oſtium, inciditque ſine mora filum vitæ, ſi ictus uſque ad ventriculos cordis penetret. Hinc magna ſequitur ſanguinis effuſio & jactura ſpirituum vitalium, proſtratio virium & oppilatio, impediens, ne vita amplius toti corpori communicari poſſit. Vides Ovidium verè & non ſine ratione ſcripſiſſe *Eleg. 4. lib. 1. de Ponto:*

Afferat ipſe licèt ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.

XII.

Vulnera accepta in medio nervoſæ partis diaphragmatis, exſanguia, & ſubinde mota, tandem mortem afferunt; defectu enim ſanguinis & quietis conſolidari non poſſunt. Signa vulnerum diaphragmatis.

ANNOTATIO.

Teſtatur Galenus *lib. 5. Meth.* vidiſſe ſe aliquando, vulnera diaphragmatis facta in parte carnoſa, qualis eſt ejus circumferentia, coaluiſſe, non obſtante perpetuo ejus motu. Certum eſt, magnam in eo oboriri difficultatem, ob inflammationem & materiam ſanioſam, quæ ſupervenire ſolet: pars tamen ſepti interior, quæ nervea, vulnerata curari non poteſt, quia labia vulneris recipere ſanguinem & quietem non poſſunt.

XIII.

Oeſophagus, Ventriculus, & parva Inteſtina perforata, curari non poſſunt, quia tranſitus cibi potûsq; impedit conſolidationem, quòd vulnera illa medicamentis, niſi in tranſeundo, frui non poſſunt; accedente aliâ cauſâ, quòd partes illæ aliquo modo ſunt nervoſæ. Prognoſis plagarum Oeſophagi.

ANNOTATIO.

Vulnera Oeſophagi (ait Guido) ſunt incurabilia, quando magna ſunt; nec minùs illa, quæ penetrant uſque in concavitatem ventriculi & inteſtinorum gracilium, quia horum uſus

ſemper neceſſarius eſt ad conſervandam vitam ; quodque ſemper aliquid intùs continetur humiditatis, quæ ſanctionem impedit. Galenus *in comm. ſuper aph.* 18. *lib.* 6. affirmat quidem, Ventriculum & minora Inteſtina, quia non parum obtineant de ſubſtantia carnea, ſi tantùm in ſuperficie ſauciata ſint, ſæpè curam ſanationemque recepiſſe ; ſed quando vulnus penetravit per eorum tunicas, rariſſimè.

XIV.

Præſagia vulnerum epatis & lienis.

Vulnera epatis profundiora, ut & lienis, mortifera ſunt, ob ſubſequentem effuſionem ſanguinis ; & quanquam non niſi ſuperficiaria ſint, conſumunt tamen corpus paulatim & ſucceſſu temporis, ob defectum nutritionis, ut videmus, & neſſarium eſt : ita ut pauci ita vulnerati mortem effugiant.

NOTÆ.

Galenus *ſuper aph.* 18. *lib.* 6. affirmat, Vulnera penetrantia in epar, ubi vena porta vel cava ſecta eſt, ægro mortem afferre, ob nimiam hæmorrhagiam, antequam conſolidari poſſint. Tamen Guido aſſeverat, vidiſſe ſe vulnera in lobis epatis ſanata, ſed ea fuiſſe parva, nec profunda, neque cum perditione ſubſtantiæ : quod & ipſe ego me vidiſſe memini. Verùm hoc profectò rarum eſt. Vulnera Lienis (cùm toti corpori pars hæc utiliſſimum præſtet officium) ſatis quidem ſunt periculoſa, (teſte Guidone) minùs tamen quàm vulnera epatis.

XV.

Prognoſtica vulnerũ in renibus.

Vulnera per ipſos renes penetrantia, ut & veſicæ & matricis ſubſtantiam, curationem reſpuunt plerumq́ : cujus rei ratio eſt, quòd partes illæ ſint nervoſæ, & exſangues, quodq́ per eas multum vitioſæ humiditatis tranſeat, neq́ commodè applicari poſſint medicamenta.

NOTÆ.

Omnes corporis noſtri partes nervoſæ ſubſtantiæ, ob defectum ſanguinis, conſolidationem uno ore reſpuunt ; inprimis autem illæ, quarum officium eſt, ut perpetuum dent tranſitum humiditatibus excrementitiis ; tales verò ſunt renes,

nes, vesica & matrix. Adde huic causæ aliam, quòd remedia, sanationi destinata, ritè applicari non possint. Avicenna tamen & Avenzoar sufficiens perhibent testimonium, posse mulierem omninò perdere matricem, neque tamen ideò periculum vitæ incurrere. Affirmat M. Provancherius, Medicus fide dignus, vidisse se in Senonibus mulierem, quæ perdiderit matricem, putrefactis illius ligamentis, quæ tamen longo tempore pòst vixerit, salvis integrisque omnibus cæteris functionibus naturalibus.

XVI.

Partes spermaticæ, cujusmodi sunt nervi, venæ, arteriæ, cartilagines, ossa, dissectæ, recrescere non possunt, neq; denuò simul reduniri, mediante aliâ aliquâ substantiâ. Partes organicæ omninò abscissæ iterum conjungi non possunt, cùm membrum separatum à corpore, non queat amplius recipere vitam motumq; ab illo. Prognosis partiũ spermaticarum & organicarum.

NOTÆ.

Partes carnosæ incisæ recrescunt, uniunturque denuò ac se amplectuntur, sicut ante læsionem fuerant, sine extraneo adminiculo, mediante alimento, quo nutriuntur, quod in eorum convertitur substantiam; sed de spermaticis id sperandum non est, quæ neque se amplecti, neque reduniri possunt, mediante quâcunq; aliâ substantiâ, quam Natura machinatur: cujus rei amplum præbent ossa testimonium, quæ ob duritiem suam naturalem denuò conjungi non possunt, nisi per callositatem; quanquam ossa puerorum facilius uniantur, & minore egeant additione, quia adhuc mollia sunt & delicata. Vides, quare Hippocrates *aph.* 19. *lib.* 6. defendat, quòd os, cartilago, nervus, tenerior pars malæ, præputium omninò abscissum, non recrescant, neque reduniri possent. Vocat autem RECRESCERE, si generetur talis quæpiam substantia, qualis illa fuit, quæ abscisa est, sicut videmus recrescere carnem in ulceribus concavis. AMPLECTI SE, cùm extremitates sive labia corporum intersectorum recolliguntur & reconjunguntur. Quod ad redunitionem partium organicarum omninò à corpore divisarum, est ea impossibilis, affirmante Galeno 90. *de Art. Medic.* Hujus rei Guido reddit rationem; quia nempe canales, i.e. venæ, *Quid sit* Recrescere & Amplecti se.

nervi & arteriæ, per quæ venit nutrimentum, vita & ſenſus : membrum organicum, cum omninò interſecantur, ſpiritus & virtutes continuò deficiant, ob grandem, quâ præditi ſunt, ſubtilitatem : quod in beſtiis imperfectis & plantis non accidit. Et hæc quidem de prognoſi Vulnerum dixiſſe ſufficiat : perſequamur nunc eodem tractu ſigna Ulcerum ; cùm conſtet, Vulnera, ubi conſenuerint, degenerare in Ulcera.

XVII.

Prognoſtica Ulcerũ. *PRÆNOTATIO eventûs Ulceris ſumitur ab illius eſſentia, à parte ulcerata, ab humore ulcerante, à morbis & ſymptomatibus, quæ id comitantur, poſtremò à diſpoſitione corporis.*

ANNOTATIO.

Signa, quibus deprehendi poteſt, ſit'ne ulcus facilis an difficilis curationis ; vel, ſit'ne omninò curabile an incurabile? ſumuntur ab eorum eſſentia, quia vel ſunt ſimplicia, vel complicata, magna vel parva, rotunda vel alterius figuræ: vel à parte ulcerata, ratione illius ſubſtantiæ, temperamenti, formationis, ſitûs & virtutis : vel ab humore ulcerante, ob quantitatem ejus, vel qualitatem: vel à morbis & ſymptomatibus, quæ ea comitantur, qualia ſunt, intemperatura, tumor contra naturam, putredo : vel à diſpoſitione totius corporis mala, vel bona. Eſt præterea etiam habenda ratio ætatis, ſexûs & victûs, quo æger utitur, nec non tempeſtatis anni, qualitatis aëris, & regionis.

XIIX.

Quæ ulcera facile ſanẽtur. *Si ulcus parvum ſit in parte aliqua, quæ quiete frui poteſt, neq; ſe applicet humor aliquis ſuperfluus, neq; aliud quodpiam malum accidat, facilè curari poterit. Difficulter autem, ſi fuerit magnum, rotundum, vel in parte aliqua, quæ perpetuò movetur, (qualis eſt pulmo :) vel ubi excrementa acria tranſeunt, (ejusmodi ſunt renes & veſica :) vel quo continuò affluat aut generetur vitioſus humor : vel ſi id comitetur intemperatura quædam, aut varices, ſordes, caries oſſis, calloſitas, aut*

aut aliud noxium accidens. Bona habitudo corporis facilem reddit curationem ulceris, cùm non sit defectus sanguinis: contrarium fit in dyscrasia, ob vitium sanguinis. Hinc fit, ut ulcera hydropicorum, leucophlegmaticorum, cachecticorum, ictericorum, curari non possint.

NOTÆ.

Commemorat Celsus *cap.3.lib.7.* etiam alia signa, è quibus cognosci possit, quid curandum aut sperandum sit in curatione Ulceris; refert autem inter bona signa, quietem in somno, facilem respirationem, itemque, si non amittatur gustus, aut nimia sitis adsit, si quæ febris adfuerit & illa remiserit, si ulcus paululùm albescat, uniatur, neque malum spiret odorem. Inter mala signa refert vigilias, difficultatem halitûs, sitim, nauseam, febrim, pus nigrum, fæculentum, tetriq; odoris. Præterea, si durante curâ jam aliquousque progressâ superveniat fluxus sanguinis; aut si, antequàm cavitas impleatur carne, labia carnosa fiant. His malis signis adjungit, si malo curato superveniat abscessus, & acrimonia humorum erodentium non sentiatur in ulcere. Pessimum verò omnium ait, cùm deliquia animi superveniant durante vel finitâ curatione. Ait Avicenna, omne ulcus, quod jam incarnatum cicatricem induxerit, si renovetur, non carere periculo superventuræ fistulæ: additque, in ulceribus non rectè mundificatis semper generari aliquam excrescentiam carnis, quæ in brachiis tibiisque excitet phlegmonem vel alium tumorem, ut & sub alis, in inguinibus aliisque partibus glandulosis, quæ transitum præbent humoribus affluentibus ad partem ulceratam, inprimis quando corpus est plethoricum aut cacochymum. Præterea, quando ulcera maligna repræsentant colorem totius corporis, sive id sit album, sive rubeum, fuscum, citrinum, id esse signum, laborare epar notabili aliquo vitio, unde magna fit corruptio sanguinis. Hippocrates *aph.4.lib.6.* testatur, ulcera glabra & decorticata veluti in circuitu maligna esse; quoniam, ut Galenus ait, cùm pili, qui circum ulcus sunt, excidunt, signum sit, affluere ad partem affectam pravos humores, qui corrodant exedantque radices pilorum & epidermidem, simulque impediant, ne ad cicatricem perduci ulcus possit. Affirmat idem Hippocrates

Alia prognostica Ulcerũ, observata à Celso:

& Avicennâ:

& Hippocrate.

lib.1.Progn. quando ulcera, quæ adveniant ante morbum aliquem, vel in eo, ficca fiant, vel liveſcant palleantque, ſignum eſſe appropinquantis mortis in ægro, quòd facultates naturales adeò debiles ſint, ut ſuccurrere parti affectæ ampliùs non valeant.

XIX.

Prognoſis ulceris inveterati.

Et in omnibus ulceribus, quæ per annum unum vel ampliùs duraverunt, neceſſe eſt, ut exeant aſſulæ ſive teſtulæ oſſis corrupti, unde neceſſariò ſequitur cavitas poſt cicatricem remanens.

ANNOTATIO.

Ex Galeno. Certum indubitatumque eſt, teſte Galeno *ſuper aph.45. lib.6.* in omnibus ulceribus, quæ per annum integrum vel ampliùs duraverunt, os carie infici corrumpique, ob malam diſpoſitionem, quam pars acquiſivit per defluxum malignorum humorum, quibus longo tempore permadefacta fuit. Unde neceſſarium eſt (affirmante Hippocrate) prodire inde aſſulas vel teſtulas oſſis. Cumque os renaſci non poſſit, loco illius, quod ablatum fuit, reliqua maneat aliqua cavitas, etiamſi ad cicatricem perductum fuerit ulcus.

LEGES MEDICÆ, AD RECTE PERSANANDUM VULNUS ET ULCUS.

I.

Requiſita ad curam Vulneris.

PRIMUM omnium in vulnere diligenter conſiderandum eſt, quale illud ſit, unde factum, & quo ſit loco ſitum. Vulnus enim ſimplex aliter tractandum eſt quàm compoſitum: & id, quod cæſim illatum, aliter curari debet, quàm quod à morſu eſt, vel lapſu. Unaquæque enim pars corporis, ſive ea ſit ſimilaris, ſive organica, ſi vulnerata ſit, requirit rem aliquam propriam ad curationem ſui: ſic fit, ut vulnera carnis, venarum, arteriarum,

rum, nervorum, tendinum, ligamentorum, junctura-rum; rursum plagæ capitis, pectoris, ventris, quæq; habeat peculiarem suam curam, quanquam omnes ad communem scopum tendant, nempe ut denuò uniantur partes divisæ, quod fit beneficio Naturæ, auxiliante Chirurgo. Intētio cu-ræ generalis.

NOTÆ.

Tria præ cæteris omnibus in considerationem veniunt, si vulnus curandum sit: illius essentia, causa, situs, cùm ex unoquoque horum judicium capi possit de magna diversitate mali: quamvis communis intentio omnium ad curationem vulneris aspirantium (ut & omnis solutionis continui) sit unio, ut testatur Galenus *cap. 90. Art. Med.* Quod enim divisum est, monstrat, velle se reduniri, ita ut unio contraria sit divisioni. Perficitur autem generalis hæc intentio per Naturam, ut principale agens, & per Chirurgum, qui est minister Naturæ.

II.

Ad reuniendum vulnus simplex, cui nullæ coimplicatæ sunt res, quæ sanationem impedire possint, primum omnium necessarium est, ut applicentur simulq; adducantur partes vulneris disjunctæ & separatæ; deinde, ut ita applicatæ & conjunctæ conserventur; hinc, ut retineatur substantia partis saucia in sanitate, muniatur & præservetur ab intemperatura, inflammatione, dolore, aliisq; accidentibus. Quæ sit cura vulneris simplicis.

NOTÆ.

In cura vulnerum, secundùm Guidonem adeóque omnes recentiores, quinque sunt scopi subalterni, quos sibi Chirurgus semper ponere debet ob oculos, quando suam exercet operationem, ut obtineat finem sibi præfixum. Primus, ut auferat res peregrinas extraneasque: secundus, ut componat applicetque partes distantes: tertius, ut ita conjunctas retineat: quartus, ut conservet temperamentum partis affectæ: quintus, ut corrigat accidentia supervenientia. Cùm autem quinque hi scopi, non simul omnes, in omni vulnerum gene- *Quinq; scopi recētiorum Chirurgorum.*

genere convenirent vulneribus compositis, secunda vero, tertia & quarta simplicibus, optimum factu visum fuit, magis methodicè in cura vulnerum progredientes, distingueremus vulnera simplicia à compositis, primumque diceremus, qui scopi maximè considerandi essent in cura simplicium, deinde compositorum, ne confunderentur ea, quæ singulis conveniunt cum iis, quæ ad utraque communiter spectant, sed ut determinentur & declarentur ea, quæ pertinent ad curam tam horum, quam illorum. Vides causam, cur in vulnerum simplicium cura primùm collocaverim scopum, nimirum ut reducerentur ad se invicem labia, & sic reducta manerent: deinde, ut conservaretur temperatura partis sauciæ, & ab accidentibus præservaretur.

III.

Media ad primũ scopũ perveniendi.

Conjunguntur autem atq; uniuntur denuò distantia ab se invicem labia vulneris, retinenturq; ita conjuncta, teste Galeno cap. 4. lib. 3. Meth. vel per alligationem, vel per suturam, vel deniq; per fibulam sive uncinum.

Alligatio.

In vulneribus parvis, secundùm rectitudinem musculorum factis, non nisi alligationibus fasciisq; opus est: ubi id duntaxat cavendum, ne ligatura nimis sit laxa, neq; nimis adducta, tunc enim crearet dolorem.

Sutura.

Sutura locum habet in magnis plagis sive vulneribus transversim factis & in quibus labia longa à se invicem distant, & nihilominùs facilè reducuntur; nec non ubi caro in unum latus pendet, in altero verò adhuc integrè adhæret, ut in auriculis, extremitate nasi, labiis, palpebris, cute frontis, abdomine: debent autem puncta neq; nimis longè distare, neq; nimis dura esse.

Fibula.

Si verò vulnus ita hiet, ut labia non nisi difficulter reduci possint, sutura hûc nihil facit, sed applicanda est fibula sive uncinus, quæ (fibula) non nisi aliquantùm claudit labia vulneris, ut posteà cicatrix minùs ampla sit.

Tria genera ligaturæ Guidonis.

ANNOTATIO.

Avicenna, & post eum Guido, ut & plerique recentiores dis-

distinguunt tria ligaturæ genera: primam vocant *glutinantem*: secundam *expulsivam*; tertiam *retentivam*. *Glutinativa* convenit plagis recentibus simplicibus: fit hæc alligatione bicipiti, facto initio ab oppositio vulneris, ducendo & decussando, ut alterum fasciæ caput trahatur versus partem superiorem membri, alterum versus inferiorem, ut labiorum separatorum unum versus alterum ducatur: habet autem genus hoc ligaturæ præcipuè locum in brachiis cruribusque. 1.

Expulsiva convenit ulceribus sanios & fistulosis, ad expellendam saniem: fitque fascia unicipiti, incipiendo primum à fundo sinûs, quò in loco arctius vinculum debet adduci, continuaturque moderatè usque ad orificium ulceris, ut materia foràs propellatur. 2.

Retentiva tantùm invenit locum in partibus, quæ alligari constringique non possunt, velut in colle, ventre, omnibusque adeò partibus, ubi dolor est. Usus ejus est, ut retineantur imposita medicamenta. Fit autem hæc ligatura fasciâ cum una vel pluribus capitibus. 3.

Sunt & plura genera suturarum inter se differentia, pro natura ægri, qualitate vulneris, & conditione partis sauciæ. Facienda enim est sutura sicca in corpore tenero, molli & delicato, in quo metuendum, ne æger in syncopen incidat, vel punctiuras acûs perferre non possit, quæ sunt valdè dolorificæ. Hoc ut omne ritè fiat, accipe priùs duas particulas lintei fortioris, formâ triangulari, obduc eas atque contege medicamento glutinante è sarcocolla, masticke, thure, sanguine draconis, polline, albumine ovi: deinde applica lintea illa, ad quodque latus vulneris unum, relicto in medio unius transversi digiti spacio: cumque hæc cuti firmiter affixa fuerint, ita, ne alibi attingant corpus, oportet consuere extremitates linteolorum, cuti inhærentium, & ita se jungent labia vulneris. Nobile profectò hoc consuendi genus est, facitque plurimùm ad rem, inprimis si quis velit occultare cicatrices vulnerum in facie, modò ne vulnera nimis sint profunda; hoc enim casu talis sutura nihil profuerit. Est & aliud genus suturæ in omnibus propè vulneribus usitatum, quâ Gormelenus usus, ei nomen indidit intersectæ, quòd post unumquodque punctum, facto nodo in filo, abscindatur filum. Fit autem ad hunc modum. Per acum trajicitur filum sericum duplex, ducitúrque per medium labiorum vulneris, pòst, ubi filum nodo firmatum est, abscinditur juxta nodum. Fit etiam punctura acûs, ducitúrque filum simplex per medium utriusque labii seorsim,

Diversæ generarum suturarum.

Sutura glutinans.

Sutura intersecta.

sim, deinde contrahuntur labia, & colligatur filum nodo.

Sutura ferrea. Tertium genus suturæ, quod proprie convenit profundis vulneribus, quæque altius penetrat, ita fit. Perforantur utraq; vulneris labia satis profundo puncto tot acubus, quot opus est, relicto conveniente spacio inter eas acus, hinc torquetur filum circa trajectas illas acus, ut in assuendis uncinulis vestium fieri solet, inprimis à rusticanis mulieribus. Relinquuntur eo in loco acus donec vulnus perfectè coaluerit, applicatis interim remediis, quibus firmetur claudaturque. Convenit hoc suturæ genus inprimis in labiis vulnerum fissis. Non

Sutura cum pennis facta. desunt, qui, cùm volunt, ut labia profundi alicujus vulneris se jungant uniantque sine inæqualitate ulla, ea hoc pacto consuunt. Accommodant cuspides penne, similes iis, quibus in instrumento Musico utimur, ad utrumque latus vulneris, perforantes duo ejus labia acu, cui inditum est filum, & postquàm incluserunt compresseruntque filo unam ex istis pennæ cuspidibus, reducunt acum per idem foramen, deindè connectunt simul nodo duas fili extremitates, nempè eundo & redeundo, quibus cum altera extremitas pennæ comprimitur: hoc facto abscinditur filum. Aliquando fit sutura cum

Sutura continua. acu infilata, sic, ut labium utrumque vulneris perforetur, circumducendo filum; sicut pelliones faciunt, cùm pelliculas consuunt: atque in hunc modum consuuntur vulnerata intestina. Sic quoque membranæ partes carne vacuæ, omniaq; alia vulnera, in quibus violentia affluentis sanguinis nos non sinit uti alio suturæ genere. Hæc est causa, quare illam Guido appellet suturam, sistentem sanguinem. Sunt præter superiores etiam aliæ suturæ, quibus vulneratus venter consuitur, quæ ob hanc causam à veteribus vocantur γαστροῤῥαφίαι, de quibus inferiùs loquemur, ubi de vulneribus Vētris agemus.

Fibularum usus apud veteres. Galenus *lib. 3. Meth.* dat locum fibulis ad jungenda, reducenda & continenda labia vulneris: & Celsus *cap. 26. lib. 5.* ait, quòd si vulnus sit in carne, idque ad eum modum hiet, ut labia ejus non benè jungi possint, tunc sutura non sit conveniens, sed injiciendos esse uncinos, qui comprehendant, attrahant vellicentque labra. Noſtro tamen ævo fibulæ non

Nunc abolitus, succedente usu acuū, fibularum usus. ampliùs sunt in usu, quia applicatæ statim pungunt, nec unquam cessant excitare dolorem: sed pro uncinis utimur nos acubus, quibus ubi duo labra vulneris perforavimus, & circumplicavimus filum, relinquimus ita, donec labia sese mutuò apprehenderint: acus illæ namque ad hunc modum ap-

pli-

plicitæ, minùs doloris faciunt, meliùsque ac firmiùs conjuncta continent vulneris labia.

IV.

Conservatur substantia partis in sua integritate & sanitate, & præservatur à noxiis accidentibus, bono ordine vivendi, & usu remediorum tàm universalium, quàm topicorum. Victûs ratio tenuis debet esse, & moderatè refrigerans, si periculum adsit inflammationis & febris: vitet ager vinum & actum Venereum, nimias q; animi commotiones, studeat q; quieti. Remedia universalia sunt phlebotomia & purgatio, quibus inest virtus impediendi fluxionem, quæ q; mutatura erit temperamentum affectæ partis. Venæ sectio necessaria est, nisi forte jam antè plus satis sanguinis è vulnere exiverit, vel si ob magnitudinem læsionis, aut naturam partis saucia evidens periculum fuerit inflammationis, convulsionis, febris, doloris, vigiliarum & delirationis, sicut fit in vulneribus junctura rum, tendinum, nervorum, dummodò ætas aut vires non adversentur. Purgationi locus est inprimis, cùm corpus plenum est pravis humoribus refertum, vel, etiamsi tale non sit, si vulnus sit in capite, vel ventre, vel junctu ris: vel si adeò amplum sit, ut necesse habeat suturâ: debet tamen purgatio esse clemens & benigna, quòd verendum sit, ne motis & percalefactis viribus, sequatur fluxio & inflammatio. Topica hoc loco requisita, sunt agglutinantia, à Græcis συνθετικὰ dicta, sed sunt mediocriter desiccantia & adstringentia, ut non solùm id, quo hiat, jungere ac continere, sed & affluxionem humorum aliaq; accidentia impedire, atq; hoc pacto membrum in sua sanitate & temperatura conservare possint.

Secundus scopus.

Venæ sectio.

Purgatio.

NO-

NOTÆ.

CONSERVATUR SUBSTANTIA.] Amplectuntur ſe labia vulneris, ubi eà conjuncta fuerint, uniuntque ſe beneficio Naturæ, ſicut anteà fuerant; ſi quis conſervet tueaturque ſubſtantiam læſæ partis ſanam. Hoc verò ut obtineatur, neceſſe eſt, ut æger obſervet bonam victûs rationem, utaturque remediis univerſalibus & topicis convenientibus.

Ratio victûs vulneratorum.

BONO ORDINE VIVENDI.] Utetur igitur cibis levis nutrimenti, & aliquantùm refrigerantibus, donec extrametum ſupervenientium accidentium ſit conſtitutus æger. Non multum comedet, inprimis ſi ſit plethoricus, abſtinebit à carne ſalita & condità aromatibus. Vinum non bibet, inprimis ſi ſit temperamenti bilioſi aut ſanguinei: hujus loco utetur aquâ hordeaceâ, ptiſanâ, aut ſaccharato. Abſtinebit etiam ab uſu Venereo, iracundiâ, aliis animi paſſionibus, fugiet labores & exercitia corporis: quies enim, ut Celſus ait, optimum eſt vulnerato remedium.

Cur neceſſaria venæ ſectio?

NECESSARIA EST PHLEBOTOMIA.] Requiritur venæ ſectio, ad cõſervandam bonã diſpoſitionem corporis ſive partis affectæ, niſi ſatis ſanguinis per ipſum vulnus effluxerit. Nam (ſicut teſtatur Galenus *lib. 4. Meth.*) utile eſt in omni recenti vulnere, niſi ſit in ventre, ut continuò ſanguis effluat, plus minúsve, ut plaga & vicinæ partes minùs afficiantur aut tententur inflammatione. Cùm igitur Medicus debeat imitari Naturam, ſi quando è vulnere ſatis effluxit ſanguinis, ſupplendus eſt defectus iſte phlebotomiâ. Hoc tamen inprimis neceſſarium eſt in corporibus plethoricis, inque vulneribus magnis, ubi periculum eſt affluxûs, & metuitur dolor, delirium & inquietudo, ut ferè fit in junctûris, tendinibus & nervis.

Utilitas purgationis in vulneribus:

PURGATIONI LOCUS EST.] Si ventrem habeat æger conſtipatum, oportet exhibere ſuppoſitoria vel clyſterem emollientem, vel porrigendum eſt ei, quod ore ſumat, medicamentum laxativum, quale eſt caſsia. Quòd ſi verò corpus ſit cacochymum, aut vulnus nimis magnum ſit, etiamſi nulla adſit cacochymia, levibus iſtis remediis contenti eſſe non poſſumus, ſi Hippocrati credimus, ejusque interpreti Galeno, ſed oportet ut utamur purgantibus efficacioribus. Hippocrates enim *in lib. de Ulcerib.* & poſt eum Galenus defendunt hanc ſententiam, purgationem fortem utilem eſſe in vulneribus capitis, & ventris tàm inferioris, quàm ſupe-

teſtibus Hippocrate & Galeno.

perioris, in vulneratis junctu ris, iisque; in quibus opus est futurâ, vel etiam ligaturâ. Constat autem, purgantia, quibus illi tunc utuntur, longe fortiora esse, quàm sit callia, manna, rhabarbarum, & alia id genus medicamenta, quæ nos nunc habemus: quibus tamen potius utendum est quàm nimis violentis, ob metum hæmorrhagiæ, inflammationis & febris.

SUNT AGGLUTINANTIA.] Hæc medicamenta à Græcis vocantur κολλητικὰ, quasi dicas *glutinatoria*, tenentq; medium inter sarcotica & epulotica, deficcantque magis etiam quàm sarcotica, nempè ad secundum usque gradum. Igitur siccitate suâ & adstringendi vi, sine ulla detersione colliguńt rursusque jungunt partes distantes & separatas, in quo opem ferunt Naturæ, quæ prima est & quasi sola operatrix, tàm in regenerandâ carne & cute, quàm in conglutinandò. Agglutinantia simplicia, quibus inest vis retinendi juxtim jam unita vulneris labia, & impediendi fluxionem, sunt, *thus, aloë, myrrha, sarcocolla, bolus Armena, terra Lemnia, sanguis draconis, terebinthina, gummi elemi, plantago, cauda equina, consolida major, millefolium, quinquefolium, janicula, piloſella, verbena, caſſula major, ebulus, vinum auſterum, farina volatilis, &c.* Græci vocant ἐναίματτα, quòd eorum quoque usus sit in vulneribus sanguinolentis & recentibus, non obstante, quòd impediant fluxiones, quę circumjacentibus partibus accidunt. Pulvilli serviunt etiam ad suaviter sustinendas & restringendas vulnerum labia jam conjuncta, adque conservandum calorem naturalem partis sauciæ, impediuntque simul, ne membrum vulneratum nimis prematur à fascis ligatoriis. Fiebant hi olim è plumis intra duos panniculos albos insutis, ut Guido ait; nostro verò ævo fiunt è gossypio, lanâ, cannabi benè pexâ, aliquando è spongia, sæpius è panno duplicato. Imponitur ejusmodi pulvillus unus, duo vel plures, modò sicci, modò madefacti liquore aliquo, putà vino, oxycrato, oleo, albumine ovi, cerato molli, aut simili quopiam. *Medicamenta agglutinantia simplicia.*

V.

In vulnere compoſito auferenda eſt diſpoſitio contra naturam, quæ coitionem impedire poſſit, antequàm tentetur coadunatio partium diſſidentium. Si igitur feſtuca, quæ vulnus fecit, in eo manſerit, vel aliud aliquid De cura vulneris compoſiti.

simul intraverit, exempli gratiâ linteolum, pars panni, pilus, vel si quid in ipso vulnere à læsione genitum, velut sanguis concretus, caro laverata, fragmentum ossis, vel simile quippiam, quod impediat reunionem, id primùm omnium extrahendum est. Pariter si adsit intemperies, inflammatio, febris, aut alia ægritudo complicata cum ipso vulnere, quæ retardet sanationem, necesse est, ut ei rei afferatur medicina, antequàm ad unionem vulneris accedatur, aliàs enim non coibit. Inprimis si vulnus secutum fuerit perniciosum aliquod symptoma, velut sunt, immanis dolor, delirium, insomnia, convulsio, paralysis, syncope, ibi omittenda est ipsa propria vulneris cura, ut subveniatur his accidentibus. Deniq; opus est, cùm pus abundanter exoritur, ut id priùs detergatur, quàm incarnetur ulcus.

Gravia symptomata curanda.

ANNOTATIO.

Vulnus compositum (ut apparet ex secunda regula diagnostica) id dicitur, cui alix indispositiones implicatæ sunt, quibus non remotis sanatio obtineri nequit. Vides, quàm necessarium sit, ut in verâ ejusmodi vulnerâ curandi methodo priùs auferatur mala dispositio complicata vulneri, antequàm ad illius coalitionem veniatur. Idem sentiendum est, si causa, quæ vulnus fecit, intùs remanserit, sicut in omni alio morbo, ubi causa efficiens adhuc conjuncta est cum illo, hinc ordienda est cura, ut do. et Galenus *cap. 4. lib. 4. Meth.* Quòd si non sufficiat sustulisse causam, quæ divitè continuum, putà lignum vel rem similem; sed & illam causam, sine cujus remotione vulnus coire non potest, velut omnis res extranea in vulnus ingressa, aut in eo nata, ne. esse est, ut hûc quoque applicetur animus. Præterea, si quis morbus conjunctus sit cum vulnere, qui hujus curam impediat, necesse est, ut is priùs curetur. Idem intelligimus de gravibus accidentibus læsionem comitantibus, quibus sine ulla dilatione afferenda sunt remedia, deinde demùm accedendum ad vulneris labiorum consolidationem.

VI.

Festuca vel pars baculi è vulnere extrahenda est, & si quid extranei inest, vel manu, vel ferramento, vel medicamento, & per eundem quidem locum, per quem ingressum est tale aliquid, nisi nimis profundè infixum sit, nisi ibi sit vas aliquod magnum & locus nervosus, vel os oppositum, & nisi transierit per nervos, venas, & arterias, & per illud latus, per quod meditatum fuit exitum, si satius est reverti, quàm pergere ulteriùs, nisi adsit os, nervus, vel vas aliquod magni momenti, quod impediat contrariam apertionem. Ut autem festuca, vel quicquid sit, eò facilius extrahatur, collocandum est corpus vulnerati ita, ut eundem habeat situm, quem habuit tunc, cùm reciperet vulnus.

Quibus mediis auferēda causa.

ANNOTATIO.

Baculorum varia sunt genera, pro diversitate materiæ, figuræ & magnitudinis. Sunt enim è ferro, ære, plumbo, stanno, lapide, ligno; sunt ossei, vel cornei. Sunt prætereà longi, lati, rotundi, acuti, figuræ inæqualis. Nonnulli sunt magni, alii parvi. Hi ut dextrè extrahantur, sciendum est omne id, quod pertinet ad naturam partium vulneratarum, putà, earum substantiam, temperamentum, figuram, situm, connexionem, usus, actiones, robur & dignitatem. Si tale aliquid tàm profundè hæreat in corpore, ut digitis comprehendi non possit, extrahatur volsellis vel tenaculis dentatis, rectis sive incurvis, quibus instrumentis apud alias atque alias Gentes varia sunt nomina. Inveniuntur & medicamenta, quibus extrahendi res in vulneribus infixas facultas inest, cujus generis sunt, aristolochia, dictamnus Creticus, anagallis, ammoniacum cum melle, caput lacertæ tritum & applicatum. Quòd si bacillus tàm profundè fuerit infixus & occultatus, ut inveniri nullo pacto possit, neque sine grandi noxa extrahi, propter partes vicinas, relinquendus est in vulnere, donec eum Natura suâ sponte expellat.

Quid baculi *nomine intelligatur.*

Medicamenta attrahentia.

VII.

Morbis deindè cum ipso vulnere complicatis indi-

Quomodo profligandi morbi & accidentia.

cendum est bellum, & profliganda accidentia, quæ id comitantur, ope contrariorum: velut intemperies calida per refrigerantia: dolor per mitigantia: phlegmone, erysipelas, febris, insomnia, delirium, convulsio, paralysis, syncope, per remedia universalia & topica repugnantia eorum causæ & essentiæ: deindè purgãda materia purulenta per mundificantia.

NOTÆ.

Intemperies calida. INTEMPERIES CALIDA.] Resistimus Intemperiei calidæ, simplici quidem & sine fluxione, applicatis rosis, plantagine, unguento albo Rhasis, aliisque similibus remediis, quæ siccando simul moderate refrigerant.

Dolor. DOLOR.] Dolorem sedabit oleum rosatum & de myrtillis, albumine ovi admixto, vel etiam cum vitello. Si acriter urserit necessitas, uteris oleo papaverino cum pauxillo opii, vel alio Narcotico.

Phlegmone. PHLEGMONE.] Si Phlegmone, vel Erysipelas, vel alius aliquis tumor contra naturam supervenerit parti sauciæ, medemur ei nunc quidem per sectionem venæ aut purgationem, aliàs verò per repercutientia, resolventia, aliáve topica, quæ videbuntur esse usui.

Febris. FEBRIS.] Febrem curamus per phlebotomiam, purgationem, alimenta & medicamenta frigida, sumpto indicio à magnitudine morbi, viribus languentis, temperamento, ejus ætate, more atque consuetudine, tempestate anni, dispositione temporis & ratione victûs.

Insomnia. INSOMNIA.] Somnum provocamus, auferendo dolorem, inflammationem, febrem, unde oriebantur vigiliæ: usu etiam hordei mundati, & lacte amygdalarum dulcium, addito semine papaveris.

Delirium. DELIRIUM.] Si delirium à dolore ortum supervenerit, aut nimia hæmorrhagia, mitigatur dolor per anodyna: usus rationis amissus restituitur alimentis convenientibus, medicamentis corroborantibus caput & sensus, partim ore sumptis, partim foris applicatis. Si verò deliratio ab inflammatione & febri profecta fuerit, repellendi sunt fumi à cerebro, applicato oxyrrhodino, retrahendi ligaturis atq; frictionibus partium extremarum, nec non per clysteres acres.

Convulsio. CONVULSIO.] Convulsio est retractio coacta nervorum,

rum, & per consequens musculorum versus suam originem, adveniens vel primario, vel per consensum. Quæ primario evenit, oritur vel ab inanitione, vel repletione. *Convulsio orta ab inanitione & siccitate*, qualis subortiri solet post nimios sudores, vomitum continuum, fluxum ventris, profluvium sanguinis, famen diuturnam, curas & vigilias immoderatas, labores, motus vehementes, ardentes febres, superpurgationes; hæc inquam convulsio, si confirmata fuerit, erit incurabilis. Cùm verò incipit adhuc, & si periculo non caret, (inprimis si eam comitetur febris) molliendа est cura ejus oleo vel hydrelæo, balneisque è decoctione capitis & pedum vervecinorum, vitulorum, agnorum, caprarum, radicum bismalvæ, foliorum malvę & similium, additâ tertiâ vel quartâ parte olei. A balneo inungatur collum, tota spina dorsi, scapulæ, juncturæ & capita musculorum, oleo communi, violaceo, amygdalarum dulcium, adipe gallinaceo & canino, admixtis, si febris adfuerit, refrigerantibus. Si verò *convulsio ex repletione orta* fuerit, velut cùm tumor, qui vulneri supervenerat, semel ac simul evanescit, vel cùm nullus apparet tumor in vulneribus malignis, evacuanda erit abundantia humoris è toto corpore per venæ sectionem vel convenientem purgationem, æque partibus corporis, inprimis è capite, gargarismis, errhinis, apophlegmatismis, clysteribus acribus, aliisq; similibus remediis: fricandæ insuper inungendæque sunt partes convulsæ, collum, spina dorsi, juncturæ, axillæ, inguina, oleo liliorum, costi, vulpino, laurino, nardino, de ruta, euphorbio, castoreo Philosophorum & similibus oleis, superimpositâ lanâ succinâ. Balnea de oleis, & laconica ficca multùm hic prosunt, ut & subfumigationes, quia confortant partes nervosas. *Convulsio facta per consensum* ob qualemcunque compunctionem nervorum, unde dolor communicatur ipsi cerebro, vel ob morsum alicujus bestiæ, inprimis venenatæ, vel ob extremi frigoris passionem, quæ penitùs adversatur vulneribus nervosis, vel ob vaporem aliquem putredine noxium ascendentem ad cerebrum, cujus formidine id se comprimit & in sese retrahitur, & per consequens attrahit omnes nervos & musculos totius corporis, velut evenire videmus in Epilepticis; hæc inquam convulsio cùm curanda nobis venit, utimur remediis causæ ejus adversantibus. Exempli gratiâ: si proveniat *à punctione aliqua nervorum*, applicare oportet medicamenta propria, cujusmodi est oleum terebinth.

Ex inanitione.

Ejus cura.

Convulsio ex repletione.

Ejus cura.

Convulsio per consensum.

Cura convulsionis à punctura nervi orta.

& euphorbii, mixtum utrumque cum aqua vitæ; inprimis autem ſedandus eſt dolor per anodyna. Si quod venenum impreſſum fuerit, extrahendum id eſt ventoſis, cucurbitulis, ſuctionibus, & imponendum medicamentum aliquod attractivum, vel alexipharmacum, quale eſt theriaca, vel cauterium. Si *ab ingenti frigore* provocatum fuerit malum, recalfaciendа eſt paulatim pars affecta linimentis calidis, & inungendum caput, collum, ſpina dorſi, juncturæ, axillæ & inguina oleo liliorum vel chamæmeli. Si nihil omninò quicquam profecerit, abſcindendus eſt nervus vel muſculus ſaucius per transverſum. Hîc notandum eſt, convulſionem eſſe univerſalem, cùm illa pertingit ad originem nervorum; particularem verò eſſe, cùm ſolæ partes ægrè ſe retrahunt, ita ut ſenſus ille ad cerebrum non pertineat.

Cura convulſionis à frigore profecta.

Quid ſit Paralyſis.

PARALYSIS.] Nihil aliud eſt Paralyſis, quàm relaxatio alterius laterum, vel unius duntaxat partis corporis; quæ accidit, quando ſpiritus animalis fiſtitur & impeditur, ne deſcendere poſſit & penetrare ad partem affectam, ob ſolutionem continui, vel obſtructionem viarum: quæ tunc accidit, cùm pars aliqua inciſa eſt, aut quaſſata ictu aliquo, vel lapſu, vel cùm conſtricta eſt ligaturâ quâpiam, frigore violento, inflammatione partium vicinarum, ſcirrho, aut luxatâ vertebrâ vel fracto oſſe. Poteſt etiam evenire à cauſa interna, velut à craſſo & glutinoſo humore, qui oppilat nervos. Quapropter ſi accepto vulnere aliquo ſequatur Paralyſis, factâ evacuatione totius corporis per ſectionem venæ aut purgationem, & per utrumque, ſi neceſſe ſit, ceſſante quoque afluxu humorum, applicandæ ſunt parti affectæ, & nervis, unde malum ortum eſt, res ejusmodi, quæ corroborant ſimul ac calefaciunt nervos; cujusmodi eſt oleum nardinum, de coſto, de nuce myriſtica, de vermibus, de vulpe, caſtoreo, hyperico: vel ſanè imponendum eſt emplaſtrum compoſitum de baccis lauri, cortice thuris, ſtyrace calamita, myrrha, ſabina, nuce cupreſſi, radicibus acori, alumine, croco, maſtiche, nigella, & aliis ſimilibus. Guido & Tagaultus utuntur liquore diſtillato, deſcripto per Petrum Aponenſem *in additionibus ad Meſuen*, ſuadentq; eo uti in hac ægritudine, quia ſit remedium admirabile. Confectio autem ejus talis eſt. ℞. *Myrrha elect. aloës hepat. ſpic. nardi, ſang. drac. thuris, mumiæ, opobalſ. carpobalſ. bdellii, ammoniac. ſarcocoll. croci, maſtich. gumm. Arab. ſtyrac. liquid.* aã ʒ ij. *ladani elect. caſtor.* aã ʒ ij ß. *moſchi* ʒ ß.

Cura Paralyſeos.

℥ß. *terebinth. opt.* ad pondus omnium: pulverisanda pulverisentur, & omnia misceantur cum terebinthina, reponanturque in deistillatorio, quod Alembicum vocant, & ingeniosè ac lento igne, ut decet, destillentur: liquorem autem per destillationem sublimatum vase vitreo forti excipe. Hic liquor proximè accedit ad verum succum balsami. Guido Gauliacus quandoque huic pretioso liquori addebat herbas dicatas Paralysi, & tunc generosius atque efficacius multò experiebatur auxilium.

SYNCOPE.] Syncope est subitanea privatio virium, quorum essentia sita est in spiritu & temperamento corporum solidorum. Supervenit Syncope vulneribus communiter ob grandem hæmorrhagiam, unde fit magna jactura spirituum permixtorum sanguini, vel si æger horrescat ad conspectum sanguinis sui, vel alia de causa ubi metuat, unde spiritus se subitò retrahunt magnâ abundantiâ ad cor, & id suffocant, adeò ut cesset motus illius, & sic per consequens cæteræ ejus functiones. Accidit etiam nonnunquam Syncope ob putrem aliquem vaporem atque venenosum, adscendentem per arterias usq; ad cor, & per nervos ad cerebrum. Evenit etiã ex nimiis vigiliis, labore, gravibus passionibus animi, jejunio, omniq; evacuatione inmoderatâ, interdum etiam ab enormi dolore. Prælagia futuræ Syncopes sunt, quando æger pallescit, erumpente sudore frigido, neque amplius sentitur pulsus aut motus arteriarum, ubi mox homo in terram prolabitur, sine sensu & motu ullo, frigescente mox toto corpore. Multi qui in Syncopen incidunt, nisi eis opportunè subveniatur, moriuntur. Ad ferendam igitur illis opem, primò adspergenda est facies eorum frigida, ipsique supini collocandi sunt in terra vel lectulo, exhibendusque panis vino permadefactus, ut sugant. Quòd si Syncope eveniat ab aliquo vapore putredinoso, bonum erit, ut sumeret æger cochleare unum aquæ vitæ, in qua dissolutum fuerit paululum theriacæ vel mithridatici, utque ad nares ejus odoris gratiã admoveretur acetum rosatum, vel alius aliquis odor aromaticus, fricanda etiam sunt extrema, vellicandi pili in temporibus, ut & auriculæ & nasus. Si postremò dolor Syncopes causa fuerit, quærenda est illius causæ origo atque auferenda.

Quid sit Syncope, & unde oriatur.

Signa futurae Syncopes.

Cura Syncopes in paroxysmo.

MUNDIFICANTIA.] Medicamenta mundificantia, quæ Græci appellant ἐυκλωτικὰ, sunt, quæ continuitate substantiæ, cum qua conjungitur siccitas, purgant & detergent ulcus

Mundificantia simplicia & exposita.

à duplici excremento, quorum crassius densiusque appellamus *sordes*, subtilius & aquosius vocatur à nobis *sanies*, à Græcis ἰχώρ. Sunt autem hæc medicamenta duûm generum; *simplicia*, vel *composita*. Simplicia sunt vel *amara*, vel *dulcia*, vel *acida*. Ea, quibus *sapor amarus* ineſt, hæc ferè ſunt; gentiana, ariſtolochia, iris, enula campana, ſcylla, ſerpentaria, centaurium minus, abſynthium, marrubium, hypericum, abrotanum, apium, chelidonium, ruta, hyſſopus, ſabioſa, artemiſia, agrimonia, fumaria, hedera terreſtris, amygdala amara, faba, terebinthina, myrrha, maſtiche, aloë, ſagapenum, galbanum, ammoniacum, fel animalium, ſtercus caprinum, urina benè cocta, æs uſtum, ærugo, antimonium, calx, chalcitis, alumen.

Amara.

Dulcia. *Dulcia* ſunt, viola, roſa, ficus pingues, dactyli, uvæ paſſæ, glycyrrhiza, aqua hordei, mel, ſaccharum, ſerum lactis, thus, &c.

Acida. *Acida* ſunt, oxalis, acetum, & cætera acida. *Compoſita* ſunt, ſyrupus de abſynthio, de fumaria, de marrubio, de eupatorio, de artemiſia, ſyrupus acetoſus, oleum de vitellis ovorum, oleum terebinthinę, oleum de tartaro, mundificativum de apio, unguentum Apoſtolorum, &c.

LIX.

Quomodo curãda vulnera cæſim facta.

Si vulnus cæſim illatum fuerit, (modò non ſit nimis magnum) bonum fuerit impedire ſuppurationem, applicando medicamentum aliquod deſiccans ſine mordendi vi, quod Græci vocant ἀνακμαῖον, ad conglutinandum & rurſus uniendum partes diſjunctas, eásq; ab inflammatione præſervare. Si verò plaga contuſa fuerit, proveniens à baculo aliquo obtuſo, vel à caſu, vel alliſione ad corpus aliquod ſolidum & durum, quamprimùm fieri poteſt, ſtudendum, ne nimis vexetur ab inflammatione, ſuppuranda eſt caro contuſa medicamentis peptici, & expurgandum pus mundificantibus, ut regeneretur deindè nova caro adhibitis incarnantibus, & poſtremò ad cicatricem perducatur vulnus Epuloticis. Neceſſarium autem cumprimis eſt, ut impediatur fluxio per remedia revulſiva, topica ſedantia dolorem, aliaq; me-

media. Si vulnus factum sit morsu animalis, inprimis venenati, antequam progrediantur ad glutinationem ejus, extrahendum erit venenum per fuctiones, ventosas, medicamenta attrahentia, cauteria, & alios modos: exhibenda insuper ægro Alexipharmaca, movendi sudores & urina, coërcendus à somno, & purgandus; &, si venenum se spargat per totum corpus, secanda statim vena.

NOTÆ.

SI VULNUS CÆSIM.] Hippocrates *lib. de Ulcerib.* ait, omne Vulnus ab instrumento secante vel incidente factum, opus habere medicamento agglutinante & desiccante, quodque impediat suppurationem; si verò adsit caro quædam contusa & secta, curam ita instituendam, ut quamprimùm veniat ad suppurationem, sic enim minùs vexabitur ab inflammatione, nec minùs esse necessarium, ut carnes contusæ & mortificatæ lividæque putrefiant, inque pus convertantur, ac ita liquescant, ut deindè nova caro generari possit. Sic quoque, *secundum Hippocratem*, tractandum erit vulnus cæsim illatum multò aliter, quàm id, quod obtuso baculo, vel casu, vel allisione ad corpus aliquod durum solidumque factum fuerit: quòd in superiore illo impedienda sit suppuratio, in hoc verò necessariò maturanda; quódque in illo non nisi una sola sit judicatio perveniendi ad unionem, in hoc verò duæ, nempè suppuratio & generatio novæ carnis. Cúmque Vulnera contusione facta obnoxia valdè sint receptioni fluxionum, impediendæ hæ sunt per venæ sectiones, purgationes, ventosas, ligaturas, frictiones, si applicentur circa contusionem repercutientia, quale est oleum rosatum, oleum myrtillorum, unguentum de bolo Armena, oxyrrhodinum, ungendo partes contusas oleo chamæmeli, liliorum, vel alio mitigativo dolorem. Cúmque omni studio annitendum sit, ut, quamprimùm fieri potest, suppurentur partes contusæ, applicanda erunt cataplasmata suppurantia parti affectæ: in ipsum verò vulnus immittendum digestivum, factum ex vitellis ovorum & terebinthina. Vulnere jam suppurato, detergitur illud melle rosato, mundificativo de apio, unguento Apostolorum. Expurgatum ad hunc modum re-

Differentia vulnerũ à diversa causa.

pletur carne, applicatis medicamentis incarnantibus, mediante peniculo chirurgico, qui in singulos dies minuitur. Postremò cùm locus jam carne plenus est, inducitur cicatrix. Accidit sæpè contusioni ecchymosis, (sicut benè observavit Galenus *lib.*4.*Meth.cap.*1.) quæ est effusio sanguinis subter cutem. Cura ejus in hoc consistit, ut evacuetur sanguis effusus extra vasa sua, perficiturque impositis medicamentis calefacientibus & moderatè desiccantibus.

Cura morsûs venenatorum.

SI VULNUS FACTUM SIT A' MORSU ANIMALIS.] Galenus *cap.*6.*lib.*3.*Meth.* ait, dolorem provenientem à punctu vel morsu animalis mitigari solere duobus modis, evacuando venenum, & alterando id, quod facit dolorem: evacuari autem venenum per medicamenta attrahentia, cucurbitulas, suctiones, cauteria actualia & potentialia: id quod creat dolorem, dicit alterari usu remediorum contrariorum, qualia sunt refrigerantia, quando æger magnum sentit calorem in ea parte, ubi factus est morsus, vel per totum corpus; & calefacientium, cùm contrà ingens sentitur frigus. Aëtius *cap.*10.*tractatûs lib.*6. censet, si vulnus sit parvum, lavandum id primò esse oxycrato calido, deindè venenum suctione extrahendum atque expuendum. Ille verò, qui exsugit, (inquit Paulus *cap.*2.*lib.*5.) non debet esse jejunus, neque os habere aliquo modo ulceratum, sed id eluere vino, & intùs continere parum olei. Ventosæ quoque & cucurbitulæ percommodè applicantur morsibus tàm magnis, quàm parvis, scarificatâ leviter parte saucià & vicinis. Optimum erit, statim post usum cucurbitularum, ad melius extrahendum venenum, imponere vulneri parva animalcula dilaniata & discerpta, adhuc calentia, qualia sunt parvi catelli, pulli gallinacei, hœduli, agnelli, porcelli. Præterea est urenda (aliquando etiam penitùs abscindenda) pars saucia, si bestia, quæ momordit, sit lethifera, quales sunt viperæ & aspides. Cineres ficulnei de sarmentis & caulibus, dissoluti in aceto, impositique morsui, non parùm prosunt. Bonus est & sal, & muria, allium cum melle, acetum calidum, in quo nepta cocta fuerit. Theriaca mirificam hîc vim habet, applicata in forma emplastri, inque poculento exhibita ad roborandum cor.

Suctiones in plagis venenatis.

Cura morsûs venenati.

IX.

Vulnus simplex in parte carnosa.

Vulnus factum in parte carnosa, si nihil de substantiâ deperditum sit, non opus habet alio remedio, quàm

ut reuniatur & conjungatur per ligaturam, vel futuram, vel alias operationes chirurgicas, itemq; per medicamenta agglutinantia, quæ labra juxtim continent, conservantq; membrum in sanitate, & præservant id à gravibus accidentibus. Ad quod autem accessit perditio substantiæ carnosæ, tunc ad reparationem præterea necesse est, ut priùs repleatur carne, quam Natura producit bono sanguine generando, adjuta tamen medicamentis sarcoticis, quæ moderatè exsiccant liquidius excrementum, undè vulnus humidum redditur, digeritq; crassius, quod ibi sordescit: deindè, ut ad cicatricem perducatur epuloticis, quæ valdè desiccant adstringuntq;, ad aufaciendam humiditatem carnis, quò reddatur durior, densa, callosa & similis cuti.

NOTÆ.

Quomodo reuniatur vulnus simplex.

ULCUS FACTUM IN PARTE.] Finis sive scopus curationis vulneris simplicis in parte carnosa, est, ut reduniatur, (inquit Galenus *cap.*10. *lib.*3. *Meth.*) quod fit per operationem Naturæ, adjuvante tamen Chirurgo, qui conjungit labia ejus, eaque ita conjuncta aptâ ligaturâ custodit. Nostri Chirurgi consueverunt applicare vulneri ad eum modum conjuncto albumen ovi contritum & extensum super stuppas molliores, ut servent vulnus ab inflammatione, & intemperie calida, fluxu sanguinis & dolore. Si verò vulnus tàm magnum fuerit in carne, ut labia ejus ligaturâ conjungi non possint, reducenda sunt & colligenda futurâ, vel fibulâ, (ut præcipit Galenus) non tamen arripienda sunt in continenti, ob metum, ne vulnus exasperetur ampliùs. Chirurgi juniores inspergunt vulneri pulverem rubeum, quem nominant Incarnativum, qui fit è duabus partibus thuris, & unâ sanguinis draconis, quibus nonnulli adjungunt tres partes calcis vivæ, alii tantum boli Armenæ. Vel concutiendo miscent dictum pulverem cum albumine ovi, applicantes vulneri partem unam extensam super molle linteolum, alteram super molles stuppas, quibus ita impositis obligant affectam partem ex arte, injunctis priùs partibus vicinis vulneri oleo rosato; neq;

hunc

hunc apparatum mutant ante quartum diem, nisi grave aliquod accidens superveniens eos aliter facere cogat. Quod si eo temporis spacio vulnus invicem se non amplectatur, lavant id vino adstringenti calido, imponuntque stuppas eodem vino madefactas; posset quoque addi unguentum præparatum de pulvere rubeo & terebinthina lota. Galenus utebatur emplastro nigro ad vulnera sanguinolenta & late dissecta, in cujus operibus multa alia genera medicamentorum, quæ similem pollicentur effectum, similiter etiam plura apud Hollerium invenies.

Quomodo perdita substantia reparanda sit.

UBI VERO PERDITIO SUBSTANTIÆ FACTA EST.] In vulnere cum perditione substantiæ carnis conjuncto, veluti cum particula carnis ablata est, duæ res se offerunt Chirurgo, ut Galenus docet *cap.* 1. *lib.* 4. *Meth.* nempè conjunctio & reparatio similis substantiæ in locum deperditæ: quod etiam obtinetur beneficio Naturæ, bonum sanguinem in quantitate & qualitate generantis, neque tamen sine auxilio Chirurgi, qui desiccat & absterget utrumque excrementum, liquidius clariusque, quod appellamus *saniem*, & crassius, quod dicimus *pus* & *sordes*, unde vulnus humidum fit & impurum, adhibitis medicamentis sarcoticis, & postquàm vulnus repletum est carne, epuloticis, ad inducendam cicatricem.

Quomodo caro regeneretur.

MEDICAMENTA SARCOTICA.] Quæ medicamenta Græci vocant σαρκωλικὰ, nos *incarnativa*, sunt ea, quæ suppeditant Naturæ bonam materiam, ad regenerandam carnem in ulcere concavo, mundificando & desiccando moderatè, ita, ne nimis calefiat vulnus. Sic fit, ut medicamenta sarcotica non regenerent carnem, nisi per accidens, quòd sine erosione exsiccant & mundificat excrementa impedientia operationem Naturæ. Operatur igitur in regeneratione carnis propriè sola Natura, estq; illius causa efficiens principalis: sanguis, unde fit caro, est causa materialis: medicamentum obtinet locum causæ adjuvantis vel coëfficientis. Detersione enim & desiccatione mediocri, sine magno calore, aufert omne impedimentum Natura, præparatque materiam, ut prompte in sanguinem converti possit. Tale medicamentum (ut Galenus monet 5. *simplic.*) debet esse siccum in primo duntaxat gradu, ne consumat sanguinem, qui alit nutritque partem vulneratam: quod intelligendum est in corpore molli & temperato. Si enim ulcus sit nimis humidum,

Limitatio sententiæ Galeni de sarcoticis.

dum, aut corpus durum, non ſufficiet ſolum medicamentum ſiccum in primo gradu, ſed uſque ad ſecundum & tertium. Vides cauſam; ob quam variandæ ſint ſarcoticæ ſecundum temperamentum totius corporis & partis ægræ. Sarcotica enim, nimis & minus deſiccantia, relinquunt ulcus ſordidum: hæc, quia non ſatis conſumunt humiditatem excrementitiam; illa, ob acrimoniam, quæ provocat fluxionem. Diligens igitur eſt habenda ratio temperamenti corporis & partis, in electione illorum medicamentorum. Sunt autem *medicamenta ſarcotica* vel *ſimplicia*, vel *compoſita*; benigna & dulcia; vel fortia & acria. *Simplicia* ſunt, thus, aloë, myrrha, terebinthina, reſina pini, ſarcocolla, farina fœnugræci, orobi, lupini, ervi, ariſtolochia, iris, ſymphytum, hypericum, betonica, ſanicula, omnesque adeò herbæ, quibus ineſt virtus conglutinandi novella vulnera, & detergendi ſuaviter ulcera ſordida: quæ cùm legitimo modo mixta ſunt, fiunt ſarcotica. *Compoſita* ſunt, oleum hypericonis, olea, quæ baſſami nomine appellantur, tetrapharmacum, unguentum aureum, emplaſtrum divinum, gratia Dei.

Differentiæ medicamentorum ſarcoticorum.

Simplicia.

Compoſita.

EPULOTICA.] Medicamenta, quæ Græci appellant ἐπουλωτικὰ, i.e. cicatricem inducentia, ſunt, quæ ſiccitate ſuâ & adſtrictione, ſine aliqua morſicatione, & abſque calore deſiccante, conſtipant denſantque carnem in ſubſtantiam callosam, accedentem ad naturam cutis, quam nos appellamus cicatricem. Hæc non minùs, quàm ipſa caro, eſt opus Naturæ, adjutum duntaxat à Chirurgo, qui non tantùm fluentes conſumit humiditates, ſed & humorem in ipſa carne contentum, ut eam ſimilem reddat cuti per medicamenta epulotica, quæ ſiccant, adſtringunt firmantque ita, ut inducant callositatem ſimilem cuti. Unde talia medicamenta vulgò dicuntur cicatrizantia, quia adjuvant Naturam in producenda pelle, conſumendo humiditates ſuperfluas. Hæc de cauſa magis debent eſſe deſiccantia, quàm ſarcotica ſunt. *Epulotica* vel ſunt *ſimplicia*, vel *compoſita*. *Simplicia* ſunt, terra Armenia, Lemnia, lithargyros, ceruſſa, malicorium, balauſtiũ, gallæ, myrthus, lapis hæmatites, calaminaris, ſpodium, pompholyx lota, ſcoria ferri, plumbum uſtum, antimonium, vitriolum, alumen uſtum, calx viva, æris ſquama, æs uſtum. *Compoſita* ſunt, unguentum diapompholygos, album Rhaſis, deſiccativum rubrum, emplaſtrum de ceruſſa, diapalma, diachalciteos. Utimur autem cicatrizantibus non uno modo:

Quæ ſint medicamenta Epulotica.

Epulotica ſimplicia.

Compoſita.

quæ-

quædam enim in pulverem rediguntur; applicantur aliâ in forma emplastri valdè tenacis; alia itidem in forma unguenti, de quibus omnibus vide Hollerium *cap. 4. lib. 2. de Materia Chirurgica.*

X.

Ratio sistêndi sanguinem.

Si quæ vena aut arteria majoris momenti incisa fuerit, ante omnia est sistendus sanguis, deindè glutinandum vulnus. Sistitur autem sanguis profluens, dum modicè refrigeratur corpus & pars saucia, si elevetur & à dolore præservetur, factâ diversione fluxûs sanguinei aliò, putà, cùm ad partes contrarias retrahitur, per sectionem venæ, ventosas, frictiones, ligaturas. Præterea obturando & claudendo aperturam: quod fit, si labia vulneris conducantur unianturq́, vel manibus, ligaturâ, futurâ, applicatis medicamentis stipticis, emplastris escharoticis & refrigerantibus, ut ita retentus sanguis intùs concrescat. Ad glutinandum autem vulnus venæ, medicamenta debent esse magis desiccantia, quàm quæ ad reparationem carnis adhibentur; & humidiora quoque, quàm ad arterias, cùm vena siccior sit carne & mollior arteriâ.

NOTÆ.

Cura vulnerũ in venis & arteriis.

SI QUÆ VENA AUT ARTERIA.] Postquàm locutus sum de cura vulnerum, quæ accidunt partibus carnosis, ratio exigit, ut, secutus Galenum, explicem rationem curandi ea, quæ accidunt venis & arteriis notabilioribus. Cùm autem ea semper cum hæmorrhagia conjuncta sint, & quia, secundùm quintum canonem therapeuticum hujus tractatûs, quando grave aliquod accidens supervenions vulnus comitatur, huic priùs remedia applicanda sunt, antequàm ad curam ejus accedatur, omninò necessarium est, ut sistatur sanguinis fluxus, priusquàm adspiremus ad sanandam solutionem continui; quia, nisi sanguis claudatur sistatúrve, sine dubio afferet mortem, quia sanguis est thesaurus Naturæ, ut *in Prognostico* diximus.

AN-

ANTE OMNIA EST SISTENDUS SANGUIS.] Galenus *lib.5.Meth.cap.3.&* 5. reducit materiam curandi fluxum ſanguinis ad duo principalia puncta; nempè, ut impediatur curſus ejus, & claudatur apertura: quia, quamdiu ſanguis cum impetu fluat, & vaſa manſerint aperta, citiùs morietur ſaucius, quàm fluxus ſanguinis per ſe ſubſiſteret. Ait autem, impediri curſum ejus, divertendo aliò, vel revellendo ad partes contrarias, vel derivando ad vicinas per venæ ſectionem, cucurbitulas, frictiones & ligaturas, & frigefaciendo totum corpus ipſamque partem ægram; elevando eam & à dolore præſervando: claudi verò oſtium comprimendo vel obturando diviſionem: claudi (inquam) conductis compoſitisq; labiis beneficio digitorum, vel aptâ ligaturâ ductâ verſùs radicem vaſis, vel applicato medicamento refrigerante & adſtringente. Ait idem Galenus, obturari interiùs vi ſanguinis concreti, (ipſe vocat thrombum) vel exteriùs cum penicullis, medicamentis emplaſticis, vel eſcharoticis, vel poſtremò igne. Guido, ſecutus Avicennam, ait, hæmorrhagiam ſiſti tribus modis; primò, per *remedia, quæ divertunt fluxionem, tàm beneficio revulſionis, quàm derivationis:* ſecundò, per *refrænantia, quæ intercludunt viam fluxioni:* tertiò, per *topica.* Inter *remedia, quæ diverſionem faciunt*; quædam id præſtant *ſine evacuatione*, veluti ſunt, cucurbitulæ ſiccæ, frictiones, ligaturæ, factæ primò in partibus vicinioribus, deindè in remotioribus; quædam *cum evacuatione*, ut venæ ſectio in parte, quæ directè reſpondet hæmorrhagiæ, velut ſurſum & deorſum, à dextra in ſiniſtram, ab interiore foràs, & ab exteriore intùs. Inter *refrænantia* quædam habent *vim incraſſandi*, ut lenticula, oriza, jujubæ, omneſque alii fructus ſtiptici & auſteri, quos illis exhibere ſolemus, qui fluxu ventris laborant; alia ſunt *ſtupefacientia*, ut aqua frigida pota & ejecta circum locum, unde venit fluxus, & adeò omnia, quæ fortiter frigefaciunt, ut in ſyncope fit, in qua, ob revocationem ſanguinis ad interiora, tota corporis habitudo frigeſcit, & per hoc medium ſanguis ſiſtitur. *Remedia topica*, propria ad ſiſtendum ſanguinem, (quanquàm Avicenna octo faciat) poſſunt reduci ad quinque: quorum primum eſt *ſutura:* ſecundum *applicatio penicullorum:* tertium *abſciſſio totius vaſis fluentis ſanguine:* quartum *ligatura:* quintum, *ut fiat eſchara ardente ferramento, vel medicamentis caſticis.* Primus modus ſiſtendi ſanguinem per ſuturam factus, proprius eſt vul-

Hæc omnia ſunt ex Avicenna.

ne-

nerum, in quibus nulla perditio ſanguinis facta eſt. Secunda ratio per peniculos ſive turundas convenit illis, in quibus aliquid de ſubſtantia deperditum eſt. Tertia præcipuè locum habet in venis ſitis in profundo, quæ ubi penitùs per transverſum abſciſſæ ſunt, utrinque ſe retrahunt, obtegiturque utraque extremitas, ubi ſectio facta eſt cárne & cute, quæ circum eſt, ut non amplius exeat ſanguis. Quarta conveniențior eſt ad arterias, quæ in profundo latent, quarum fluxum ſanguineum ſi quis alio modo cohibere non poſſit, detegendæ eæ ſunt, uncinuloque protrahendæ, & filo ſerico firmiter colligandæ. Quintus modus per aduſtionem factus, propriè facit ad vaſa aperta per eroſionem: qua de cauſa utile eſt applicare cauteria actualia vel medicamenta cauſtica, quibus ineſt vis ſtyptica cum calore, cujusmodi eſt chalcanthum, ſive vitriolum, & arſenicum ſublimatum, ut profunda fiat eſchara, quæ ut celeriter decidat, non eſt laborandum, ne renovetur fluxus ſanguinis. Superioribus hisce adjungit Guido multa alia præcepta ſanè bona, quæ obſervanda ſunt in curâ hæmorrhagiæ. *Primum* deſumpſit ex Galeno 5. *Method.* qui præcipit in omni fluxu ſanguinis proveniente ex vulnere, ut ſtatim digitus imponatur orificio venæ, & hæc prematur ſuaviter ac ſine dolore, donec generetur thrombus, i.e. concreti ſanguinis maſſula, quo ipſo prohibetur, ne ulteriùs effluat. *Secundum* præceptum Guidonis eſt, ut in omni fluxu ſanguinis, ubi inſperſus eſt pulvis reſtringens in vulnus, applicentur deſuper duo vel tres pulvilli è linteolis, intinctis primò in oxycrato, deindè inducto reſtrictivo. *Tertium* è Galeno deſumptum eſt, qui jubet ligari vulnus faſciâ lineâ, ita, ut à principio quater vel quinquies leniter circumducatur circum vas fluens, ad firmandam venam, quæ ſtillat ſanguine, & repellendum ſanguinem jam affluentem. *Quartum* & ipſum eſt Galeni, qui conſulit, ut membrum, à quo prodit ſanguis, eo ſitu collocetur, ut ſurſum vergat, ſed ut ne ſentiat dolorem; cùm conſtet, ſi pendeat deorſum, aut dolorem ſentiat, non ſolùm fluxum ſanguinis non ſubſiſtere, ſed & excitari, ſi nullus anteà adeſſet accedente inſuper vel augeſcente inflammatione. Et *quintum* eſt ex Galeno depromptum, mandante, ne prima obligatio ante tertium diem removeatur, &, ſi mutatio facienda ſit, ut faſciæ & opercula prudenter auferantur. *Sextum* eſt Avicennæ, qui conſulit, ut æger oculos habeat clauſos, ſitque in loco ob-

Guidonis præcepta de ſiſtendo ſanguine.

obſcuro, ne poſſit videre ſuum ipſius cruorem, neque ullam rem rubicundi coloris: perſuadendum inſuper ei eſſe, jam conſtitiſſe fluxum, ut quamvis adhuc fluat, id ei non futurum inſalubre, ut vel ſic confortetur virtus naturalis contrariâ imaginatione. *Poſtremò* recitat idem Guido tria genera medicamentorum comprimentium ſanguinem, quorum *primum* eſt ex Galeno 5. *Meth.* paraturque ex una parte thuris, & dimidiâ parte aloës, maceratis in albumine ovi, additis pilis leporinis benè comminutis. *Secundum* eſt ex Avicenna, & componitur ex æqualibus partibus boli Armenæ, ſanguinis draconis, thuris & aloës, pulveriſatis omnibus & miſtis cum albumine ovi, additis pilis leporinis. *Tertium* eſt Brunonis, qui id deſumpſit ex Rhaſi & Albucaſi, fitq; ex partibus æqualibus calcis vivæ, ſanguinis draconis, gypſi, aloës, thuris, omnibus in pulverem redactis, cum albumine ovi, additis pilis leporinis & telâ aranearum. *Medicamenta reſtringentia.*

AD GLUTINANDUM, AUTEM VULNUS VENÆ.] Subſiſtente fluxu ſanguinis, ſtatim veniendum eſt ad curam vulneris. Hoc ut coëat, eadem adhibentur medicamenta, quæ ſuperiùs diximus convenire glutinandæ carni, ſic tamen, ut ſemper habeatur ratio temperamenti. Nam, ſicut ait Galenus 5. *Meth. cap.* 7. cùm vena magis ſit ſicca quàm caro, & melior quàm arteria, quamvis arteria difficiliùs curetur quàm vena, tamen non multum differentiæ eſt, quod ad uſum medicamentorum, quæ ſunt propè unius modi, præterquàm quòd in quantitate aliquid obſervatur diſcriminis. *Medicamenta ad vulnera venarum & arteriarum.*

XI.

Si nervus aliquis ſit ſauciatus, neceſſe eſt, ut utamur medicamentis ſubtilium partium, quæ moderatè calefaciant, & fortiter deſiccent, ſine tamen morſicatione & potentiâ attrahendi. Si nervus punctim læſus ſit, faciendæ eſt inciſio cutis, ut amplior efficiatur aditus vulneris, ut ſatis apertum retineri poſſit: omnibus autem modis mitigandus eſt dolor, & obviandum inflammationi, quæ proxima eſt convulſioni. Et ubi nervus apertus in conſpicuo fuerit, non ſunt applicanda medica- Cura vulnerati nervi.

menta tàm fortia, quàm si in occulto latéret, propter exquisitum illius sensum.

NOTÆ.

SI NERVUS ALIQUIS SIT SAUCIATUS.] Galenus 6. *Meth. cap.* 2. ait, in cura nervorum vulneratorum requiri medicamenta, quæ moderatè calefaciant & deficcent fortiter, neque tamen excitent dolorem, quæque sint subtilium partium, & habeant virtutem attrahendi. Qua de causa ipse utitur terebinthinâ intùs in vulnere, eáque omninò solâ apud eos, quibus est caro delicata; aliis verò, qui duriores sunt, jungit euphorbium, & propolidem, & sagapenum, & opopanacem cum terebinthina, addito oleo aliquo subtili. Probat etiam sulphur vivum non calculosum & calcem lotam.

Medicamenta in nervis vulneratis.

SI NERVUS PUNCTIM LÆSUS SIT.] Vulnera nervorum, secundùm communem praxin antiquorum Medicorum, non debent propriè agglutinari, secundùm generalem intentionem solutionis continui; sed potiùs, si sunt nimis angusta, ut sunt punctura, præcipiunt, ut fiant ampliora per incisionem factam desuper, utque longo tempore ita hiare sive patére sinant, ut sanies exire possit, medicinæ verò ingredi. Gloriatur tamen Pareus, tractâsse se non semel vulnera nervorum multò aliter, recitatque duas historias: priorem narrat de quodam Procuratore in Curia Ecclesiastica, cui Galli Gallinacei nomen fuerit, qui cùm fortè chartas suas plenâ volâ colligeret, impegerit imprudens manui suæ cultellum pennarium, qui mucrone totum manum perforaverit: secundum exemplum narrat de quodam vicino suo, qui cùm frustum carnis bubulæ vellet infigere peracuto veru, trajecerit cum impetu veru per mediam manûs volam: & se tamen utramq; sanaviſſe ait, conglutinato è vestigio vulnere, impositò in prima obligatione de balsamo suo satis calido, sine turunda ulla & defensivo circumposito, illos tamè celeriter fuisse persanatos, immunes ab omni graviore accidenti. Neque tamen ipse suadet junioribus Chirurgis, ut temerè idem facere conentur, quia multa possent ipsis suboriri inconvenientia. Tutius igitur erit sequi Galenum, Æginetam, Guidonem, cæterosque omnes, qui feliciter Chirurgiam fecerunt, suadentque cuncti uno ore, ut in compunctione nervorum aperiatur cutis, ad diducendum ostium vulneris, idq; diù tenere apertum, antequàm glutinetur, ut sanies facilius ef-

Pareipraxis suspecta.

effluere possit, medicamenta autem profundiùs penetrent, ad siccandam humiditatem, quæ à nervi prodit substantia.

OMNIBUS MODIS MITIGANDUS EST DOLOR.] Galenus 6. *Meth. cap.* 2. evincit, necessarium esse, cùm nervus compunctus sit, ut ob exquisitum ejus sensum oriatur dolor multò major, quàm in omnibus cæteris partibus, & hinc inflammatio, quam sequatur convulsio, nisi statim idoneum apponatur remedium: hac igitur de causa ante omnia sollicite dandam operam, ut mitigetur dolor, impediatur generatio phlegmones, & obviàm eatur convulsioni. Potest autem hoc obtineri, *primò*, si æger levem victûs observet rationem, collocatus in lecto molli, eo, quo convenit, situ. *Secundò*, ut fiat subtractio materiæ antecedentis per remedia evacuantia, quia metuendum sit, ne propter dolorem statim affluat ad partem vulneratam: sic suadente Galeno, qui totum corpus jubet evacuari per sectionem venę, si id venę permittant, quanquàm æger plethoricus non sit, quia id magnitudo mali & vehementia doloris requirit. Si corpus sit cacochymum, jubet purgari. *Tertiò*, ut topicis attrahentibus & mitigantibus simul locus detur, ad extrahendam foràs saniem, sedandumq; dolorem per eadem media. Ad hanc intentionem utitur in ipso vulnere his medicamentis. ℞. *Ol. terebinth.* ℥ j. *aq. vitæ* ℥ j. *euphorb.* ℥ ß. Vel ex *Ol. hyperic. sambuc. de euphorb.* aã ℥ j. *sulph. vivi subtil. pulveris.* ℥ ß. *gumm. ammon. bdellii* aã ℥ ij. *aceti opt.* ℥ ij. *verm. terrest. præpar.* ℥ j. bulliant omnia simul usq; ad consumptionem aceti. Vel ℞. *Galbanum. picem cras. opopan.* liquefiant omnia in aqua vitæ & aceto forti, deindè admisceatur axungia porci, anseris, gallinæ, caponis, ursi, pars olei veteris, olei liliorum, & alia similia remedia, quæ tamen variare debent pro magnitudine læsionis, & temperie ac habitudine corporis. Præterea calidè fovenda est pars saucia bis vel ter in die oleo Sabinæ calido, vel oleo veteri, vel de ruta, anetho, aliòve diaphoretico, non verò oleo rosato vel myrtino, aut alio adstringenti, impositâ etiam lanâ molli cum sevo in plagam. Quòd si his mediis conquiescere dolor non voluerit, sed forte magis augeatur, videaturque pars inflammari, & labia vulneris tumescere, fluente sanie serosâ, subtili & virulentâ; ibi suadet Pareus applicare oleum prorsus fervens, cum linteolo circumvoluto specillo, & ita tangere fundum & parietes vulneris ter quatérve. Hæc species cauterii (ait is) sedabit dolorem è vestigio, quia adustis ner-

vo, tendine aut membranâ aufertur ſenſus, & per conſequens dolor; quod etiam in magnis doloribus concavorum dentium; ſi quis profundas radices eorum poſſit tangere candenti ferro, vel oleo vitrioli rectificato, vel aquâ vitæ; hoc enim celeriter facit ceſſare dolorem aduſto nervo, qui ſe inſerit dictis radicibus dentis. Quòd ſi ne ſic quidem remittat dolor, ſed perſeveret, & jam incipiant retrahi nervi & ſupervenire ſpaſmus, ut eger periculum mortis adeat, in tàm gravi caſu utile erit, nervum ſive tendinem omninò per medium diſſecare, (quo facto quæq; pars ad ſuum locum ſe retrahet) ne ampliùs motus ſit contractionis. Verum quidem eſt, ita perdi actionem, ſed ſatius eſt hanc amitti, quàm ipſam vitam. Si porrò accidat, ut pars affecta vexetur inflammatione, imponendum eſt ei Cataplaſma, factum ex his farinę ſpeciebus, de hordeo, fabis, orobo, coctis in lixivio & ſyrupo acetoſo, vel in aceto, non vero in farina triticea, neque aliis rebus, quę putreſcunt. Si nervi putreſcere incipiant, utile erit Cataplaſma è farina hordei & ervi, coctũ in lixivio & aceto mellito. Hûc quoque facit Emplaſtrum compoſitum de euphorbio, cerâ & colophoniâ, vel cerâ, reſinâ, terebinthinâ, pice & euphorbio. His tamen omnibus ut dextrè & commodè uti poſſimus, exacta ratio habenda eſt temperamenti & mollitiei corporis. Obviàm etiam eundum convulſioni vicinæ, fomentando caput, collum, ſpinam dorſi, axillas & inguina oleo liliorum prorſus calido, vel oleo laurino, de coſto, vel ſimili aliquo.

Ad ſedandos dolores dentium.

Nervorum vulnera inter ſe differunt.

SI NERVUS APERTUS IN CONSPICUO FUERIT. Differunt vulnera nervorum non tantùm in curatione à cæteris vulneribus, ſed & inter ſe ipſa. Etſi enim omnia medicamenta, quę extrahunt & profundo, & arefaciunt humiditatem ſaniemque, proprie conveniant læſis nervis; illa tamen, quæ applicantur punctum illatis vulneribus, & ubi nervi nudati non ſunt, debent eſſe multo ſubtiliora & magis deſiccantia, ſine tamen morſu, ut eò melius ad fundum penetrare poſſint & ſic attrahere atque deſiccare humorem & ſaniem, quæ eſt vel circum ſubſtantiam nervorum, vel in ea. Contrà quando nervi ſunt aperti, ob exquiſitum eorum ſenſum cavendum eſt, ne nimis fortia medicamenta applicentur; hæc enim geminatura eſſent dolorem, & adductura gravia accidentia: ſufficit igitur uti medicamentis clementibus, & quę exſiccant ſine ulla acrimonia, cujuſmodi eſt calx lo-

lota, in pauxillo olei diſſoluta. Sed & medicamentum de pompholyge, diſſolutum in copioſo oleo roſato non ſalſo, utile hîc eſt. Præſtat & hoc. ℞. *Terebinth. Venet. in aq. roſ. lot.* ʒ ij. *boli Armen. ireos Florent.* añ ʒ ij incorporentur ſimul. Affirmat Pareus, multùm hûc facere balſamum ſuum, cujus confectio hæc eſt. ℞. *Terebinth. Venet.* ℔ ß. *gumm. elemi* ʒ iij. *ol. hyperic.* ʒ iij. *boli Armen. ſang. draccon.* añ ʒ j. *aq. vitæ* ʒ ij. inquefiant omnia ſimul lento igne, & hæc balſamum, addendo *pulveris ireos Florent. aloes, maſtic. myrrhæ* añ ʒ j. Commendatur & hoc non parùm. ℞. *Ol. roſat. omphac.* ʒ j ß. *de terebinth.* ʒ iij. *ſucc. plantag.* ʒ ß. *ſem. hyperic. aliquantuliſum contriti* M. ß. *tutiæ præparatæ* ʒ iij. *calcis decies lotæ cum aq. plantag.* ʒ ij. *antimonii* ʒ j. *ſevi hircini & vitulini* añ ʒ v. *vermium terreſtrium lotorum cum vino* ʒ j ß. bulliant omnia ſimul, dempta *tutiâ*, *in cyatho decoctionis hordei, uſq; ad conſumptionem aquæ & vini*: colentur, rurſusque igni admoveantur, addendo *tutiam*, & fiat Linimentum *cum cera alba & croci* ʒ ß. Hoc Linimentum mitigat dolorem, & creſcere facit carnem ſuper nervos denudatos. Vidi ipſe aliquoties, patrem meum uti balſamo præſtantiſſimo in punctionibus, aliiſq; læſionibus, & putredine nervorum, ut & in omnibus vulneribus putridis, quia habet vim mundificandi, deſiccandi, attrahendi, & malum rectificandi, quem balſamum ita præparabat. Accipe *centaurei pilo contuſi* ʒ ij ß. *marrubii contriti* ʒ ß. macerentur aliquandiu in oleo olivæ, fac deindè ut bulliant parum, & ſtatim fiat colatura, colaturæ adde *olei de hyperico* ʒ j. *olei vermium* ʒ ß. tantum *olei nardini, terebinthinæ Venetæ* ʒ j ß. *myrrhæ benè pulveriſatæ* ʒ ß. tantum *galbani & ammoniaci in aceto diſſolutorum*; præterea *chalcanthi* ʒ j. *aruginis pulveriſatæ* ʒ ß. *ſucci plantaginis* ʒ ij. bulliant omnia lente ſuper calidos cineres, vel ponantur in Sole per plures dies, exprime deindè per linteum vel cilicium, & ad opportunos uſus reſerva. Poſtremò, ut concludamus ex doctrina Galeni, ſi nervus fuerit compunctus, incidenda eſt cutis, ad amplius faciendum vulneris oſtium, quod apertum habendum eſt, applicatis medicamentis ſubtilium partium, quæ ſine magno dolore attrahunt è profundo, validéque deſiccant, ita tamen, ne dolorem excitent. Quòd ſi nervus cæſim & ſecundùm longitudinem vulneratus fuerit, & cutis taliter inciſa, ut nervus omninò nudus appareat, abſtinendum eſt ab omnibus remediis acribus, propter exquiſitum ervi ſenſum; utendum

Balſamus Parei.

Balſamus Auctoris.

Recapitulatio ſuperiorum omnium.

verò deficcantibus sine morsu. Quòd si nervus transversim sauciatus sit, proderunt eadem medicamenta, quæ incisioni secundùm longitudinem factæ adhibentur, excepto, quòd quia plus periculi est ob convulsionem, quandò inflammatio communicatur à fibris sectis etiam integris, tunc exactior præscribenda est victûs ratio, extrahendusque sanguis majore quantitate, & diligentiùs obviandum convulsioni. Denique, si nervus omninò abscessus fuerit, nihil quidem tale ampliùs metuendum est, pars tamen affecta debilis & manca futura est. Curationis tunc est eadem ratio, quæ in aliis vulneribus. Nervi contusi, quando cutis quassata & incisa est, querunt medicamenta deficcantia, & quę retrahant firmentque suaviter partes disjunctas; quale est, quod fit de oxymelite & farina fabacea, quod etiam dolorem sedabit, si quis admisceat picem liquidam, omnia simul benè coquendo; deficcabit præterea, si admiscueris farinam de orobo & iridem Illyricam. Nostri Chirurgi applicant ab initio oleum rosatum cum albumine ovi; deindè fomentant vulnus vino tepido. Si verò nervi quassati sint, illæsâ tamen cute, imponitur illis oleum quoddam omninò calidum, quod vim habeat resolvendi, quale est oleum chamomillæ, iridis, rutæ, ita ut semper habeatur ratio totius corporis.

Cura nervorum contusorum.

XII.

Cura ligamentorũ & tendinum.

Ad tendines (sive, ut vocant, tendones) vulneratos adhibentur medicamenta aliquantùm fortiora, quàm ad sauvios nervos, quia cùm participent de natura ligamenti, minùs sunt, quàm hi, similares. Ligamenta, quæ maximâ ex parte prodeunt ab osse ad os, sustinere facilè possunt vim remediorum fortiorum, quàm nervi & tendines, tàm ideò, quia non sentiunt, quàm quòd porriguntur usq; ad cerebrum. Possunt igitur deficcari, per quæcunq; volueris medicamenta, sine offensione.

NOTÆ.

AD TENDINES.] Tendinibus vulneratis (constant autem è subst antia mixta è nervis & ligamentis) eadem convenit cura, quæ nervis; ita tamen, ut medicamenta, Galeno suasore, paulò sint fortiora, sumpto judicio à natura partis. Quoniam enim participant de natura ligamenti, virtus sensiti-

sitiva propè sopita est, unde & sustinere possunt medicamenta fortiora & sicciora.

LIGAMENTA, QUÆ PRODEUNT.] Habent ligamenta affinitatem aliquam cum nervis & tendinibus, quia alba sunt, exsanguia, sine cavitate, & in fila separari possunt: quâ similitudine non obstante, curantur tres illæ partes sauciæ per diversa medicamenta. Quia enim ligamenta pleraque prodeunt ab osse ad os, facilè perferunt vim remediorum fortiorum, (ut Galenus ait) quòd destituantur sensu, neque usque ad cerebrum porrigantur; ut hac de causa possint desiccari, quibuscunque aliquis uti voluerit remediis, sine eorum offensione. Quod ea ligamenta attinet, quæ se insinuant in musculum aliquem, sicuti hæc minùs subjecta sunt periculis, quàm tendines & nervi, ita magis possunt perturbare Chirurgum, nisi rectè & ordine perçurentur.

XIII.

Ad vulnera junctur arum facit usus medicamentorum, quibus inest virtus adstringendi & roborandi: quo ipso quoq; dolor etiam sedandus est, impediendiq; humores, ne ad partem affectam fluant. Oportet etiam benè desiccare & detergere materiam glareosam, quæ consueto more prodit, & satis quidem abundanter. Cavendum autem est, ne applicentur medicamenta emollientia, humectantia & oleaginosa, quibus neq; intùs utendum, neq; foris, quia relaxant substantiam musculorum, nervorum & membranarum, reddunt q; eas partes idoneas ad recipiendam fluxionem, undè vulnus humidius fit sordidiusq;, & per consequens majorem consolidandi exhibet molestiam. Præterea, quieta cõtinenda est pars affecta, & ab omni frigore præmunienda.

Cura vulnerum factorum in junctur is.

NOTÆ.

AD VULNERA JUNCTURARUM.] Quando quidem vulnera juncturarum aliquid peculiare habent, præter id, quod in vulneribus nervorum, tendinum & ligamentorum dictum est, ideò constituì illorum curam figillatim pertractare. Primùm igitur, cùm vulnera juncturarum maximè

Singularitas in vulneribus.

doleant, & obnoxia ſint inflammationibus, prima cura erit Chirurgo, ut mitiget dolorem, impediatque affluxum humoris. Hoc ut obtineat, præſcribenda eſt ægro victûs ratio refrigerans, & potio vulneraria, præparata *ex radicibus & foliis ſymphyti, ſanicula, bugloſſæ, plantaginis, conſolidæ minoris*: fac bulliant ſimul in aqua, addito parvillo *aceti & ſacchari*, quam bibet bis in die, donec erit extra periculum inflammationis & febris. Deindè det operam, ut ſubtrahatur & evacuetur materia antecedens per venæ ſectionem & purgationem. His factis ungatur pars *diapalmâ*, diſſolutâ *in oleo roſato*, ita, ut non applicetur ipſi vulneri, ſed partibus circumvicinis. Cataplaſma *de arnogloſſo, de plantagine, violaria, hippolapatho, & micapanis atri cocti in oxycrato, deindè contriti, & tribro transmiſſi*, vel aliud quodpiam, quod habeat virtutem adſtringendi, ſiccandi & roborandi juncturas. Interea, dum hæc fiunt, ſedandus ſubindè dolor, avertendique humores, ne affluant ad partem ægram, per hoc aut ſimile. R. *Furfur. macri, farin. hordeac. fabar.* añ ℥ iiij. *flor. chamæmeli, melilot.* añ M. j ß. *terebinth.* ℥ ij. *mell. communis* ℥ ij. *ol. myrrh.* ℥ j. *oxymel. ſimpl. vel oxycrati, vel lixivii* q. ſ. fiat Cataplaſma ad formam pultis. Vel accipe *fæces vini, furfures triticeos, pulveremè corticejunioris quercûs, gallas, terebinthinam*, ex quibus omnibus fiat Cataplaſma. Quod ſi non amplius metuenda fuerit inflammatio, neque febris, omittendus eſt uſus Cataplaſmatis de *arnogloſſo*, aliorumque ſimilium, quorum loco circumponi debent pulvilli madefacti in vino, in quo bullierint *ſalviæ, agrimoniæ, abſynthium, centaurii, marrubium, & ſimiles herbæ*. Sic & aqua ardens è fœce vini extracta cum ſalvia, agrimonia, abſynthio, centaurio, & marrubio, quæ proprie hûc facit, tàm ut pulvilli in eam intingantur, quàm abluatur vulnus: poterunt eâdem & imbui linteola duplicata, quæ imponuntur vulneri. Neceſſe præterea eſt, ut muretur potio vulneraria in deficcantem & abſtergentem, ex agrimonia, betonica, quinquefolio, bugloſſa, ſanicula, piloſella, geranio, aliisque ſimilis potentiæ herbis, decoctis in aqua, vino albo & melle, adjunctâ inſuper ſalsâ parillâ, ad fortius exſiccandum.

1. *Sedandus dolor.*

2. *Evacuanda materia.*

3. *Topica adhibenda.*

BENE DESICCARE ET ABSTERGERE MATERIAM GLAREOSAM.] Notandum eſt, ex vulneribus junctûrarum prodire varia excrementa, inprimis humiditatem glareoſam, mucilaginoſam, aliquando etiam liquidam, qui humor eſt, unde junctûræ nutriuntur. Quævis enim pars ha-

habet ſuum balſamum naturalem ad ſui nutritionem & conſervationem, qui tunc, cùm pars illa inciſa eſt, effluit; ſicut videmus fieri, cùm amputamus vites, effluere humorem quendam: & hic eſt ille humor, unde generatur callus in fracturis oſſium. Vides rationem, cur impoſitis jam per aliquod tempus in ipſum vulnus terebinthinâ cum oleo rotato, ad id ſuppurandum & ſedandum dolorem, poſteà utendum ſit medicamentis fortiter deſiccantibus, quale hoc eſt, quæ frequenter ſolebat uti pater quondam meus in hujusmodi vulneribus. Sume folia marrubii, centaurii, & agrimoniæ, ſiccata, cujusque herbæ pugillum unum, tantum etiam foliorum ſymphyti: tunde omnia in mortario, & miſce in vaſe terreo cum ſelquipocilo optimæ aquæ vitæ, factæ cum ſalvia & betonica, ſine ut macerentur omnia ſimul per viginti-quatuor horas. Exprime deindè, & in colaturam illam immitte ℔ j. oprimi meliis, cum vino albo purificati, indè ʒ j. æruginis pulveriſatæ, & tantum aluminis, fac ut bulliant, admoto parvo igni, in æneo cacabo, uſque ad decoctionem & bonam conſiſtentiam: ad extremum adde pulverem ireos Florentinæ, ariſtolochiæ, colophonii, myrrhæ añ ʒ ij. Hoc medicamentum ſingulares vires habet ad deſiccandum & mundificandum, nec minùs ad incarnandum vulnera junctarum, ubi oſſa ſecta inciſa ve ſunt, quia & ea præſervat ab apoſtematibus & putredine, conſumitque materiam glareoſam indè prodeuntem. Eſtque neceſſarium, quando tales materiæ nimia ſunt viſcoſæ & adhærentes, ut purgentur ſpecillo, & ſi ibi generentur carnes calloſæ ſuper oſſa, ut rumpantur unguibus vel ferramento, quòd hæ poſſint impedire vel hebetare virtutem medicamentorum.

Balſamus naturalis junctarum.

Medicamenta deſiccans & mundans vulnera junctarum.

CAVENDUM EST, NE APPLICENTUR EMOLLIENTIA, HUMECTANTIA ET OLEAGINOSA.] Hæc talia medicamenta ne circum quidem vulnus imponenda ſunt, quia relaxando partem, illam aptam faciunt ad recipiendas fluxiones: multò minùs in ipſum vulnus, quòd id reddant ſordidum humidumq;, proliciantque materiam glareoſam, undè generatur caro ſpumoſa & calloſa in oſſe, unde ad extremum alteratur os, & naſcuntur circum id apoſtemata, cum aliis non parvis noxiis accidentibus.

A quibus medicamentis abſtinendum.

QUIETA ETIAM CONTINENDA EST PARS AFFECTA.] Et hæc cura incumbit Chirurgo, ut bono ac conveniente ſitu collocet membrum, in quo junctura vulnerata

De ſituatione membri ſaucii.

est; utque id quietum contineat, donec vulnus incipiat consolidari, tunc demùm sursum deorsumque movendum est, sed per intervalla; quia metuendum est, ne membrum maneat rigidum, retractum vel curvum, factâ cicatrice. Si vulnus est in junctura cubiti, vel in genu, vel digitis manuum, vel in carpo, collocandum est membrum in media figura, i.e. non omninò rectâ, neque plicatâ, quia si id semiflexum sit, factâ curatione facilius restitui poterit, quàm si omninò directum vel nimis flexum fuisset.

Vitandum frigus. PRÆMUNIENDA A' FRIGORE.] Inprimis evitandum est frigus, si junctura vulneratæ sunt, quòd id prorsus contrarium sit plagis, vulneribus ulceribusque, inprimis partium nervosarum. Videmus enim plures homines saucios mori hyemis tempore, etiam ob parva vulnera, quàm moriantur æstate ob quantumvis magna. Causa est, quòd in partibus ulceratis (teste Hippocrate) frigus sit mordax, induret cutim, gignat dolorem, reddatque vulnera intolerabilia, extincto vel saltèm imminuto calore naturali, qui facit suppurationem, quódque generet livorem, febres, convulsiones & tensiones. Adde, quòd humiditas, quæ à vulneratis junctûris prodit, cùm sit glareosa & veluti congelata, satis clarè ostendat, (inquit Pareus) adesse frigus nō modicum, quod extremum causatur dolorem. Hic ut mitigetur, simulque intemperies frigida corrigatur, debent applicari res calefacientes, non tantùm potentialiter, sed & actualiter; cujusmodi sunt, vesica bubula vel porcina, semiplena decoctione resolutivâ: vel lateres cocti percalefacti, inque vino extincti, juxta junctûram positi: hic enim calor etiam actualis, naturam adjuvat in concoquendo, digerendo & resolvendo humore in parte contento, quam & corroborat. *NB.* Ut autem ea, quæ in hac materia de recta & convenienti cura vulnerum in junctûris diximus, meliùs ac dilucidiùs explicemus, non pigebit tria vel quatuor exempla adducere memorabilis curæ, quam vidi adolescens facere patrem meum, secundùm hanc methodum. *Prima historia.* Anno à nato Bono publico M.D.LXXII. accidit in Ribemontio oppido, ut juvenis quidam, nomine Johannes Furnerius, natus annos circiter triginta, reciperet ictum gladii latioris in cubitum, quo abscissa fuit tota epiphysis & apophysis utriusque ossis junctûræ, quia habuerat brachium plicatum, cùm percuteretur, adeò ut vulnus esset tres digitos latum, & ultra sex pollices longum. Vocatus pater meus,

ut

ut ſatteium curaret, cùm primò abſtuliſſet teſtulam quandam oſſis elevati, impoſuit vulneri terebinthinam cum oleo roſato, ſeptem continuis diebus, ut ad ſuppurationem perduceret, & mitigaret dolorem. Brachio circumpoſuit Cataplaſma de arnoglosſo, ad impediendam fluxionem, calorem & dolorem. Id Cataplaſma poſuit circum vulnus, non in ipſam plagam, ne nimis humectaretur & impediretur ſuppuratio. Interim non omiſit præſcribere ægro bonam victûs rationem, tendentem & refrigerantem & humectantem, cum potione vulneraria de ſymphyto, bugloſſa, ſanicula, conſolida minore, & plantagine acuta, coctis in aqua, addito pauxillo aceti & ſacchari, ut obviàm iret inflammationi & febri. Mox, cùm vulnus jam inciperet ſuppurari, cœpit imponere vulneri medicamentum ſuum forte deſiccativum & mundificativum, cujus compoſitionem ſuperiùs deſcripſi, ad impediendam generationem materiæ glareoſæ, quæ de more ſupervenire ſolet; ipſi verò malo circumpoſuit compreſſas madefactas vino, in quo coxerat ſalviam, abſynthium, marrubium, centaurium & agrimoniam. Imponebat & aliquando linteola conduplicata & madefacta aquâ vitæ deſtillatâ per majorem canalem, è fœcibus vini optimi cum ſalvia, marrubio, abſynthio & agrimonia. Hac aquâ lavabat etiam vulnus, impoſitis pulvillis eâdem permadefactis. Conſtituto jam ægro extra metum inflammationis & febris, mutabat potionem vulnerariam in deſiccantem & abſtergentem, paratam cum agrimonia, betonica, quinque-folio, geranio, piloſella, bugloſſa, ſanicula & ſalſa-parilla, elixis in aqua, vino albo & melle. Hunc potum præbebat ægro veſperi & manè, vitro plenè ſemel; & ſic factum eſt, ut vulneratus, auxilio Numinis, per horum remediorum uſum intra quintum menſem convaluerit, ut brachium neque manſerit rigidum, neque fuerit incurvatum. *Secunda.* Anno ſequenti curavit eodem modo alium juvenem, nomine Sebaſtianum, natum haud procul à Guiſio oppido, qui receperat ictum gravem gladii per mediam junctûram cubiti, ut mucro enſis ad quatuor digitos in ipſum cubitum penetraverit. Aliquantum temporis poſt vidi curari alium apud Guiſam oppidum, cùmque tunc puer ſcholaſticus eſſem, deſcripſi hiſtoriam illam Latinis verbis ad hunc modum. *Tertia ab ipſo Auctore deſcripta.* Memorabilis hiſtoria vulneris transverſim accepti, in articulo cubiti, Johannis Pratenſis Guiſiani, trigeſimum-ſextum annum agentis, per quod extrema

pars

pars apophyseos & epiphyseos abscissa est, ad medium junc-turæ usque. Quoniam ejusmodi vulnera valdè obnoxia sunt inflammationibus, gravibusque doloribus, primò intra vulnus impositum est medicamentum, ex terebinthina cum oleo rosaceo confectum, ad suppurationem mollien-dam, & ad dolorem sedandum, ad quintum vel sextum diem usque. Et linimentum ex emplastro palmeo cum oleo rosato diluto circa partem vulneratam applicatum, & supra emplastrum de arnoglosso. Postea verò curatio processit cum detergente medicamento, ex melle cum iuciis betonicæ, marrubii, centaurii, & rosarum cocto, cui alumen, terebinthina, & parvum aquæ fortis addita sunt. Hoc certè medicamentum (ut à patre didici) ad ejusmodi vulnera præstantissimum est, quia valdè detergit & desiccat, & glareosa excrementa, ne erumpant, impedit, ac putredinem, quæ illi consequi solet, arcet, atque apostemata, ne accedant, prohibet, estque amicum nervis. Primis verò diebus diæta frigida ægroranti instituta est, nec non & potio vulneraria ex radice symphyti, bujulâ, lanceolâ, saniculâ, consolidâ minore, oxycrato & saccharo confecta, quotidiè matutinis ac vespertinis horis utebatur. Quin & blanda purgatio ab initio præscripta est, remollientesque clysteres deinceps, quoties alvus adstricta erat, injecti sunt. Hac methodo, Divina ope, æger ad sanitatem perductus est, intra menses tres. *Quarta.* Eâdem planè ratione usus est idem pater meus in curando cive quodam Guisiano, nomine Bernardo Quinio, qui in genu ictus fuerat. Audivi etiam aliquoties recitantem patrem meum, sanavisse se alium quendam Guisianum Anno M. D. LVIII. cui nomen Brunello fuerat, qui ictum glande plumbeâ in alterum genu receperit, penetrante glande tàm profundè, ut nullo unquàm instrumento chirurgico eam extrahere potuerit; eam verò decimo-quinto die post curatum vulnus in crassiore suræ parte apparuisse, figurâ clavi ferrei, & factâ levi incisione exivisse. *Quinta.*

XIV.

Cura vulnerum capitis.

In vulneribus capitis, si cranium fractum sit, (factâ incisione in cute musculosa usq; ad os, si apertura satis ampla non sit) terebellus est utendum, ut fragmenta & testulæ rupti cranii extrahi possint, dariq; exitus sangui-

guini ſub teſta capitis effuſo ob rupta vaſa, utq; immitti poſſint medicamenta, quibus inest facultas abſtergendi & deſiccandi pus atq; ſaniem, quæ ſub ipſo cranio generatur, & porrò meninges cerebri corrumpere atq; putredine infi cere poſſet, ipſamq; adeò illius ſubſtantiam, & ut ſuppleri poſſit ligatura reperſuſiva & defenſiva fluxionis & inflammationis. Cavendum tamen eſt omni ſtudio, ne applicetur terebra ſuper ſuturas & tempora.

NOTÆ.

IN VULNERIBUS CAPITIS.] Vulnerum capitis alia ſunt ſimplicia, alia complicata, i.e. conjuncta cum fractura cranii. Vulnera ſimplicia facilè curantur, ſi non ſint niſi ſuperficiaria & parva, ſine perditione ſubſtantiæ, imponendo eis (abraſis primò circum-circa pilis) glutinantibus ex albo ovi, bolo Armena & aloë; altero die Emplaſtrum de betonica vel gratia Dei. Quòd ſi grandiora ſint, cæſimque facta, non quidem in vertice, ſed lateribus capitis, coaduuantur labia vulneris, & juncta retinentur per ſuturam; quia conſtat, ea ligaturâ glutinante reduniri non poſſe, tàm ob rotunditatem capitis, quàm ratione cerebri in eo contenti. Quòd ſi aliquid de ſubſtantia deperditum ſit, reſtauretur per ſarcotica, adque cicatricem perducantur per epulotica. Vulnera facta per contuſionem ſuppuranda ſunt cum digeſtivo e terebinthina Veneta, vitellis ovorum, oleo roſaceo, & farinâ hordeaceâ. Deindè adhibendum eſt medicamentum aliquod mundificans, in quod non ingrediatur ullum oleum, neque ulla res pinguis aut unctuoſa: quale hoc eſt. ℞. *Terebinth. Venet.* ℥ ij. *ſyr. roſat.* ℥ j. *pulv. aloës, myrrhæ, maſtich.* aā ʒ ſ. incorporentur ſimul, fiat Unguentum. Poſtremò applicentur (ad faciendam cicatricem) pulveres de alumine uſto & corticibus malorum granatorum uſtis, ſimul mixtis. Quòd ſi vel ſignis ſenſibilibus, vel conjecturâ deprehendi poſſit fractura cranii, ſíque ea tàm ampla ſit, ut facilè educi per eam poſſit, quod ibi Naturæ adverſum continetur, immittíque remedia accommodata; vel etiam, ſi non penetret fractura uſque ad diploën, (διπλόην) Hippocrati dictam) non erit neceſſe, ut terebretur os, ad dilatandam aperturam, ſed ſatis fuerit, ut au-

Vulnera capitis ſimplicia.

Contuſione facta.

Quando locus sit terebello. auferatur, quod Naturæ adversatur. Si verò fractura parva sit, quòd per eam commodè extrahi assulæ sive testulæ rupti ossis non possint, neque exire sanguis suffusus cranio, vel elici pus aut sanies intùs genita, neq; conveniens medicamentum queat immitti, tunc necesse est, ut os fractum terebretur. *Ratio terebrandi.* Hoc ut ritè fiat, abradendi primò sunt pili, deindè incidenda cutis musculosa, & pericranium novaculâ in formam crucis decussatæ vel literæ X. si vulnus non sit satis amplum, neque os sufficienter pateat. Cavendum tamen studio est, *Usus terebelli.* nè tangantur musculi temporarii, neque commissuræ. Deindè scalpro separandum est pericranium à cranio, ne à terebello contingatur: post-hæc totum vulnus implendum est pulvillis, ut labia elevata & dilatata maneant usque in crastinum diem, imponendaq; remedia repercutientia & restringentia fluxum sanguinis: postero die, purgato rectè vulnere, aperiendum est caput terebrâ. Quale autem hoc sit instrumentum, quòd terebram (trepanam) vocamus, Chirurgis notum esse debet: Græcis dicitur ἀβάπτιστος τρυπάνη, quasi immersabilis terebra, quòd altiùs immergi non possit, neque descendere profundiùs, quàm opus est. In usu aliquantulum inungendum est oleo instrumentum hoc, ut expeditiùs vertatur & secet, & minore cum molestia, aliquando etiam tollendum inter terebrandum, frigidæq; immergendum aquæ, ne incalescat os. Æger ipse, cùm ad hujus instrumenti usum deveniendum est, rectè collocari debet, eique aures gossypio benè obturandæ sunt, ut obtundatur sonus terebelli.

Causæ, cur utamur terebellis. TEREBELLIS EST UTENDUM.] Causæ, propter quas terebro utimur, sunt quinque. *Prima* est; ut eleventur ossa, & auferantur fragmenta & testulæ fracturæ, quæ comprimunt punguntque membranas, aliquando etiam ipsam cerebri substantiam. *Secunda:* ut possimus evacuare, abstergere, & desiccare sanguinem vel saniem collectam per fracturam, ruptis vasis per utramque tabulam (diploën) sparsis, vel etiam iis, quæ affigunt duram meningem cum cranio. *Tertia:* ut detur exitus saniei, quæ gignitur in vulnere, possetq; putrefacere ossa, membranas, ipsumq; adeò cerebrum. *Quarta:* ut applicare queamus remedia vulneri & fracturæ convenientia, prout usus & necessitas exigit. *Quinta* est: ut suppleatur ligatura repercutiens & prohibens fluxionem atque inflammationem, quæ ligatura, si hîc posset accommodari, sicut in aliis membris, expelleret atque prohiberet super-

perfluitates loci affecti. Fieri autem talis ligatura in capite nullâ ratione potest, non tantùm ob figuram ejus rotundam, sed & quia vasa, putà venæ & arteriæ, quæ sub cranio sunt, occludi non possunt, sed saltèm exteriora, quæ res sine dubio dolorem pareret atque inflammationem. Adde, quòd hujusmodi ligatura compressione suâ impediret motum arteriarum, sisteretq; pariter evacuationem excrementorum fuliginosorum, quæ evaporant per commissuras capitis, si hæ nimis constringerentur. Remitteretur insuper sanguis à loco vulnerato ad membranas & cerebrum, unde procul dubio induceretur dolor, calor, febris, apostema, apoplexia, spasmus, paralysis, & per consequens ipsa mors. Hæc autem tàm dira accidentia ut evitentur, facienda est apertura cranii, cùm id confractum est.

CAVENDUM TAMEN EST.] Nunquàm committet Chirurgus, ut applicet terebram futuris, quanquàm ibi sit ruptura, ne abscindat dilaceretque fibras nervosas, venas atque arterias, quibus dura meninx suspenditur à cranio. Hanc ob causam relinquenda est futura integra, & terebrandum utrumque illius latus. Si enim operatio ista in uno tantùm fieret latere commissuræ, sanguis aliæque materiæ inutiles non possent perfectè evacuari, quia intercedit crassa sive dura meninx. Neque terebræ locus esse potest in temporibus, propter musculum temporalem, ut obviàm eatur gravi illi accidenti, cujus mentionem facit Hippocrates, quòd, si quis sectionem faciat in musculo dextro vel sinistro temporis, superveniat spasmus alterius lateris. Adde his, quòd moveatur musculus ille, dum manducamus & loquimur, ideóque difficillimè consolidari possit. Quid, quòd etiam sub eodem illo musculo collocata est commissura petrosa? Concurrunt insuper in substantia illius musculi temporibusque complures venæ, arteriæ, nervi, unde multa hîc evenire possunt symptomata, dolor, inflammatio, febris, spasmus, ipsaque consequenter mors: ut nemo tàm temerarius esse debeat, qui secet musculum temporalem, ad applicandum terebellum fracturæ in illo loco factæ. Fiat potiùs apertio supra illum, vel in latere, tàm propè juxta rupturam, quàm fieri potest. Præterea, non statuendum est terebellum super os fractum, & à cætero cranio separatum, ne, dum id comprimitur, in ipsas membranas interiùs deprimatur. Neque applicandum est superciliis, neq; partibus inferioribus capitis, modò id caveri possit,

Cautela in usu terebelli.

1.

2.

possit, ne substantia cerebri foràs exeat per illam aperturam, quod cerebrum pondere suo deorsum vergit. Neque imponi debet ossi bregmatis puerorum, quòd id non satis sit solidum ad sustinendam vim cerebræ. Notandum autem Chirurgis est, si scissura ossis longior sit, non totam eam sequendam esse, sed sufficere, si detur exitus materiæ, quòd Natura reliquum suâ sponte coadunire soleat interpositâ callositate.

Observationes necessariæ.

1. Deindè, ut, monente Celso, quàm minimum fieri potest, de osse cranii eximatur; quòd multò præstet, cerebrum osse illo tegi, quàm quàvis aliâ materiâ, quæ illius loco regenerari possit, abiecto & sublato isto. Neque differenda est apertura ossis ultra tertium diem, si modò fieri possit, præsertim æstivo tempore, ne superveniat inflammatio. Factâ terebratione extractâque parte ossis, convenienter instrumento, summo studio annitendum est, ut benè tractetur dura sive crassa meninx. Guido hîc utitur sub initium parte unâ mellis cum tribus partibus olei rosacei, ad sedandum dolorem. Contrà Vigo miscet à principio mel cum aqua vitæ; quòd, secutus Hippocratem, neget oleum vel aliam rem humectantem convenire cranio; quódque, secundùm Galenum, nullo pacto utendum sit rebus unctuosis in denudatis ossibus, sed contrà omnibus, quæ vim habent exiccandi superfluam humiditatem. Aliis placet usus mellis rosati. Solebat pater meus sub initium adhibere medicamentum ex melle albo, succo bellis, & aquâ rosaceâ, coctis simul, addito sub finem pauxillo lactis muliebris; applicabatque linteolum tenuissimum, sive sericam laciniolam rubram, madefactam decocto eo inter cranium & crassam meningem, ad abstergendum eam & præservandum à dolore & inflammatione: partibus carnosis musculosis imponebat pulvillos unguento suppurativo illitos; quod unguentum is præparaverat è radicibus liliorum, foliis rumicis, violarum & rubi, maceratis in oleo olivæ, butyroque recenti, deindè coctis & colatis: denique addebat picem resinam, picem pinguem, terebinthinam & ceram. Ubi præservatam munitamque sentiebat plagam à periculosis symptomatibus, incipiente jam crassâ meninge rubescere & mundari, ejectâ paulatim foràs purulentâ materiâ, lavabat eum aquâ suâ ardente, extractâ è fœcibus vini cum betonica & salvia: posteà applicabat mundificâs fortius aliquantò quàm primum fuerat, factum ex melle albo cum succo betonicæ, marrubii & aquâ vitæ compositæ, ut diximus.

Crassa meninx quomodo sit tractanda.

mus. Est & in more positum apud Chirurgos, ut præteritis dolore, inflammatione aliisque accidentibus, nudatis ossibus applicentur pulveres, quos Græci vocant catagmaticos & cephalicos; quòd proprie conveniant fracturis ossium capitis, quòd innatâ suâ siccitate consumant humorem superfluum, atque ita juvent naturam in separatione illorum ossium & carne superinducendâ. Fiunt autem pulveres ejusmodi ex radicibus ireos Florentinæ, aristolochiæ, gentianæ, panace, thure, myrrha, aloë, mastiche, sanguine draconis, farina hordeacea & ervina, aliisque pariter deficcantibus & abstergentibus sine erosione, varianturque pro temperamento & habitudine corporis. Quòd si quis hos velit applicare membranis, misceantur oportet cum melle, vel syrupo rosaceo, vel syrupo de absynthio aut simili aliquo, ut minùs acres sint in deficcando. Ratio est, quia pericranium & crassa meninx tàm fortia remedia non patiuntur, cùm non destituantur partes illæ sensu, velut ossa, neque adeò exsiccari velint. Postremò ad consolidandum claudendumque carne vulnus, utimur emplastro diapalma, vel (ut vocant) gratiâ Dei. Interea autem, dum Chirurgus utitur suprà memoratis topicis, non debet omittere remedia universalia: satis tempestivè igitur præscribat ægro bonam victûs rationem, ad conservandum totius corporis, inprimis verò capitis bonum temperamentum, idque præservandum à noxiis accidentibus. Primùm igitur det operam, ut constituatur æger in temperato aëre, mensibus hybernis luculentum ignem alat in ejus cubiculo, cúmque obligatur vulnus, teneatur haud longè à capite ejus pelvis plena prunis, vel batillus focarius igne candens, ad corrigendum ambientem aërem. Quæcunque ei imponentur medicamenta, calefacienda sunt; quòd frigus teste Hippocrate, inimicum sit cerebro, ossibus & nervis: adversatur verò etiam ulceribus, impeditque suppurationem. Neque tamen exponendus est æger in nimiam aëris aut lucis claritatem, inprimis donec præterierint noxia accidentia, quia sic dissipantur & resolvuntur spiritus, augeturque dolor, febris & cætera accidentia. Victus ejus debet esse tenuis, refrigerans & humectans tantisper, donec ipsi satis cautum fuerit ab inflammatione, febri, aliisque symptomatibus. Utetur ergo aquâ cum pane infriato sæpiùs transvasatâ, hordeo emundato, prunis Damascenis coctis, passulis, interpositio nonnunquam pullo gallinaceo, vel columbino,

Pulverum usus in fracturis cranii.

Universalia medicamenta.

1. *Aër.*

2. *Victus.*

aut carne vitulinâ, coctâ cum lactucis, rumice, portulacâ, bugloſsâ, borragine, cichorio, endiviâ, ſimilibusque herbis. Vitabit omnes cibos vaporoſos, fugietque inprimis vinum, ex præcepto Hippocratis, in cujus locum ſuccedet aqua hordeacea ſive ptiſana, vel aqua cocta mixtaque cum ſyrupo roſaceo, violaceo aut acetoſo. Memini, patrem meum exhibere ſolitum ejusmodi ſauciis per integrum menſem, bis in die, mane & veſperi, potionem vulnerariam, factam ex hordeo, foliis bellidis minoris & plantaginis oblongæ, foliis & radicibus ſymphyti majoris, coctis ſimul in urnâ apto firmatâ operculo, affusâ aquâ cum ſaccharo, & pauxillo mellis albi, vel roſacei, vel violacei, ad conſervandum temperamentum humorum, idque præſervandum ab inflammatione & febri, atq; hîc adjuvandum curam vulneris. Sub finem quindecim dierum addebat aliquantum betonicæ. Detur opera,

3. *Quies & motus.* ut æger collocetur in loco quieto, extra clamorem ſtrepitumque: néve dormiat interdiu, ſed ut nocturnus provoce-

4. *Somnus.* tur ſomnus: inprimis abſtineat ab actu Venereo. Nec erit abs re, aperire venam cephalicam in eo latere, in quo accepit

5. *Replet. & inan.* vulnus, non ad evacuandam duntaxat abundantiam ſanguinis, ſi corpus fortè ſit plethoricum, ſed & ob magnitudinem morbi præſentis vel futuri; ſi vires languentis id permittant, ad divertendum retrahendumque humorum affluxum. Purgentur etiam ſuaviter humores peccantes, evitatis ſemper medicamentis fortioribus in principio, ne inducatur inflammatio, febris, vel aliud aliquod accidens. Si alvus ſit conſtipata, injiciantur clyſteres emollientes, quoties opus eſt. Cæterum, ad illuſtrandam totam præſentem materiam & methodum rectè curandi vulnera capitis cum fractura cranii conjuncta, non pigebit tria vel quatuor exempla adſcribere, è cura paterna petita, quorum ego ſpectator & teſtis fui. Ac-

Exemplum inſigne vulneris capitis cum fractura cranii perſanati. cidit Anno à nato Bono publico M. D. L X X. ut adoleſcens quidam octodecim annos natus, nomine Cruæus, lapide pe-

1. titus, gravem ictum in ſummo vertice acciperet, adeò ut rumperetur cutis muſculoſa, pericranium, & oſſa ipſius cranii in latitudinem trium digitorum: penetraverat autem aſſula quædam fracti oſſis craſſam tenuemque cerebri meningem ad unius digiti profunditatem. Vocatus ab oppido Guiſio pater meus, ut ægrum ſanaret, primùm omnium totondit eum circa vulnus, deindè fecit inciſionem ſufficientem cutis in formam crucis, extraxitque fragmenta oſſium contuſa &

quaſ-

quassa: hinc extersit vulnus probè linamentis siccis, applicavitque pulverem aliquem restringentem carnibus musculosis ad sistendum sanguinem, eique superimposuit exsiccantem. Victûs genus præscripsit refrigerans & humectans, interdicto usu vini, substitutâ ptisanâ cum syrupo violaceo. Vesperi ac mane exhibebat potionem suam vulnerariam consuetam, ut viam intercluderet inflammationi & febri. Reversus postridie invenit ægrum aliquantisper motum mente, ob ingentem contusionem & dolorem indè ortum: demptis linteaminibus videt sanguinem constitisse, & fracturam cranii tàm amplam, ut terebratione nihil opus esset. Expurgatâ igitur materiâ sanioså immittit parvam turundam lineam in aperturam meningum, imponitque crassæ meningi linteolum intinctum medicamento suo mundificante & mitigante, facto è melle, succo bellidis & aquâ rosaceâ, adjuncto pauxillo lactis fœminei. Post hæc applicavit carni musculosæ pulvillos illitos unguento suo suppurativo, quibus imposuit obturamentũ tinctum in decoctione bellidis, factâ ex aquâ & modico vini, ad declinandã inflammationem & dolorem. Hanc curandi rationem cõtinuavit per sex vel septem dies, abstergens diligenter corruptum sanguinem & saniem, quæ prodibat à spacio inter crassam meningem & cranium, è facto foramine in meningibus, inflabatque in nares languentis, ut expeditius prodiret sanioså materia, datâ tamen operâ, ne sanguis proliceretur. Hinc, postquàm animadvertit, exonerare se meninges ejectâ multâ purulentâ materiâ, obligavit eum bis quotidie, admixto de pulvere suo mundificativo fortiori ad superius medicamentum, quod non solùm imposuit crassiori meningi, verùm etiam carni musculosæ, estque eo usus loco suppurativi. Decimo-tertio die vel decimo-quarto, cùm dolor & cætera symptomata aliquo modo conquievissent, cœpit abluere crassam meningem aquâ suâ vitæ compositæ cum betonica & salvia, ut melius abstergeret, vivificaret & corroboraret eam, ususq; est mundificante suo fortiori per totum vulnus. Non debet autem taceri, parvum illud foramen, quod per utramque meningem pene raverat, per sex continuas septimanas se mundâsse, ita ut singulis diebus indè prodiret aliquid materiæ albæ, crassæque viscidæque, respondentis substantiæ cerebri, cúmque hiatus fieret in dies angustior, necesse habuit eum bis dilatare, incisâ crassâ meninge pau-

liſper, ut tantæ puris quantitati patéret exitus quotidie affluentis : quibus omnibus non obſtantibus, æger exeunte
2. quarto menſe miraculoſè perſanatus fuit. Anno à nato Chriſto M. D. LXXVII. vir quidam Orgnienſis, 47. annos natus, ſecuriculâ percuſſus fuit ſuper os coronale, ita ut cranium fractum fuerit. Vocatus ad ſanandum eum pater meus, etſi os conſpectui non patéret, indiciis tamen atque conjecturâ deprehendit fracturam factam in cranio; aderat enim caligo oculorum, vomitus, lipothymia, febris, magnus dolor circa plagam, prodeunte ſanguine per nares, perque os; cum aliis accidentibus. Abraſis capillis capitis circa vulnus, fecit inciſionem uſque ad os, transverſim per vulnus, hinc impoſuit remedia ad ſiſtendum ſanguinem. Altero die terebratione uſus fuit, ut educi poſſet ſanguis & ſanies, quæ ſe jam ſub teſta collegerat. Impoſuit ergo craſſæ meningi medicamentum ſuum, compoſitum ex melle, ſucco bellidis, aquâ roſaceâ & lacte muliebri; carnibus verò muſculoſis ſuppurativum ſuum. Septimo die apparuit ſupra craſſam meningem macula livida, quæ emundari non potuit, undè formidabat, eſſe id initium Gangrænæ; attamen cùm eam diligenter lavaret aquâ ſuâ vitæ compoſitâ, & applicaret mundificativum ſuum è melle, ſucco betonicæ & marrubii, paulatim abſterſa fuit, vulnusque deinceps incarnatum, conſolidatum & cica-
3. trix inducta, ita ut perſanatus fuerit. Eâdem fermè uſus eſt idem pater meus in curando ſanandoque filio Recurtii, Gubernatoris Bohanenſis, puero ſexenni, qui exceperat ictum lapidis ab alto muro delapſi in caput, Anno M. D. LXXX. undè ad eum modum contuſum fractumque fuit os coronale, ut non ſatis fuerit id terebrâſſe, ſed & opus habuerit ampliorem facere aperturam volſellis ſecantibus, ut extrahi poſſent fragmenta quaſſati oſſis. Quamvis autem fractura cranii multùm deſcenderet verſus frontem infra vulnus, tamen cùm ſtudioſè præbuiſſet per hoc materiæ purulentæ exitum, uſus ſemper lotionibus & mundificativis conſuetis, rectè
4. convaluit æger. Cùm menſe Julio Anni M. D. LXXXI. Ludovicus Bulengerus, Præſes Electorum Lauduni, iter faciens in Ambianos, cannam ferream, nitrato pulvere nimis plenam explodere vellet, ruptâ illâ, validum ictum impegit capiti ejus, quo cutis muſculoſa & pericranium contuſum fuit, fractumque os parietale, perforatâ craſſâ meninge. Pater ejus, Reginaldus Bulengerus, Quæſtor Ducis Guiſii, cùm hoc reſci-

sciviſſet, exoravit patrem meum, ut confeſtim in Ambianos profectus, curaret filium ſuum ex vulnere decumbentem. Ubi pater meus venit in Ambianos, quod quarto demùm die à læſione factum eſt, invenit ægrum continuâ febre vexari, eâque acutâ, cum delirio magnâque ſiti: vulneris conſtitutio erat prava, quanquàm os jam terebratum fuiſſet per tres loci Chirurgos, qui ejus curam ab initio ſuſceperant, præſente Doctore Medico. Animadvertit ergo, craſſam meningem ruptam fuiſſe, cùm eam pertentâſſet ſpecillo ſuo, undè parvam turundam è ſpongia præparatam immiſit, reclamantibus ſuperioribus illis Chirurgis, qui proteſtabantur de non tangendâ membranâ, neque immittendâ ullâ re, ne premeretur ampliùs, ſed ut omnia permitterentur Naturæ. Sequenti die, cùm obligaret vulnus, obtulit ſe foramen ante craſſam meningem, undè prodibat multum materiæ purulentæ, quæ jam incipiebat corrumpere meningem illam; applicavit ergo mundificans factum ex ſucco betonicæ & melle roſato. Cùm autem videret, febrem cæteraque gravia ſymptomata non remittere, neque vulnus accedere ad mundificationem, craſſamque inſuper meningem ita comprimi, ut motum liberum non haberet, intellexit, id omne ideò fieri, quòd apertura oſſis non ſatis latè patéret, quódque craſſa meninx offenſa contuſaque eſſet ultra apertionem cranii; neceſſariam ergo eſſe dilatationem, ut craſſa meninx ampliùs detegeretur, ne fortè corriperetur Gangrænâ. Cui conſilio Chirurgi cæteri valdè obnitebantur, dicentes, ſi amplior fieret apertura, fore, ut malum exacerbaretur, febrisq; evaderet violentior. Pater tamen ægri, ejusque propinquus Antonius Deloyenius Legatus Ribemontis, voluerunt, ut patris mei conſilio locus daretur. Volſellis igitur ſecantibus palàm fabricatis, cùm extremitates oſſis circa hiatum abſecuiſſet, ſufficienter dilatavit aperturam cranii, extraxitque per eam aliquot teſtulas confracti oſſis, aliasque res Naturæ inimicas, quæ hactenus impediverant curationem. Hinc factum eſt, ut cùm craſſa meninx non ampliùs comprimeretur, libero motu deinceps moveri poſſet, ſeque à ſordibus exonerare, adhibito uſitato mundificativo, quod tunc rectè intùs applicari poterat. Videns autem, nihilominùs febrem cum magnâ ſiti conjunctam non remittere, ægrum temperamento corporis eſſe calido, ætate juvenem, (vigeſimum enim quintum annum agebat) urinas ejus eſſe biliosas & in-

flammatas, accedente dierum canicularium fervore, pro medicamento purgante, quod iterum suadebant Medici, jussit eum satis longo tempore uti aquâ oxalidis per alembicum vitreum distillatæ. Sic paulatim remittere cœpit febris, & cum eâ cætera symptomata quotidiè decreverunt. Cùm apud Ambianos adhuc per unum mensem subsistitisset æger, rediit ad oppidum Guisium, estq; in domo paternâ perfectè à patre meo persanatus. Aliquo tempore post, cùm jam vulnus planè coaluisset, iterum se aperuit, ut daret transitum osticulo, quod inhæserat adhuc, sed paulò post iterum ad cicatricem perductum fuit.

XV.

Cura vulnerum thoracis.

In vulneribus in interiora pectoris penetrantibus, ubi pulmones vel aliæ partes interiores læsæ sunt, orificium eorum cum studio apertum tenendum est, immissis turundis majoribus, donec læsio interior sanata sit, decumbente ægro in latus saucium; dandaq; est opera, ut statim à principio sanguis, in capacitatem thoracis illapsus educatur; deindè, ut evacuetur purulenta & saniosa materia, quæ magnâ copiâ intùs generatur, factis injectionibus absterſivis per syphones sive fistulas, ad deficcandum, purgandum & præservandum pectus à putrefactione. Mane atq; vespèri exhibeatur ægro potio vulneraria, præscribaturq; bona ac conveniens vivendi ratio.

NOTÆ.

Dissidium Chirurgorũ in vulneribus thoracis.

IN VULNERIBUS PENETRANTIBUS.] Non satis convenit inter omnes Chirurgos de cura vulnerum intra pectus penetrantium: quidam enim (ut benè observavit Guido, & post eum Vigo) censent, quamprimùm fieri potest, id consolidandum esse, nullâ immissâ turundâ, quòd metuendum sit, ne frigidus aër ad cor subintret, néve spiritus vitales exeant, vel resolvantur. Alii contrà sentiunt, voluntque vulnera illa aperta manere; quin &, si non satis pateant, sectione ampliora fieri, ut sanguis intùs collectus evacuari possit, ne putrefiat, undè febris, empyema, fistula, aliaq; pernicioſa accidentia secutura essent. Hos ita dissidentes ut ad concor-

diam

diam reducamus, distinguendum est, nisi læsio aliqua facta sit partium contentarum, neque sanguis intrò prolapsus, expedire, ut statim claudatur vulnus, nullâ immissâ turundâ: si verò pars aliqua interior offensa sit, multumque sanguinis intùs confluxerit, opus esse, ut plaga aperta teneatur. Non est igitur (ut vult Pareus) claudendum vulnus, in capacitatem thoracis penetrans, ab initio, sed per biduum triduúmve apertum tenendum, & si æger careat febre, nec multum doloris sentiat aut gravedinis in diaphragmate, si recta sit respiratio, nec exspuat sanguinem, uno verbo, si nulla adsint signa illapsi in concavum sanguinis, auferenda demùm est turunda, & primo quoque tempore consolidandum vulnus, applicato balsamo quopiam agglutinante, & emplastro diachalciteos, vel simili aliquo. Quòd si æger vehementi affligatur febre, sentiatque gravedinem & extremum dolorem in latere saucio, sique vix respirare ac loqui possit, exspuatq; tussiendo, (quæ omnia signa sunt prolapsi copiosi in concavitatem thoracis sanguinis, unde oriantur hæc symptomata) orificium vulneris apertum teneatur oportet, immissis grandioribus turundis, donec sanies à sanguine illo orta penitùs sit evacuata, & læsio interior percurata: quod hinc cognoscitur, si materia quæpiam prodeat oleo terebinthinæ similis, deindè omninò nihil satis longo tempore. Debent autem affigi sive ligari turundæ illæ, quæ immittuntur hujusmodi vulneribus, ad compressas linteas, & capite eminere, ne omninò prolabantur in concavum pectus; hoc enim si fieret, causarentur putrefactionem, ipsamque consequenter mortem. Magnam etiam adhibebit Chirurgus industriam, ut eliciat sanguinem in capacitatem thoracis prolapsum, materiamq; purulentam & sanioſam intùs generatam, ægro, quoties is obligandus est, eo situ collocato, ut caput & manus pendulas extra lectum porrigat, crura verò supra lectum elevet, propendeatque toto corpore in aperturam vulneris; os atque nares claudere debet, attracto spiritu, ut inflentur ac tumefiant pulmones, immissoque intra vulnus digito, ad dilatandum illud. Observandum etiam est, si à principio sanguis satis copiosè è vulnere profluat, Chirurgum eâ vice contentum esse posse; qui enim omnia simul ac semel evacuare velit, eâdem operâ etiam animam è corpore exturbabit. Verùm quamprimùm sanguis suppuratus fuerit, apparente materiâ albâ, quicquid poterit, evacuandum erit, idque

Conciliatis

bis quotidiè. Evacuatâ materiâ purulentâ, in capacitate thoracis contentâ, facienda eſt ſyphone injectio in vulnus, ex aqua hordeacea, melle roſato & ſaccharo, coctis ſimul, vel è decoctione quadam agrimoniæ, centaurii, abſynthii, betonicæ, bujulæ, ſaniculæ, addito pauxillo dec. tanaceti, facto ex hydromelite, vel aquâ è dictis herbis diſtillante, quibus accedat mundificans è ſucco marrubii, betonicæ & agrimoniæ cum melle optimo: vel è potione vulneraria, addito ſyrupo de roſis ſiccis & melle roſato. Dum autem utimur topicis hisce, non ſunt negligenda remedia univerſalia, nempè ſectio venæ, purgatio, & bonus ordo vitæ. Inprimis neceſſaria eſt ægro veſperi & mane potio vulneraria. Hanc pater meus ab initio faciebat è radicibus & foliis ſymphyti, plantaginis longæ, bujulæ, ſaniculæ, aliarumq; ſimilium herbarum, bullientium in aqua fontana vel fluviali, addito pauxillo aceti & ſacchari roſati, quibus omnibus ſub finem adjungebat bolum Armenam, ad reſtringendam aliquo modo ſanguinis effuſionem in vulnere interiori, & ad extinguendam febrem, conſervandasque in bona temperatura partes offenſas. Quamprimùm vulnus ad ſuppurationem acceſſerat, mutabat dictam potionem in aliam magis abſtergentem & deſiccantem, factam ex betonica, agrimonia, plantagine oblonga, bujula, & ſanicula, coctis in aqua, addito pauxillo vini & mellis. Aliquando jungebat ſuperioribus parum ſalſaparillæ, ad fortius exſiccandum. In ratione victûs utetur æger frequenter hordeo mundato, lacte ex amygdalis expreſſo, prunis uvisque Damaſcenis, aliisque rebus convenientibus pectori. Quidam prohibent ab initio uſum ciborum adſtringentium, ne difficilior reddatur reſpiratio, & ſanguis ulteriùs coaguletur. Hoc non obſtante, ad agglutinandum & cicatrizandum vulnus pulmonum, exhibent Pareus & Guido ægro alimenta & medicamenta emplaſtica, auſtera & adſtringentia, qualia ſunt, terra ſigillata, bolus Armena, hypocyſtis, balauſtia, plantago, berberis, ſumach, acacia, & his ſimilia, exhibita in jure, vel electuario, addentes mel roſatum, ut ſerviat pro vehiculo, juvetque deterſionem & emundationem vulneris. Lac vaccinum, vel caprinum, vel aſininum hoc in affectu commendatur, addito melle, ne coaguletur in ventriculo: quibus tamen omnibus præſtantius eſt lac muliebre. Poſtremò non eſt tradendum oblivioni, ægro ſubindè in vulnus eſſe decumbendum. Ut autem oſtendamus

Potio vulneraria.

pra-

praxin præceptorum, quæ jam propoſita à nobis ſunt ad rectè curandum vulnera thoracis, non erit abs re, tria vel quatuor adſcribere exempla ſingularium curationum, quas patrem meum feliciter olim perficientem vidi. Anno Salutis M. D. LXXI. opifex quidam in loco Vadecurto juxta oppidum Guiſium, ætatis anno trigeſimo, cultro ictus fuit periculoſe, tribus transverſis digitis infra mammillam, penetrante vulnere in capacitatem pectoris. Vocatus pater meus ad curam ſaucii, primo ſtatim die invenit eum correptum febri continuâ admodùm vehementi, difficulter anhelantem, non ſine vomitu crebro & debilitate cordis; cúmque vulnus digito perſcrutatus fuiſſet, ſenſit pulmones vulneratos. Cùm igitur eum ita collocâſſet, ut in vulnus propenderet, ejecit is duas propè ſcutulas plenas concreti ſanguinis, ſed & amplius prodiviſſet, niſi is orificium magnâ turundâ obſtipâſſet, ob nimiam reſolutionem ſpirituum. Mox præſcripſit eidem convenientem vivendi rationem cum potione vulnerariâ, præparatâ è ſymphyto, lanceolâ, bujulâ & ſaniculâ, decoctis in aqua & pauxillo aceti roſacei, ſacchari, & boli Armenæ ſubtilioris, quam ſumebat mane & veſperi, ad ſiſtendum nonnihil ſanguinem profluentem à læſione pulmonum, extinguendam febrem & avertenda ſymptomata. Reverſus poſtridie, reperit eundem cum acri febre colluctantem & inquietudine, apertoque vulnere, rurſum tantum eduxit putridi ſanguinis, quantum ſuperiore die; fecit igitur injectionem de potione ſuâ vulnerariâ in pectus, quæ ſimul ac ubi exivit, rurſus obſirmavit vulnus turundâ, applicato inſuper pulvillo è ſtuppâ cannabinâ immerſâ oxycrato: deindè obligavit id ex diſciplina. Hac ratione uſus eſt continuò & quotidiè per totum decendium, donec ſe putridus ſanguis mutavit in materiam albicantem, inſtar lactis, non ſine fœtore. Ibi cœpit eum quotidiè bis obligare, ſemperq; tantum evacuare materiæ, quantum ſe offerebat ad exitum, (quod anteà factum non fuerat) ſyphonibusque injicere decoctum agrimoniæ, bétonicæ, abſynthii, marrubii, centaurii, tanaceti, plantaginis, bujulæ & ſaniculæ, addito ad aquam melle. Utq; mutaret potionem vulnerariam in abſtergentem magiſque exſiccantem, faciebat hanc ex betonicâ, agrimoniâ, plantagine longâ, bujulâ & ſaniculâ, decoctis in hydromelite, addito pauxillo vini albi. Hoc modo perrexit in cura, non occluſo vulnere exteriore, donec interior læſio perſanata,

Exempla curæ in vulneribus pectoris.

I.

fuiſſet: quod factum fuiſſe tunc patuit, cùm per tempus aliquod prodiit indè materia glutinoſa, inſtar olei terebinthinæ, deindè nihil omninò amplius. Anno Salutis M.D.LXXII. 2. ruſticus quidam è pago Orignio, cui nomen fuit Johanni Purrerio, natus XXIIX. annos, ſicâ ab aliquo percuſſus fuit in dorſum, unius digiti transverſi latitudine infra omoplaten. Hunc pater meus, qui, tertio demùm die ad eum vocatus, curam hominis ſuſceperat, invenit magnâ affectum febre & inquietudine, ejicientem ſanguinem per os & per vulnus, quod ubi digito perſcrutatus eſt, deprehendit vulneratum pulmonem, eduxitq; continuò multum ſanguinis concreti & putrefacti. Satis igitur magnam turundam cùm vulneri immiſiſſet, ut id apertum retineret, impoſuit et uſitatum pulvillum: exhibuitq; potionem vulnerariam, quâ ipſe ſolebat uti in hujusmodi vulneribus, præſcriptâ etiam conveniente victûs ratione. Hanc curam ita produxit ad decimum uſque diem, donec oſtenderet ſe materia albicans fœdi odoris. Ibi eum quotidiè bis obligabat, utque purulentam materiam penitùs evacuaret, abluebat vulnus ſuprà dictâ injectione deterſivâ, mutatâ inſuper potione vulnerariâ in aliam magis deficcantem & abſtergentem. Sicque perrexit, uſque dum planè ac perfectè curatus fuit, quod intra ſextam 3. factum eſt ſeptimanam. Novembri menſe Anni à Chriſto nato M.D.LXXIII. curavit idem pater meus operarium quendam in monticulo ad Oeſam fluvium, nomine Iſambertum, virum quadraginta annorum, qui cultro in pectus fuerat ictus, transfixo etiam pulmone. Primò, cùm vulnus deduxiſſet inſtrumento, quod *roſtrum gruis* vulgò vocatur, multum indè eduxit ſanguinis putridi & concreti, neque tamen omnem. Immiſsâ igitur in vulnus turundâ ſatis magnâ, impoſitoque pulvillo cannabino, obligavit id ex diſciplina, præſcriptâ ratione vivendi cum potione vulneraria, quam ab initio ſauciis exhibere ſolebat, nec mutavit hanc curæ rationem uſq; ad undecimum diem, quo vidit materiam mutari. Ibi cœpit eum quotidiè bis obligare, prorſusque evacuare materiam, injecto per ſyphonem liquore abſtergente, ſubſtitutâque pro priore, ſecundâ potione vulnerariâ uſque ad finem curationis, quæ tamen ante quartum menſem perfici 4. haud potuit. Anno Salutis M.D.LXXVI. civis quidam Autevillanus, nomine Jacobus Valleſius, trigeſimum agens annum, percuſſus fuit cultro in pectus, penetrāte ictu in ipſum pul-

pulmonem. Quarto ab accepto vulnere die vocatus ad eum pater meus in S. Quintini oppidum, invenit eum magnâ affectum febri, inquietudine, anguſtiâ ſpiritûs, imbecillitate cordis, non ſine vomitu, quia multum ſanguinis deſcenderat ſuper diaphragma, impediebatque reſpirationem, compreſſis non tantùm partibus vitalibus, verùm etiam ventriculo. Aperto rurſum vulnere, quod jam connivebat, partim digito, partim roſtro gruis, multum exivit concreti & jam putridi ſanguinis, undè non parum levamenti ſenſit æger. Videns deindè pater meus, oſtium vulneris anguſtius eſſe, quàm ut tantæ materiæ exitum præbere poſſet, fecit illud amplius inciſione, immiſitque turundam ſatis magnam, præſcriptâque ægro, quæ convenire videbatur, victûs ratione, cum priore potione vulnerariâ, continuavit hanc curam uſque ad undecimum diem, quo materia mutata apparuit. Indè mutatâ de more vulnerariâ potione in abſtergentem, evacuavit omnem materiam quotidiè bis, factâ injectione detergente & deſiccante vulnus, idque tàm diù fecit, donec vulnus interius, poſt excretam materiam glutinoſam & oleoſam, nihil amplius ejiceret, ſed ſiccum maneret. Ibi demùm paſſus eſt coaleſcere labia vulneris exterioris, minuens in ſingulos dies turundam, fueruntque quatuor menſes inſumpti in illam tanti vulneris curam, cum duabus ſeptimanis.

XVI.

Si in vulneribus penetrantibus in capacitatem ventris prodeat inteſtinum aliquod foràs, quod vulneratum ſit, decenter id conſuendum eſt, atq; paulatim in ſuum locum remittendum. Omentum quoq; ſi exeat, remitti debet, quàm primùm fieri poteſt, antequàm putredinem aliquam contrahat. Quòd ſi jam pars quædam putrefacta ſit, extirpanda illa eſt, & id, quod ſanum eſt, in ſuum remittendum locum, conſuendumq; poſt vulnus exterius, ſi magnum ſit. At verò ſi epar, lien, renes, aliæve partes in inferiore ventre contentæ ſauciatæ ſint, rectè utetur patiens potione vulnerariâ, factis injectionibus per introitum vulneris. Vulnerata verò veſi-

Cura vulnerum inferioris ventris.

veſicæ vel matrici proderunt injectiones per proprios earum partium ductus. Utile quoq; erit, ſæpè exhibere clyſteres, quibus adjuncta ſint medicamenta vulneraria, inprimis parti affectæ deſtinata, ut non tantùm purgent inteſtina, ſed & ipſam vulneris curam per hæc media adjuvent.

NOTÆ.

SI IN VULNERIBUS PENETRANTIBUS.] In cura vulnerum Ventris id primò conſiderandum eſt, an ea penetrent in capacitatem, an non? Quæ non tranſeunt in concavum, nec ultra peritonæum, tractantur ut vulnera ſimplicia, quæ tantùm unione opus habent; quæ verò penetrant in ipſam ventris capacitatem, aliam curam requirunt: fit enim ſæpè, ut inteſtina, vel omentum, vel utrumque ſimul exeat per vulnus, aliquando etiam hæc ipſa ſaucia ſunt, vel alia quæpiam pars in ventre inferiore contenta. Si inteſtinum aliquod vulneratum eſt, id primùm omnium conſuendum eſt futurâ, qualis eſt pellionum, punctura denſiore, mox inſpergendus pulvis de maſtiche, myrrha, aloë, & bolo: deindè remittendum eſt paulatim interiùs, non autem ſemel ac uno velut impetu, decumbente ægro in latus vulneri adverſum ut, ſi id ſit in parte ſiniſtra, ipſe decumbat in dextram, & vice verſâ. Quòd ſi vulnus ſit in partibus inferioribus, ita collocandus eſt, ut altiùs attollantur nates quàm caput: ſi verò in ſuperioribus, contraria ſitûs ratio obſervari debet, ut relabentibus inteſtinis locus detur ei, quod remittendum eſt. Intumeſcunt verò etiam aliquando inteſtina, propter ventoſitates, quæ in illis continentur, & quia ab ambiente aëre refrigerantur inflanturque, undè difficillimè remitti introrſum poſſunt. Tunc fomentatione utatur Chirurgus neceſſe eſt, è decoctione carminante & reſolvente, veluti de floribus chamæmeli, meliloti, anethi, & his ſeminibus, aniſi, fœniculi, cumini: aut imponenda eſt turgido inteſtino veſica porcina, ſemiplena eâ decoctione; vel volatile quodpiam vivum per medium diſſectum; aut parvus catellus rectè accommodatus. Quòd ſi orificium vulneris nimis anguſtum ſit, ut per id intromitti prolapſa inteſtina non poſſint, utile erit, ut id dilatetur, & tranſitus fiat amplior. Si omentum exiverit, remittatur, quamprimùm fieri poterit, quia facilè putreſcere poteſt,

Omenti natura putrefactioni obnoxia.

teſt, quòd ſit ſubſtantiæ pinguis; pinguedo autem, frigidiori aëri expoſita, conſiſtat & velut congeletur, extincto calore naturali, unde ſtatim contrahit putredinem: velut eleganter obſervavit Hippocrates *aph.* 68. *lib.* 6. ubi ait: Si epiploon foràs prodeat, putreſcet. Cognoſcet hoc Chirurgus, ſi id deprehendat lividum, nigreſcens, & tactu frigidum. Si ad hunc modum putredine correptum fuerit, tunc non remittet, donec pars ejus corrupta reſiduum quoque infecerit; ſed filo intorto ligabit ſupra putredinem, & extirpabit id; quod eſt corruptum, redigetque reſiduum, quod adhuc ſanum eſt, in proprium ſuum locum. Remiſſis ad hunc modum inteſtino & omento, ſi vulnus grande ſit, conſuendum eſt eâ ſuturâ, quam γαστροῤῥαφίων vocari ſuprà diximus, relicto parvo orificio in parte decliviore, ad præbendum ſaniei exitum. Hujus ſuturæ, quæ Chirurgo nota eſſe debet, beneficio fit conſolidatio peritonæi cum parte carnoſa, neque ſequetur inconveniens aliquod, quale eſt, quòd peritoneum, cùm exſangue ſit, denuò conjungi non poſſit, niſi beneficio carnis: niſi autem rurſus cõjungatur, remanebit poſt conſolidatum vulnus tumor aliquis, qui vel difficulter, vel omninò non curari poteſt. Factâ ſuperiore ſuturâ, tractetur vulnus & conſolidetur, ut diſciplina Chirurgica poſtulat. Quod ad vulnera in ſubſtantiam epatis, lienis, renum aliarumque partium in corpore contentarum attinet, tentanda eſt cura eorum per potionem vulnerariam, injectiones, & alia remedia convenientia, cujus rei memorabilem hiſtoriam recitabo. Anno ſalutis M. D. LXXVIII. agricola quidam è pago Villerio, haud longè ab oppido Guiſio, annum agens XXXII. ictus fuit ſicâ ſub diaphragmate in dextrum hypochondrium, penetrante vulnere in ſubſtantiam epatis, unde ingens ſecuta fuit hæmorrhagia. Vocatus pater meus, ut ipſum curaret, immiſit vulneri turundam illitam ſuppurativo, quo uti ſolebat, circumpoſito linimento ex oleo roſaceo. Huic rurſus impoſuit obturamentum madefactum in decoctione de ſymphyto, plantagine, roſis, balauſtiis, ad mitigandum dolorem, auferendum calorem, corroborandamque partem affectam. Præſcripſit inſuper ei potionem vulnerariam, è ſymphyto, ſaniculâ, bujulâ, & plantagine longâ, coctis ſimul in aquâ, addito pauxillo aceti, ſacchari, & boli Armenæ. Hanc eandem potionem etiam vulneri injecit, perrexitque ita, donec materia ſuppurata fuerit. Decimo-quinto die poſtquàm jam vulnus

Cura admirabilis vulneris in ſubſtantia epatis.

BIBLIOTECA

nus mundari velle videretur, tantum sanguinis effudit æger per secessum, ut duabus tribusve vicibus propè integram cruoris mensuram excreverit: attamen cùm constanter uteretur potione suâ restrictivâ, quarto die fluxus ille sanguineus constitit, fuitque posteà vulnus ejus curatum injectionibus & unguento proprio ad emundandum & incarnandũ. Sed ecce, decem diebus pòst accidit ei rursùm par dysenteria hepatica, undè non minus sanguinis aliquot receſſibus rejecit, qui tamẽ fluor itidem, ut prior ille, subsistit beneficio potionis vulnerariæ. Duodecimò post hanc evacuationem die rursus tantam sanguinis copiam excrevit, ut æger, in syncopen lapsus, pro mortuo habitus fuerit, nec quisquam eo die vulnus ejus attigerit. Summo mane verò, cùm se collegisset aliquantùm, obligatus fuit de more, & ab eo tempore paulatim confortari cœpit & habere meliùs. Postremo miraculosè curatus fuit præter omnem hominum expectationem. Hinc apparet, Medicum à vulneribus penetrantibus in substantiam epatis, lienis, aliarumque partium in ventre contentarum, velut à desperatis, manum abstinere non debere, sed potiùs officium suum pro viribus facere, etsi spem certam sanationis non habeant. Melior enim est spes dubia, (inquit Celsus) quàm certa desperatio. Cùm autem omnium partium corporis venter maximè sit obnoxius putredini, propter excrementa in eo contenta, si qua læsio intra illum contigerit, studiosè danda est opera, ut semper conservetur purus. Id ut obtineri queat, recurrendum est ad cathartica benigna, quibus ineſt virtus leniter purgandi primam regionem corporis: inprimis autem ad clysteres, quibus adjungi poterunt medicamenta inservientia vulneri ejusque accidentibus, ipsique adeò parti læsæ, sive juvet abstergere, sive consolidare, sive refrigerare, sive corroborare, sive ad alium aliquem scopum collineemus, obtinendæ sanationis gratiâ. At nunc quidem absolutâ parte Therapeuticâ Vulnerum, restat, ut ad curam Ulcerum nos convertamus.

Observatio pro Chirurgis.

Observatio alia in vulneribus vetris.

XVII.

Scopus curæ Ulcerũ.

In cura Ulcerum ratio habenda est eorum essentiæ, materiæ prodeuntis, & temperamenti ac situs partis ulceratæ; aliter enim curandum est ulcus simplex, aliter compositum: præterea magnitudine vel parvitate ulce-

ris

ris apparanda sunt remedia: quóq; id est humidius sordidiusq;, eò major vis exsiccandi & abstergendi debet inesse medicamentis. Idem quoq; intelligendum est de temperamento partis affectæ sicco vel humido. Sic partes internæ, aut quibus exquisitus inest sensus, non perpetiuntur medicamenta tàm fortia, quàm externæ minúsq; sensibiles.

NOTÆ.

IN CURA ULCERUM.] Adrectè percurandum ulcus tria sunt consideranda: ejus essentia, materia, quæ ejicitur, & temperamentum atque situs partis ulceratæ: quia ab unaquaque harum rerum singularis trahitur indicatio, unde magna diversitas curæ oritur. Nam (ut ait Galenus *cap. 5. lib. 4. Meth.*) cura Ulceris, quod complicatum est cum alia quapiam affectione, non est eadem cum curâ Ulceris simplicis, cùm implicata illa affectio priùs curanda sit, deindè ulcus. Adde, quòd in ulcere compósito plures sunt indicationes, in simplici verò tantùm una indicatio curativa, quæ consistit in mediocri deficcatione indicatâ per humiditatem. Nihilominùs tamen colligit hoc facilè pus, qua de causa mundificari priùs debet quàm siccari & ad cicatricem perduci: sic omne ulcus per se opus habet deficcatione, & per accidens abstersione: illa opponitur superfluitati subtili, hæc crassæ: hæc duo enim excrementorum genera ferè comitantur unumquodque ulcus. Verùm in ulcere compósito alia insuper consideranda veniunt. Hæc nimirum est causa, quòd Galenus *cap. 1. lib. 4. Meth.* monet, magnam adhibendam diligentiam in distinguendis simplicibus morbis à compósitis, quòd malum simplex non egeat nisi simplici curatione, quæ malo compósito minimè sufficiat. Sed & Hippocrates præcipit, ut in magnis morbis remediis utamur fortioribus, in parvis verò levioribus; unde est observanda proportio remediorum ad quantitatem ulcerum. Sic Galenus *lib. 4. Meth. cap. 10.* evincit, quantò humidius sordidiusque sit ulcus, tantò magis siccare & abstergere debere medicamentum: ulcus enim póscit res contrarias; sicut natura partis quærit res sibi similes. Hæc videlicet est causa, ut quò humidius est temperamentum partis, tantò minùs debet exsiccare medicamentum, quod pars illa desiderat. Monet idem quoque *cap. 7. lib. 4. Meth.*

Superior Thesis approbatur authoritate Hippocratis & Galeni.

Meth. partes internas, & quæ acri ſenſu præditæ ſunt, non poſſe ſuſtinere medicamenta tàm fortia, quàm externæ iminúsque ſenſibiles. Habebit præterea Medicus rationem proprietatis, quæ ineſt medicamento, propter ulcera interna, ad quæ eligere debet medicamenta, quæ ſunt familiaria naturæ languentis, nec quicquam detrimenti inferunt viſceribus, evitatis omnibus contrariis, ut Galenus docet multis verbis *lib.* 4. *Meth.*

XIIX.

Cura ulceris ſimplicis.

Ad curandum ulcus ſimplex, quod nulli alii vitio implicitum eſt, quàm cavitati ab eroſione provenienti, præterquàm quòd requiritur, ut diviſa unitas denuò coëat jungaturq́; aliis mediis neceſſe etiam eſt, ut cavitas repleatur carne generatâ è bono ſanguine in quantitate & qualitate, per ſubſtantiam temperatam partis ſubjectæ, conſervatam in ſua natura beneficio convenientis rationis vivendi: hinc curandum eſt, ut exſiccetur liquidius excrementum, quod à Græcis ἰχὼρ dicitur, à nobis ſanies, *unde ulcus redditur humidum: deindè, ut abſtergatur excrementum craſſius, Græcè ῥύπος, quod nos* ſordes *appellamus, quia faciat ſordere ulcus, medicamentis incarnantibus, quæ ſiccant abſtergentq́; moderatè, prout natura partis ulceratæ requirit: poſtremò, ut ulcus jam plenum ad cicatricem perducatur medicamentis epuloticis, quæ claudunt, adſtringunt deſiccantq́; carnem ſine acrimonia, eamq́; ſimilem reddunt cuti.*

NOTÆ.

AD CURANDUM ULCUS SIMPLEX.] Cùm ulcus ſit ſolutio continui, facta per eroſionem, neceſſariò ei inſunt duo vitia: diviſio unitatis, & cavitas; cum eroſio ſine cavitate eſſe non poſſit, teſte Galeno & experientiâ. Duæ igitur intentiones proponántur Chirurgo, volenti ritè atque ordine curare ulcus ἀπεριστάτως: prior eſt repletio cavitatis, altera eſt conſolidatio diviſæ unitatis. Utramque operatur perficitque ſub-

ſubſtantia ſubjectorum corporum, uſa pro materiâ ſanguine bono & laudabili tàm in quantitate, quàm qualitate. Si igitur ſubſtantia totius corporis & partis ulceratæ temperata ſit, conſervanda erit illa temperies aëre, cibo, potu, ſomno, vigiliis, omnibus mediocribus & temperatis, nec non evacuatione excrementorum, & quiete partis affectæ, vitatis gravioribus animi paſſionibus. Magnam igitur adhibebit Medicus diligentiam, ut bonam partis diſpoſitionem conſervet per res ſimiles: & ſi fortè illa deperdita ſit, reparanda erit per contrarias, tàm bonâ victûs ratione, quàm medicamentis. Si ſanguis ſit laudabilis, conſervatur per eadem media; ſi deficiat, augetur per alimenta boni ſucci copioſè ſumpta. Si ſanguis abundet nimiùm, minuitur per phlebotomiam; ſi peccat qualitate, corrigitur qualitate contrariâ. Si humores ſuperflui ſint in maſſa ſanguinis, evacuandi erunt per convenientem purgationem. Intereà autem (inquit Galenus *cap.* 3. *lib.* 5. *Meth.*) dum Natura replet cavitatem carne, quam creat ex ſanguine, diffundens illum, conjungens, glutinans, aſſimilans, i.e. excoquens, neceſſario duplex generatur excrementum; unum liquidius humidiusque, quod ἰχὼρ appellatur, alterum craſſius, quod ῥύπος dicitur: illud reddit ulcus humidum, hoc facit ſordidum. Tàm hoc, quàm illud (cùm utrumque adverſetur Naturæ) impedit actionem ejus, unde auferendum eſt per contrarium ejus. Oportet igitur exſiccare humiditatem, & emundare ſorditiem. Utrumque commodè fieri poteſt per medicamenta ſarcotica, quæ purgant mediocriter atque ſiccant in primo gradu, ita ut non nimis calefaciant, extenduntur tamen ad majorem humiditatem & ſiccitatem, calorem atque frigus. Thus enim & farina hordeacea cum fabacea exſiccant mundantque minùs; reſina verò, terebinthina, pix abiegna, mel deſpumatum, vel roſaceum, pomphylox, majorum in ea operatione ſunt virium: fortiora etiam his ſunt, farina ervi, ariſtolochia, iris, myrrha, opopanax, & his ſimilia, in quorum omnium uſu prudens Medicus rationem habebit naturalium virium totius corporis, & partis ulceratæ, hujus ſitûs, formationis atque virtutis. Porrò, ſi jam ulcus repletum ſit, obducendum eſt cicatrice, quæ aliud eſt nihil, quàm caro calloſa inducta loco pellis, quæ non minùs quàm ipſa caro eſt opus Naturæ, adjutæ à Medico, quæ ulceri jam carne pleno applicat medicamenta epulotica, quæ exſiccant carnem ſine acrimonia, quæ claudunt

reſtringuntque. Hujus generis ſunt, aloë, plumbum uſtum, gallæ immatura, cortices granati, anetſum uſtum, cucurbita ſiccata & uſta, ſanguis draconis, lithargyron, pompholyx, æs uſtum, flos ſive ſquama æris, cadmia vino lota, & his ſimilia, de quibus copioſè agit Galenus *lib. 4. de compoſitione Medicamentorum in genere.* His dum ætimur, captantes ſimul indicia à natura partis, quæ quò magis ſicca eſt, tantò ſicciora deſiderat medicamenta.

XIX.

De cura ulcerũ compoſitorum.

Quando ulcus eſt compoſitum cum affectione quadam contra naturam, quæ curam illius impedit, annitendum eſt, ut hæc auferatur, antequàm ad ipſius ulceris curam deveniatur. Hinc apparet, ſi cauſa efficiens ulceris ſit præſens, ab hac incipiendam eſſe curationem, ſive ea proveniat à vitio totius corporis, ſive ab aliquo membro principali, vel à parte affecta. Quapropter ſi corpus ſit plethoricum, quamprimùm mittendus erit ſanguis; ſi ſit cacochymum, erit purgandum: quòd ſi cerebrum, epar, lien, aut aliud membrum princeps malâ laboret diſpoſitione, ideóq; gignat copiam vitioſorum humorum, qui ad ulcus affluunt, illudq; reddunt dyſepuloticum, afferendum ante omnia remedium eſt vitio partis mandantis, antequàm curare incipiamas partem recipientem. Ad impediendum autem deſcenſum humorum, utile erit, totum circuitum munire repercuſſivis. Si verò in ipſa parte generentur vitioſi humores, qui faciunt ulcus cacoëthes, qualitate quâdam ſuâ manifeſtè malignâ, oppugnanda hæc eſt per contrariam. Hoc ſi medicamento obtineri non poſſit, ferro aut igne extirpandum erit malum. Præterea ſi morbus aliquis conjunctus ſit ulceri, qui id acerbius reddit, inflammationem puto, varices, vel tale quippiam, is morbus primò tollendus eſt, cùm ſit in cauſa, ne ulcus curam re-

ci-

cipere posſit. Idem faciendum eſt, ſi id comitetur grave aliquod ſymptoma, laborandum erit, ut id primò mitigaretur, tanquam malum magis urgens. Sic quoq; neceſſarium eſt, ut nimiæ ſordes abſtergantur, humiditas abundans deſiccetur, caries oſſis cauterio auferatur, excreſcentiæ carnis conſumantur, calloſæ margines labiorum ulceris abſcindantur, priusquàm ipſa cura tentetur.

NOTÆ.

QUANDO ULCUS EST COMPOSITUM.] Galenus *cap. 12. lib. 6. Meth.* monet Medicum, ut in cura morbi complicati tria præcipuè capita ſibi propoſita ſciat: cauſam, ordinem, & urgens. *Cauſa* vult ante omnia auferri, cùm hæc morbum producat. *Ordo* exigit, ut diſpoſitio, impediens curam, è medio tollatur primò, eſtque cauſa (ut loquimur) ſine qua non. *Urgens* requirit, ut primùm illis malis afferatur remedium, à quibus plus periculi formidandum eſt. Methodicus igitur Chirurgus, ſecutus monita Galeni, curaturus ulcus complicatum, *primò* conſiderabit, an cauſa ulceris cum eo conjuncta ſit, ut ea primò auferatur, deindè tentetur cura ulceris: *ſecundò*, an ibi morbus quispiam concurrat implicatus ulceri, quo non remoto, ipſum ulcus ſanari non poſſit, ut ab illo potiùs incipiatur cura, quam ab hoc proſpiciet: *tertiò*, ſi periculoſum aliquod ſymptoma adſit, ut huic quamprimùm obvietur; omiſſâ etiam propriâ ulceris curâ, donec illi ſatisfactum ſit, ſeriò animadvertet. Guido de Gauliaco quatuor proponit intentiones, ulcus complicatum methodicè curare volenti: *prima* eſt, ut præſcribatur conveniens vivendi ratio; *ſecunda*, ut divertatur & retineatur cauſa antecedens: *tertia*, ut auferantur malæ diſpoſitiones & accidentia ulcus comitantia: *quarta*, ut incarnetur & cicatricetur velut ulcus ſimplex. *Intentiones Galeni tres.* *Quatuor Guidonis intentiones.*

1. Primò igitur *ratio victûs* præſcribenda eſt tenuis vel abundans, pro viribus languentis & qualitate humorum. In conſideranda qualitate ciborum, ratio habenda eſt temperamenti & humorum, qui prædominantur in corpore, & ad partem confluunt: ut, ſi illi ſint calidi & acres, exhibenda erunt alimenta frigida, ut corrigatur calor & obtundatur acrimonia. *Cauſa antecedens* divertetur aut ſiſtetur evacuando & 2.

retrahendo humores peccantes, tàm in quantitate, quàm in qualitate, ſive ii abundent in corpore, ſive ad partem affectam affluant; quod fit miſſione ſanguinis, purgatione, cauteriis, ligaturis, frictionibus, fomentationibus, factis in parte oppoſita, & repellendo materiam retrò; ulcus per repercutientia. 3. *Tertiæ conſiderationi* variis modis ſatisfacimus, prout natura cujusque diſpoſitionis & ſymptomatis complicati cum ulcere exigit. Si igitur intemperies aliqua conjuncta ſit ulceri, auferenda ſtatim eſt per contrariam; putà, calor per res frigidas, quale eſt unguentum Rhaſis, ceruſatum, aqua & ſuccus plantaginis, roſarum, ſolani, ſedi. Intemperies frigidà corrigitur fotu vini calidi, in quo bullierint abſynthium, mentha, hyſſopus, pulegium, calamintha, rosmarinus, ſtœchas & ſimiles herbæ. Facit & hûc unguentum de althæa & baſilicum. Humidis opponuntur unguenta deſiccantia, quale eſt rubrum & diapompholygos; ſiccis fotus aquæ calidæ: ſuadente Galeno *lib. 4. Meth.* Si adſit dolor, mitigetur per anodyna. Si Phlegmone, Erysipelas vel alius tumor complicatus ulceri, curandus erit per remedia univerſalia & convenientia, veluti nos ſuo loco oſtendimus. Si ſuperfluitas carnis, quam Græci vocant ὑπερσάρκωσιν, in ulcere creverit, auferatur novaculâ vel cauterio, vel medicamento corroſivo, quale eſt alumen uſtum, pulvis de Mercurio, æruginis, chalcanthum uſtum, unguentum Apoſtolorum & Ægyptiacum, aqua fortis. Si labia ulceris calloſa ſint atq; dura, ſuadet Galenus illa abſcindere uſque ad partem ſanam: & ſi partibus vicinis ulceri pravus inſideat color, conſulunt Avicenna & Hippocrates, ut ſcarificentur, iisque cucurbitulæ imponantur. Quòd ſi varices adſint in femoribus aut tibiis, qui morantur ulcus, tentanda eſt eorum cura per remedia univerſalia & topica adſtringentia, adhibitis convenientibus faſciarum obligationibus: quòd ſi his remediis cedere nolint, mandant Hippocrates, Paulus & Aëtius, ut abſcindantur. Primò igitur fit inciſio in cute ſuper corpus venæ; deindè aperitur varix, & extrahitur ſufficiens quantitas ſanguinis; hinc ligatur tàm ſuprà quàm infrà filo ſerico duplice, & abſcinditur, utrâque ejus extremitate ſe retrahente atque occultante: & os carioſum in ulcere auferendum eſt. Hoc ut fiat, neceſſe eſt ut detegatur os corruptum, nudetur ab omnibus partibus: deindè, ut uratur candente ferro, ſemel atque iterum applicato, ubi id nigrum eſt, aſperum & carioſum: vel ut ra-

da-

datur impresâ satis profundè radulâ, donec sanguis profluat, & os appareat album solidumque. Si verò caries altiùs penetraverit, perforandum erit os pluribus foraminibus, quæ tantum, quantum ipsum malum, penetrent: deindè immittendum ferrum candens, donec os totum siccum evadat; hoc enim facto, quicquid corruptum est, separabitur ab osse inferiore, replebiturque cavitas carne, parumque aut nihil humiditatis eò affluet. Tàm diù enim exiccandus est locus, donec parsossis corrupta separetur. Præstabunt hoc optimè medicamenta cephalica, de quibus egimus in cura vulnerum capitis. Aufertur & quandoque caries ossis immisso fervente oleo, vel aquâ forti sive corrosivâ, aut alio cauterio potentiali. Os verò, quod omninò corruptum est, necesse est ut totum abscindatur. Anno salutis M. D. XCIII. cùm Musicus quidam in urbe Remorum grandi inflammatione correptus fuisset, supervenit ei ulcus in sinistri cruris parte interiore, quatuor transversos digitos supra malleolum. Cùm tempus ferè menstruum effluxisset, tàm propter cacochymiam totius corporis, quàm malam affectæ partis dispositionem, repentè nova accidit affluxio humoris, tanta quidem & tàm maligna, ut extincto naturali membri calore, subitò id gangræna invaserit, quæ tamen sublata fuit. Sed ab eo tempore cœpit continuò exire per ulcus inter musculos & periostium sanies fœtida, magnâ quidem copiâ. Unde communicato consilio cum Antonio Piscatore, Johanne Testeleto & Johanne Juberto, Chirurgis in Remorum urbe juratis, visum est mihi atque illis, incisionem facere usque ad os; rectà per longitudinem tibiæ ad quinque vel sex digitos: hoc facto, cùm os nudavissemus, invenimus id nigrum, scabrum totumque cariosum. Intellectâ mali gravitate, constituimus id terebrando perforare usque ad medullam, idemque facere pluribus in locis minoribus terebellis, deindè bis terve applicare cauterium actuale, impositis pulveribus catagmaticis, factis ex radicibus iridis Florentinæ, aristolochiâ, mastiche, myrrhâ, farinâ hordeaceâ, & his similibus: posteà visum est consumere & desiccare humiditatem superfluam ossis cariosi, & adjuvare Naturam hoc pacto in separando & exfoliando, utque posset sanam ossi superinducere carnem, & id, quod corruptum fuerat, expellere. Aliquanto tempore pòst, cùm animadverterem totum os detrimentosum, aliquo modo elevatum, & propè ab omnibus partibus separatum esse,

extraximus id omninò foràs beneficio instrumenti elevatorii. Ex eo tempore vidimus, quo pacto cœperit caro generari in modum granorum mali punici, in ipsa cavitate loco medullæ, super ossè inferiùs sano, elevatâ à Natura & foràs propulsâ parte ossis superiore corruptâ, ad longitudinem unius palmi, & latitudinem duorum pollicum. Ablatâ hunc in modum omninò carie, restabat, ut consolidaretur tàm grande ulcus: quanquàm non sit dissimulandum, remansisse particulam ejus, quæ inductâ cicatrice claudi consolidarique non potuit. Vides, Lector, primò omnium curandos esse morbos & symptomata complicata cum ulcere, deindè ad propriam hujus curam accedendum, quæ in eò consistit, ut repleatur cavitas carne, deindè cicatricetur, velut à nobis dictum est in cura Ulcerum simplicium.

REGULÆ, COMPLECTENTES METHODUM CURANDI FRACTURAS OSSIUM & LUXATIONES.

I.

Quid sit fractura.

FRACTURA est solutio continui, facta in osse, ab aliqua causa externa, quassante, comminuente & conterente. Græci vocant κάταγμα. Estq; fractura vel simplex, vel complicata cum alia aliqua dispositione contra naturam.

NOTÆ.

Trãsitus ad morbos ossiũ.

FRACTURA EST SOLUTIO CONTINUI.] Hactenus de morbis partium corporis mollium diximus, qui auxilio manûs indigent; restat, ut etiam illos persequamur, qui ossibus supervenire solent. Si igitur ossa violenti aliquid perpetiuntur, vel rumpuntur, vel moventur à loco suo, tunc duplex ægritudo ossibus accidit, *Fractura* & *Luxatio*. In definitione fracturæ genus posuimus *solutionem continui*: addidimus *factam in osse*, ad differentiam tumorum, vulnerum & ulcerum, quæ carnosis accidunt partibus. *Ab aliqua causa exter-*

terra, quassante, comminuente & conterente, i.e. proveniente à contusione, lapsu è sublimi, ictu, vel allisione ad corpus durum & grave, ad differentiam luxationis, quæ fit à relaxatione interna, vel tensione externa.

SIMPLEX VEL COMPLICATA.] Principalis fracturarum differentia sumitur ab earum essentia, unde appellatur simplex, vel complicata; huc enim omnes divisiones reduci possunt. Galenus, secutus sententiam Hippocratis, & ipse duas tantùm fracturarum facit differentias, à forma petitas. Prior est, quando os transversim frangitur; posterior, quando in longum finditur instar baculi. Cùm autem ossa diversimodè rumpantur, Græci fracturis illis diversa imposuerunt nomina, quorum tamen Galenus rationem non habet. Vocant ergo ῥαφανηδὸν, fracturam in raphano, vel κυκλαδὸν, in caule, vel σικυηδὸν, in cucumere, quando os est simpliciter ruptum per transversum, nec in festucas aut testulas fissum. Et ῥαβδωτηδὸν, quasi asseris modo, cùm os in longitudinem tantùm finditur, & ἀλφιτηδὸν, ad similitudinem pollinis in farina, κραυηδὸν, in nuce, cùm os comminutum est in plures exiguas particulas, magnitudine grani triticei vel siliginei, crassè moliti, vel nucis contusæ malleo super incudem. Quando pars percussa non defracta est, sed ex opposito contrariis adversisve divisa fissuris, tunc à Græcis dicitur ἀπηχημα: ejusmodi autem fissuras fieri statuunt Hippocrates, Celsus, & Soranus. Ab horum opinione discedit Aegineta; sed recentiores illis adhærent, adducentes in testimonium experientiam. Ponit Albucasis, cum recentioribus, etiam alias differentias fracturarum, à locis, in quibus contigerunt, petitas, veluti fractura clavicularum, costarum, brachiorum, crurum, aliarumque partium corporis.

Differentiæ fracturarum.

II.

Cognoscitur os ruptum judicio sensûs: dum enim tractatur locus quassatus, inveniuntur partes ossis separatæ, auditurque strepitus quidam ex attritu ossium sese invicem contingentium; figura membri apparet inæqualis; æger sentit dolorem, negat fracto membro uti potest.

Signa fracturæ ossis.

NOTÆ.

COGNOSCITUR OS RUPTUM.] Sunt signa fractu-

rarum ſenſibilia: percipiuntur enim tactu, auditu & viſu, ſi os ruptum ſit, præſertim ruptura transverſa & in extremitatibus. Judicamus etiam eſſe ibi fracturam, tàm ex magno dolore, qui oritur à læſione perioſtii, & membranæ, quæ operit medullam, ſed & ſenſu aliarum partium, quæ premuntur aut punguntur; quàm impotentiâ partis affectæ, inprimis ſi fractura contigerit in oſſe adjutorio, in majore oſſe cruris: radii enim, qui majoribus oſſibus in brachiis & tibiis ſubſternuntur, ſerviunt tantùm ſuſtinendis muſculis, non corpori, ut oſſa grandiora. Si verò fractura vel potiùs fiſſura ſit ſecundùm longitudinem oſſis, ea non deprehenditur, niſi per extuberantiam quandam non naturalem in ſubſtantia oſſis, cum dolore & inæqualitate, ut Guido ait. Avicenna putat, multum facere ad cognitionem fracti oſſis, in quacunque parte ſit, notitiam cauſarum præcedentium. Sed ianè conjecturalia duntaxat ſunt illa ſigna, non verò certa. Anno Salutis M.D.XCIV. menſe Decembri, civis quidam Remenſis ſexagenarius, nomine Sobinetus, cùm deſcenſurus in cellam vinariam per triginta gradus ſcalæ delapſus fuiſſet, accepit vulnus in fronte, transverſum digitum ſupra oculum ſiniſtrum, penetrans uſque ad pericranium: hîc ſi quis in ſola magnitudine cauſæ ſubſtitiſſet, facilè judicâſſet fractum eſſe cranium, neceſſe ergo eſſe, ut aperiretur id, atque terebraretur; cùm autem aliud ſignum fracti cranii non appareret, quàm nuda illa conjectura, omiſsâ illa operatione curatus fuit, & ſpacio octo dierum perſanatus à Simone & Johanne Vatriis, Chirurgis Remenſibus, me præſente.

III.

Quid ſit luxatio.

Luxatio eſt prolapſus articuli extra ſuum proprium locum in alienum, impediens motum voluntarium, proveniens ab aliquâ violentâ tenſione externâ, vel relaxatione internâ ligamentorum. Græci vocant ἐξάρθρημα, quando junctura dislocatur, ut caput oſſis deſerat acetabulum ſuum. Παράρθρημα *Græci vocant, quam nos detorſionem dicere poſſumus, quando oſſa paulùm duntaxat averſa ſunt. Eſt autem luxatio vel ſimplex, vel complicata ſive conjuncta cum aliâ quâpiam diſpoſitione contra naturam.*

NO-

NOTÆ.

LUXATIO EST PROLAPSUS.] Definivi luxationem, cum Paulo Aegineta, exitum articuli extra proprium suum locum in alium non consuetum, unde impediatur motus voluntarius: adjunxi verò etiam, provenire eam per violentam tensionem externam, vel relaxationem internam ligamentorum; quia omnis dislocatio provenit vel à causis externis, cujusmodi sunt, lapsus ab alto, plaga livida, lucta, extorsio, accubitus, aliæque res similes, quibus membrum violenter extenditur; vel à causis internis, velut ab humoribus pituitosis, qui colliguntur vel descendunt in junctûras tantâ abundantiâ, ut madefaciant, relaxent & lubrica reddant ligamenta, quibus ossa colligantur, eáque ad extremum extra acetabulum suum extrudunt. Videmus hoc sæpè contingere in coxendice per morbum ischiaticum, inque vertebris, unde ægri gibbosi & distorti evadunt, quia vertebræ illæ à proprio loco demotæ sunt.

GRÆCI VOCANT.] Luxatio completa est, vel incompleta. Completa dicitur, cùm os omninò exit extra suum acetabulum: Incompleta, quando non omninò elapsum est. Differentia hæc (ut Paulus ait) in eo tantùm consistit, quòd in unâ sint ossa magis separata, quàm in alterâ. Illa tamen, in qua articulus planè è cavitate sua prolapsus est, nominatur à Græcis ἐξάρθρημα, *dislocatio*; hæc verò, in qua caput ossis aliquantùm duntaxat à loco acetabuli sui motum est, usque ad marginem ejus, ab iisdè Græcis παράρθρημα vocatur, *extorsio* à nobis. Fit autem utraque species quatuor modis: in parte anteriore, posteriore, interiùs, vel exteriùs. *Differentia luxationũ.*

LUXATIO SIMPLEX EST.] Præter hanc differentiam eti amalia est, ab essentia luxationis desumpta, unde & appellatur simplex, vel composita.

IV.

Si dislocatio fuerit in junctura, animadvertitur tumor in eo loco, ubi os prolapsum est, ut cavitas quædam in loco, unde exivit; sic ut membrum non sit sibi simile, neq; possit moveri, magnisq; vexetur doloribus. Signa luxationis.

ANNOTATIO.

Communia luxationis signa sumuntur à tribus rebus, (secundùm Avicennam) *à malâ conformatione partis affectæ*, quæ

in unò latere oſtendit tumorem contra naturam, in altero cavitatem inſuetam: ab *offenſa actione*, putà difficultate vel privatione motûs: & *dolore conſequente*, orto indè, quòd os non ſit in proprio ſuo loco, ſed premat carnem cum diſtenſione nervorum.

REGULÆ PROGNOSTICÆ,
DE EVENTU FRACTURARUM IN OSSIBUS ET LUXATIONUM.

I.

Prognoſis fracturarũ.

OMINAMUR & prædicimus pericula in fracturis oſſium, & diuturnitatẽ curæ earum, ſumpto judicio à magnitudine & naturâ tàm oſſis, quam fracturæ, & à morbis ſymptomatibuſq́, quæ eas comitãtur.

ANNOTATIO.

Per *naturam oſſis* intelligimus oſſium temperamentum, figuram, connexionem & ſitum: per *naturam fracturarum*, earum ſpeciem & figuram. Ut autem meliùs judicemus de eventu fracturarum, ratio etiam habenda eſt ætatis, & temperamenti, ſexûs, & diætæ, quam æger obſervat, nec minùs tempeſtatis anni & diſpoſitionis aëris.

II.

Fracturæ periculoſæ quæ ſint.

Eſt ergo fractura periculoſa, quando os fractum magnum eſt, aut ſi in plures ſit comminutum partes, aut ſi ingens ſit quaſſatio, vel non longè à junctura, vel complicata cum inflammatione vicinarum partium, diſtenſione nervorum, acutâ febri, aliiſq́ validis accidentibus. Sic quoq́, quò grandiora ſunt confracta oſſa, eò plus temporis requirunt ad conſolidationem. Præterea, quò ſunt duriora aut ſicciora, eò difficiliùs recoaleſcunt: contrà, quò molliora vel humidiora, eò faciliùs curam recipiunt, ſicut in oſſibus puerorum apparet.

NO-

NOTÆ.

FRACTURA PERICULOSA EST.] Hippocrates *in lib. de Fracturis* ait, non facilè convalescere eos, quibus os femoris vel brachii fractum per cutem exit, quia hæc ossa grandia sint, copiosamque habeant medullam, & ferè complures partes maximi momenti, putà nervi, musculi & venæ simul læsantur. Affirmat Celsus *cap. 10. lib. 8.* parum habere periculi, si scapulæ, brachia, femora, crura, digiti rumpantur in medio; tantò autem periculosiorem esse fracturam, quò propior sit capiti ossis, superiori vel inferiori, quòd tunc multò acerbiores dolores excitet, & difficulter curetur. Illam quoque rupturam minoris momenti esse, quæ simplex sit & transversa: molestiorem multò, in qua festucæ & assulæ: pessimam, si illæ sint acutæ & obliquæ.

SIC QUOQUE, QUÒ GRANDIORA SUNT.] Certum est, quò majora sunt ossa, eò plus illa requirere temporis, donec uniantur: cujusmodi est os femoris, quod, de sententia Hippocratis, ante diem quinquagesimum non coit. Ossa verò cruris & brachii coalescunt minore tempore, nempè intra quadragesimum diem. Mandibulæ, gena, clavicula, sternum, omoplatæ talus, os manûs & plantæ pedis curantur, teste Celso, vigesimo die. Præterea (ut Avicenna ait) defectus alimenti viscosi, & nimis frequens, infessio in aquam calidam, vel lavacra, impediunt, ne os coalescat, ut & crebra mutatio rerum, quæ fracturæ applicantur, putà fasciarum compressarum, acellarum sive ferularum: nimia adstrictio fracturæ, motus incompositus partis ægræ, tempus anni, regio, & his similia. Undè vix ac ne vix quidem certa regula præscribi potest, quanto tempore generari callus possit.

PRÆTEREA, QUÒ SUNT DURIORA.] Galenus *cap. 5. lib. 6. Meth.* affirmat, quò duriora atque siccriora sint ossa, eò difficiliùs consolidari: contrà, quò sint molliora vel humidiora, tantò facilius ea sese amplecti: quod patet in pueruloruin ossibus. Nam & communiter fracturæ ossium faciliùs curantur in juvenibus, quàm grandioribus natu, quòd ossa juniorum adhuc plena sint succo glareoso & viscoso, & abundent humiditate naturali, radicali & substantifica: sicut & ossa confracta in corporibus temperamenti sanguinei faciliùs reduniuntur, quàm in cholericis.

III.

Prognosis luxationū.

Signa prognostica, è quibus sumitur judicium, an luxatio sit periculosa & ad curandum difficilis, consistunt inprimis in ipsius luxationis magnitudine, in causis illius & tempore, in morbis & accidentibus, quæ eam comitantur.

ANNOTATIO.

Sumuntur & aliquando ab inclinatione ossis luxati, à figura articulorum, & habitudine corporis.

IV.

Quæ dislocationes sint præ cæteris periculosæ.

Ossa valdè luxata & longiùs remota à cavitate sua, difficiliùs reducuntur: estq; plus periculi in dislocatione proveniente à causa interna, quàm ab externa: cùm constet, junctu ram semel disjunctam per humorem aliquem superfluum, qui ligamentum relaxavit, etiamsi reducatur, semper tamen obnoxiam esse subsequenti dislocationi. Luxatio vetus, quia cavitas junctura repletur carne, & caput ossis sibi aliquando alium situm delegit, non benè restitui potest in naturalem suum locum; & si fortè remittatur, non diù ibi manet, sed mox rursum foràs prolabitur. Luxationes conjunctæ cum vulnere, inflammatione, convulsione, vel aliis gravibus accidentibus, sunt longè periculosissimæ.

NOTÆ.

OSSA VALDE' LUXATA.] Etiam dislocatio, in qua ruptæ sunt margines concavitatum ossis, pessima est, ait Guido. Cùm enim articuli remittuntur in locum suum, diù ibi hærere non possunt, sed quâvis levi occasione rursus excidunt.

EST'QUE PLUS PERICULI.] Luxatio à causa interna remissa, (inquit Pareus) facilè de novo dislocari potest; quia ligamenta imbuta & madentia humore superfluo, in acetabulum illapso, non possunt os firmiter continere. Idem quoque accidit, si ligamenta rupta sint; nam si quis putat, ægrum

jam

jam convaluiſſe, oſſa rurſus exeunt è loco ſuo, iterumque remiſſa, non poſſunt ibi diù contineri. Interdum ligamenta non prorſus abrupta ſunt, ſed portio quædam illorum, undè actio partis illius debilitatur, non verò omninò perditur.

LUXATIO VETUS.] Omnis inveterata dislocatio & tractu temporis indurata (ait Guido) difficilimè curatur, eſtque fermè incurabilis: cujus rei ratio eſt, quòd locus iſte, in quem oſſis caput ſe demiſit, ſuccedente tempore durus fit & calloſus, obtinetque locum junctura; quódque acetabulum impletur carne ab humore ſuperfluo generatâ; qui ſe paulatim in eam cavitatem inſinuavit; quódque ligamenta ſint nimis extenſa. Quin-imò, ſi quis luxationem non tempeſtive remittat, ſolet ſupervenire inflammatio & alia accidentia, quæ reductionem impediunt. Vides cauſam, ob quam Hippocrates jubeat reduci omnes articulos dislocatos, dum adhuc calent à dislocatione, ſi fieri poſſit.

CONJUNCTÆ CUM VULNERE.] Author eſt Avicenna, luxationes conjunctas cum vulnere, inflammatione vel magno dolore, præterquàm quòd difficilimè curantur, non eſſe ſine evidenti periculo; ut ſatius aliquando videatur in tali caſu, partem luxatam non reducere, quàm id tentare: quòd hoc vix fieri poſſit ſine læſione, vel etiam ſine periculo ſupervenientis mortis. *Quæ luxatio incurabilis.* Si caput (inquit Tagautius) excidat aliquando retrorſum, nunquàm in cavitates ſuas remitti poterit, ſed continuò & inevitabiliter ſequetur mors, ob compreſſionem medullæ ſpinæ dorſi. Pariter & vertebræ ſpinæ, quando illæ omninò è loco ſuo motæ ſunt, & mandibula utrimque dilapſa, ſi ante remiſſionem jam adſit inflammatio, difficulter reſtituuntur. Disjunguntur autem vel rejunguntur etiam oſſa faciliùs vel difficiliùs, pro natura junctura rum. *Quid faciat natura juncturarũ ad reſtitutionẽ luxationis.* Sicut enim genu facilè excidit loco ſuo, ſic etiam ſine magno labore reponitur. Nec multum creat laboris reſtitutio luxationis digitorum; atverò cubitus, ſicut tardè movetur & exit à ſtatione ſua, propter multas eminentias & cavitates, ita quoque non ſine multa moleſtia reſtituitur, ob eandem cauſam. Scapula, ut facilè exſilit, præſertim in hominibus macilentis, ita quoque reducitur ſine magnâ difficultate in locum ſuum: quod & de aliis judicamus. Celſus *cap.* 11. *lib.* 8. ait, habitudinem corporis & nervorum multum huc facere: ſi enim corpus gracile ſit, ſi humidum, ſi nervi & ligamenta debilia, os luxatum facilius reſtituitur, ſed & faciliùs & primâ occa-

Quid habitudo corporis valeat in juncturis?

ſio-

sione rursus elabitur, ægréque relocatum continetur. Quibus contrarium est temperamentum, horum ossa, etsi difficiliùs luxata remittantur, firmiùs tamen restituta hærent.

REGULÆ, AD RECTE AC METHODICE CURANDAS FRACTURAS OSSIUM, & LUXATIONES JUNCTURARUM.

I.

Scopi in fracturis curandis tres.

CHIRURGO, os fractum restituere cupienti, tres proponuntur scopi: primus *est, ut reducat partes ossis rupti in suum locum:* secundus *ut eas ibi contineat, faciatq́, ut se mutuò amplectantur & conglutinentur:* tertius, *ut caveat, ne noxium aliquod accidens, putà inflammatio, febris, dolor magnus, superveniat, iisq́; quæ jam fortè supervenerint, remedium afferat.*

ANNOTATIO.

Galenus *lib. 6. cap. 5. Meth.* ostendit, principalem scopum Medici in curanda ruptura ossis in eo consistere, ut unaquæque coalescere faciat partes ossis divisas. Ad hunc finem ut perveniamus, quadruplici consideratione opus esse, ait Guido: *prima* est, ut os ruptum remittatur in locum suum: *secunda*, ut ibi conservetur: *tertia*, ut coalescat beneficio interedentis calli: *quarta*, ut corrigantur accidentia. Mihi verò facius visum est, secundam & tertiam in unam colligere, unde & tres tantùm scopos posui.

II.

Modus perveniendi ad primũ scopum.

Ut autem reducantur partes ossis rupti in locum suum, necesse est, ut extendatur membrum manibus ministrorum, aut vinculis circumpositis, aliquando etiam machinarum atq́; instrumentorum usu, si opus sit, &

in-

interim comprehendere membrum ambabus manibus utrâq; parte, & benè rejungere atq; reconcinnare fragmina oſſis rupti: & ſi quæ pars alicubi paulò altiùs elevetur, eam in rectitudinem remittere, adhibitâ curâ, ne eminentiæ oſſis rupti conquaſſentur: deindè paulatim relaxandum eſt membrum extenſum, ut muſculi ſe rurſus colligant ſicut anteà. Utq; retineantur unitæ atque rejunctæ partes oſſis, quæ ruptæ fuerant, neceſſarium eſt, ut imponantur illis medicamenta reſtringentia, compreſſæ, ferulæ, faſciæ & ligaturæ, utq; teneatur membrum affectum rectè ligatum in ſua figura & ſitu naturali, ſine aliquo motu. Ad ſecundum.

Cumq; fuerit tempus, adjuvanda eſt Natura in generatione calli, ut conglutinentur partes oſſis rupti, ſeq; mutuò amplectantur: quod fit uſu alimenti viſcoſi & probè nutrientis, & applicatione medicamentorum ſubſtantiæ emplaſticæ. Ad tertiũ.

Ad præcavendam autem ſupervenientem ab initio inflammationem, febrem, aliaq; gravia accidentia, leviter nutriendus eſt æger cibis delicatioribus, imperandumq; ei, ut abſtineat à vino & carnibus, donec neceſſe ſit, ut callus crevtur. Eſt & aperienda vena, evacuanda excrementa, fovenda pars affecta oleo roſaceo, de myrtillis, faſciæ & compreſſæ tingendæ in oxycrato, oxyrrhodino, aliisq; pariter repercutientibus & corroborantibus, ut impediatur fluxio, quæ cauſa eſt inflammationis. Quòd ſi fortè illa jam ſupervenerit, applicentur remedia paregorica, & relaxetur aliquantùm ligatura. Quòd ſi vulnus cum fractura conjunctum ſit, auferenda ſunt exigua fragmenta & feſtuculæ, pungentes carnem, commiſtis cæteris inter ſe. Hinc ſuppuretur, mundificetur, incarnetur & ad cicatricem perducatur vulnus, impo-

Ad quartũ.

nen-

nendo ſemper oſſi patenti medicamenta deſiccantia, & laxæ habendæ ſunt faſciæ, neq; tàm celeriter apponendæ ferulæ.

NOTÆ.

1. *Cur neceſſaria ſit extenſio membri?*

UT AUTEM REDUCANTUR PARTES.] Ut ad primum ſcopum perveniamus, requiruntur duæ operationes: prior, eſt extenſio membri; poſterior, apta & recta partium fracti oſſis collocatio. Ut primùm enim oſſa rumpuntur, reducunt ſe maſculi verſùs originem ſuam, undè impoſſibile eſt eos reducere, niſi priùs reducatur membrum fracturâ affectum. Fit autem extenſio membri fracti (ut Galenus ait) vel manibus miniſtrorum, ſi membrum parvum ſit, vel vinculis circumpoſitis, vel per machinas, ut nobis oſtendit Hippocrates *in ſua antitaſi*, i.e. *contra extenſione oſſis*. Cogitur enim Chirurgus uti machinis, quando manus non ſufficiunt ad trahendum, ſicut in fracturis majorum oſſium & robuſtis corporibus. Magnâ tamen hîc cautione opus eſt, ne nimis illa omnia fortiter intendantur, néve rumpantur muſculi aut nervi, oriatúrque indè dolor, convulſio, paralyſis, gangræna, aliáve pernicioſa accidentia. Igitur ſi membrum (inquit Celſus *cap.* 10. *lib.* 8. valdè extenſum fuerit paulò ultra naturalem ſuam longitudinem, tunc impellenda ſunt oſſa, ut redeant in locum ſuum, & ſi quid ibi protuberet eminétve, deprimendum manu: inprimis autem (ſuaſore Galeno) cavendum, ne, dum id fit, eminentia quæpiam oſſis rumpatur, quia ſegmen aliquod aut minima particula incidens partibus ſeparatis earum impediat reunionem: vel ne aliquid relinquatur ſpacii inter ipſa oſſa, in quo colligi poſſit ſanies, ſucceſſu temporis totam illam partem corruptura.

Cautela in extenſione.

2. UTQUE RETINEANTUR.] Factâ reductione veniendum eſt ad ſecundum ſcopum, ut os ruptum & remiſſum firmiter retineatur in loco ſuo. Neque enim ſufficit, ut os fractum concinnè ſit poſitum, ſed oportet ut ita compoſitum maneat, ne ullo modo ſe movere poſſit. Fit hoc beneficio faſciarum & ligamentorum, quæ non nimis debent eſſe arcta, ut conſtringant lædantque, neque nimis laxa; ita tamen, ut membrum priùs perunctum ſit cerato molli, (quod Hippocrates & Galenus ſuadent) vel oleo roſaceo tepido, (ut recentiores malunt) aut oleo de myrtillis, vel maſtiche, inſperſo etiam pulvere è maſtiche. Prima obligatio facienda eſt faſciis,

ſciis, quos Hippocrates appellat ὑποδεσμίδας: deindè linteis, quæ vocamus compreſſa: poſt hoc tæniis foràs convolutis, quas Græci vocant ἐπιδέσμους: conſequenter ferulis: & poſtremò lemniſcis, quibus continentur ferulæ. Faſciæ ſunto lineæ, leves, delicatæ, molles, ſine ſuturis, firmæ tamen, non ſiccæ, ſed madefactæ oxycrato, oxyrrhodino, vino craſſo & auſtero, vel alio liquore appropriato. Convenit & ligamenta iſta lata eſſe, præterquàm ubi membra ſunt inæqualia; ibi enim anguſta ſunt meliora: longitudo iis tanta eſſe debet, ut ſufficiat oſſi, quod remiſſum eſt, firmiter continendo. Faſciæ inferiores, quæ primum locum obtinent in obligando, quæq; partem immobilem tenent, &, dum repellunt, inflammationem ab illa arcent, duæ vel tres ſunt: quarum prior ter circumvoluta fracturæ, ſurſum ducitur in formam cochleæ: ſecunda contrario ductu pergit à fractura deorſum: & tertia gyratur ſuper has adſcendendo. Ad ſecuritatem autem & firmitatem hujus primæ obligationis, ipſiuſque adeo fracturæ invenit Hippocrates adminiculum quoddam, quod eſt, ut applicentur compreſſæ cerato humido coopertæ, quæ ipſi ligamento pares ſunt in longitudine, latitudine trium vel quatuor digitorum. Faſciæ ſuperiores, quæ compreſſis illis imponuntur, debent eſſe duæ, interque ſe æquales, ducunturque contrario plexu, ità, ut una ab inferiore loco ſurſum adſcendat verſùs dextram, altera à ſuperiore deſcendat verſùs ſiniſtram. Tandem his omnibus accommodandæ ſunt ferulæ ſive aſſulæ, ut contineant os in loco ſuo, & totam ligaturam firmiorem præſtent. Urebantur his veteres nullo modo ante ſeptimum diem, metu inflammationis: at recentiores (niſi inflammatio adſit, quæ prohibeat) applicant illas primo ſtatim die. Oportet autem, ut ferulæ ſint leves, unitæ, involutæ cannabe vel lanâ, hinc & illinc breviores quàm ligatura, eo loco, ubi fractura eſt, latiores & fortiores, ita ut una ab altera transverſi digiti latitudine diſtet, caveaturque, ne applicentur juncturis vel eminentiis oſſium. Cætera Chirurgo nota ſint oportet. Membro ad hunc modum obligato, danda eſt opera, ut id ita collocetur, velut ſitus ejus requirit, & ut quàm maximè à dolore abſit. Præcipit Hippocrates, ut ſolvatur ligatura alternis diebus, donec ferulæ imponantur fracturis: ut adhibeatur parti ægræ fotus aquæ calidæ, ad evacuandos humores ibi contentos, quos neceſſe eſt per evaporationem educere, ne dolorem concitent vel pruritum.

ADJUVANDA NATURA IN GENERATIONE CALLI.] Notandum est, ossa rupta ob siccitatem suam se non posse amplecti invicem, quod tamen caro potest, sed quòd denuò conjungi & velut conglutinari debeant intercedente durâ quâdam substantiâ, quam *callum* appellamus, quæ generatur ex eo, quod restat à proprio eorum nutrimento. Sicut enim callo sive glutinæ conjungimus diversas partes ligni, sic callo fracta ruptave ossa, ut agglutinari potiùs quàm concrescere dicantur. Hac de causa talis victûs ratio observanda est, quæ generet sanguinem tàm in quantitate, quàm in qualitate, aptum ad producendum callum. Ubi igitur callus incipit crescere, debet æger uberiùs, quàm antea, nutriri cibis succulentis & glutinosis, cujus generis sunt, pedes vitulini, vervecini, hœdini, oryza, & his similes. Adjuvant & medicamenta substantiæ emplasticæ, quæque moderatè calefaciunt incrementum calli, (teste Galeno:) sicut ex adverso resolventia callum minuunt: ea verò, quæ sanguineis applicamus vulneribus, conservant callum jam generatum. Dabunt fasciæ inferiores (ait Paulus) indicium generati calli, si absque vulnere appareant sanguineo colore tinctæ.

De generatione calli in ossibus.

Tertius scopus in cura rupti ossis.

AD PRÆCAVENDAM AUTEM.] Eo ipso, dum curat Chirurgus os fractum, debet continuò obviare accidentibus, quæ tertia ejus est intentio. Id optimè faciet, si studuerit impedire omnibus modis fluxionem ad partem affectam properantem, ut arceatur simul inflammatio, dolor, & alia id genus accidentia. Hinc est, quòd Hippocrates *in lib. de Fracturis* præcipit, ut æger ab initio usque ad decimum diem tenuiori & angustiori victu utatur, interdicto usu vini & carnium; utque vescatur tantùm cibis tenerioribus, hordeo mundato, rumice, malvâ, atriplice, betâ, cucurbitis, piscibus saxatilibus, aliisque similibus alimentis, quæ beneficium alvi salvum præstant, quòd per id tempus majus ab inflammatione, quàm aliis accidentibus, immineat periculum. Galenus *cap. 4. lib. 6. Meth.* insuper monet, eo ipso tempore phlebotomiam & purgationem improbari non solere, in eum ipsum finem. Præter autem hæc remedia universalia, topica quoq; multùm ad rem faciunt, quibus inest virtus corroborandi & humores repellendi.

Quid faciendū in vulnere.

QUOD SI VULNUS.] Si fractura (inquit Aegineta) conjuncta est cum vulnere & fluxu sanguinis, hic primùm omnium sistendus est. Si inflammatio, utimur remediis conve-

venientibus. Si caro valdè contusa est & livida, scarificamus, ne gangræna partem invadat. Si jam gangræna supervenerit, vel alia quæpiam putrefactio corrodens, afferimus remedia, quæ convenire judicamus. Si pars ossis non magna conspectui patet, ubi prius abstulimus testulas & fragmina contusi ossis, (idque ex disciplina) quæ moventur & pungunt partes vicinas, jungimus labia vulneris per futuram, vel alio modo, curamusque id ut alia vulnera sanguinea. Quòd si magnum aliquod os emineat & extet, quod factâ extensione non redeat in suum locum, obstante magnitudine ejus, ibi magnâ utendum est prudentiâ & diligentiâ. Censet Hippocrates, si ossa lacertorum & femorum fracta extrà promineant, ea prorsus restitui redaptarique non posse, prædicitque periculum ab inflammatione, non sine convulsione musculorum & nervorum propter extensionem. Nos tamen tempus docuit, aliquoties in his manum non frustrà adhibitam fuisse, si extensio ossis prominentis facta fuit primo die, antequàm supervenerit inflammatio, vel circa nonum diem, ubi illa jam finita fuerit. Nos quidem remittimus tale os, utentes instrumento quodam, quod Græci μοχλίσκον vocant; ligatura verò ad hunc modum habet: Fiunt revolutiones circulares fasciæ super partes, quæ sunt ab utraque parte vulneris; & revolutiones obliquæ secundùm longitudinem ulceris, ut decussatæ fasciæ figuram litteræ X exprimant. Si vulnus sordidum sit & impurum, adhibentur mundificantia & abstergentia; si verò purum, unguenta incarnantia cum linamentis. Postquàm vulnus carne repletum fuerit, applicanda erunt assulæ sive ferulæ. Quidam eas apponunt ab initio, sed non circa ulcus, easque vel adstringunt, vel relaxant, ut occasio & necessitas requirit. Si facienda est exfoliatio vel separatio particulæ alicujus ossis, (quod indè cognoscitur, si plus humoris liquidi de vulnere prodeat, quàm solebat, & caro circa ulcus mollis & inflata elevetur) laxiorem facimus ligaturam, deindè extracto fragmento ossis, quod fit uncinulo vel alio simili instrumento, eam rursus adducimus. Interea temporis, dum ulcus durat, applicamus supra linamentum emplastrum aliquod, habens virtutem impediendi inflammationem, facimusque ligaturam simplicem, quæ singulis diebus aperiatur, non oblatâ inferiore ligaturâ. Et hæc sentit Aegineta. Reprehendit Hippocrates *in lib. de Fracturis* Chirurgos, qui extendere & obligare solebant fracturam ulcere

Error in fractura, ab Hippocrate deprehensus.

nondum curato : deindè eos, qui obligabant partes vicinas ulceri, & non ipsum, causantes hoc modo inflammationem & gangrænam in ulcere. Nec minùs eos, qui primis quatuor diebus nullius rei rationem habebant præterquàm ulceris, quarto demùm die extendentes & obligantes fracturam, quo die inflammatio omnium maxima est. Nec eos probat, qui obligabant fracturas ulceratas cum eminentiâ ossis, ac si essent fracturæ simplices, nempe subligationibus strictis angustisque, cùm eas adhibitis compressis obligare debuissent, ut continerent duntaxat membrum. Quod supereſt, involvit Hippocrates post primam revolutionem totum vulnus unâ ligaturâ latiore, ut nihil omninò apertum maneat. Et quia ligaturam facit laxiorem, quàm si nullum vulnus adesset, compensat laxitatem illam multitudine fasciarum, unâ super alteram impositâ, compressas tingit vino nigro & austero, ad roborandam partem & repercutiendos humores. In venias complures Chirurgos, qui ab initio usque ad finem a liis non utuntur medicamentis, quàm adstringentibus & emplasticis, contra methodum Hippocratis & Galeni ; cùm constet, adstrictione illâ & emplastratione illos obstruere poros cutis illius membri. Hoc dum faciunt, augent calorem extraneum, undè grandis provenit pruritus, generaturque sub cute humiditas serosa, acris mordensque, undè gignitur ulcus. Jubet Hippocrates ægrum uti ratione vivendi arctiore & tenuiore, quàm si vulnus nullum adesset. Idem facit Celsus, qui & suadet secare venam, si non videatur satis sanguinis è vulnere prodiisse, ut occurratur inflammationi, febri aliisq; accidentibus, monetque potiorem habere curam vulneris, quàm ossis. Pater meus, postquàm abstulisset fragmentula ossis rupti separata, inprimis operam dabat, ut decenter mundaretur vulnus, corroborataque pars affecta præservaretur à gangræna aliisque pernicioſis accidentibus. In hunc finem exhibebat ægro potionem suam vulnerariam, quâ ab initio uti solebat, postea secundam. Ipsi vulneri non imponebat medicamenta suppurantia, neque pinguia aut humida, sed ab initio utebatur clementer mundificantibus, deindè fortioribus. Abhorrebat autem à topicis emplasticis, quorum loco applicabat corroborantia. Non pigebit autem inter tot egregias curas fractorum ossium cum vulnere, quas adolescentulus ipsum feliciter perficere vidi & notavi, duas trésve notabiliores in gratiam juniorum Chirurgorum adscri-

Error modernorum, à Pareo observatus.

ſcribere, ut habeant, in quo ſe exercere poſſint. Anno à nato Chriſto M. D. LXXIX. accidit, ut miles quidam è centuria fratris Regis perſequeretur ruſticum hominem è pago Tupignio, cúmque eum aſſequi non poſſet fugientem per campum, iratus miles tormentum, quod ferebat, in eum exploſit, globoque medium miſeri lacertum percuſſit, tanto quidem cum impetu, ut os brachiale omninò confringeretur, & ad quatuor digitorum longitudinem penitùs comminueretur, adeò ut, cùm extracta fuiſſent omnia fragmenta oſſis rupta atque ſeparata, tantum hiaverit vulnus, ut per id, atq; ita per totum brachium, trajici manus facilè poſſet. Ibi pater meus non parum metuebat ſuperventuram gangrænam, unde neque ſuppurativum, neque pingue quippiam aut humidum vulneri imponebat, neque circa vulnus applicabat refrigerans aliquod aut emplaſticum; ſed primâ vice lavabat vulnus aquâ ſuâ vitæ, deſtillatâ cum marrubio, ſalviâ, betonicâ, aliisque deſiccantibus: deindè apponebat mundificativum ſuum, compoſitum è duabus partibus mellis albi, & unâ parte terebinthinæ. His imponebat compreſſas bono permadefactas vino, in quo coxerat ſalviam, abſynthium, agrimoniam, aliaque pariter corroborantia; cúmque benè obligâſſet brachium, circumpoſuit ei corticem tiliæ arboris, præſcriptâque bonâ vivendi ratione, exhibuit ægro potionem ſuam vulnerariam, quâ ſub initium uti ſolebat: ad hunc modum primis ſex diebus eum curavit. Deindè paravit mundificans fortius, è foliis marrubii & centaurii, ex radicibus iridis contuſis, quarum herbarum omnium ſingulos manipulos maceraverat per XXIV. horas in aqua ſua ardente, expreſſumque indè ſuccum coxerat cum melle ad firmam conſiſtentiam. Hoc mundificante uſus eſt deinceps bis in die, non tantùm in pulvere, intinctis in id linamentis, ſed & circa brachium in forma linimenti ad deſiccandum & corroborandum membrum. Aliquando etiam, cùm videret opus eſſe majore abſterſione in vulnere, addebat alumen, æruginem, & his ſimilia. Ad hunc modum perrexit, donec mundificatio perfectè abſoluta fuit, ubi incarnavit cavitatem, immiſſis turundis brevioribus ab utroque latere. Repleta ad hunc modum lacuna carne, cœpit ea paulatim firmior fieri & calloſa, ad faciendum officium oſſis, ſuſtinebatque ſe jam brachium ſuâ ſponte, neque curvabatur ampliùs in loco vulneris. Sicq; factum eſt, ut tanta fractura penitùs conſolidaretur, & ad ci-

Exempla aliquot curatarũ fracturarum cum vulnere.

I.

catricem perduceretur vulnus ſpacio quinque menſium.

2. *Hiſtoria curata fractura cum vulnere.* Menſe Octobri Anni ſalutiferi partûs cIↃ IↃ LXXXI. vir Nobilis quidam Caſtelleti in Arduenna ſylva Toparcha, cùm militaret in agro Cameracenſi pro Alenconio Duce, recepit ictum glandis plumbeæ majoris in medium crus dextrum, qui ictus utrumq; os cruris penitùs contrivit comminuitque ad quatuor digitorum transverſorum longitudinem, dilaceratis perruptisque cum cute partibus muſculoſis ſuræ. Chirurgi Regii, cùm viderent læſionis magnitudinem & difficultatem, jam expediebant inſtrumenta, ut amputarent penitùs crus malè affectum. Dum in eo toti ſunt, fortè ſupervenit Dux Elbovius, qui nolebat permittere, ut ei crus abſcinderetur, dicens, videri ſibi adhuc locum eſſe manui medicæ. Illi igitur aliud nihil tunc quidem, quàm defenſivum, applicuerunt, factum ex bolo Armenâ, farinâ triticeâ, oleo roſato & oxycrato. Poſtero die æger, monitus à dicto Principe, miſit ad Guiſam oppidum, qui patrem meum vocarent ad curam tanti vulneris ſuſcipiendam. Venit is, detectoque vulnere, cùm ſcrutatus id fuiſſet digito, extraxit bonam partem fragmentorum & feſtucarum quaſſati oſſis. Expurgatâ ſanie trajecit grande linamentum mundifico perunctum unguento è duabus partibus mellis albi & unâ terebinthinæ per vulnus, adjectis pluribus turundis eodem medicamento illitis, pulvilliſque ſimilibus: ablatoque emplaſtro defenſivo, quod obſtructis poris ſuffocabat calorem naturalem, ſtupefactis mortificatisque membris, imponebat toti viciniæ vulneris ſtuppas cannabinas immerſas vino, in quo coxerat ſalviam, abſynthium, agrimoniam, marrubium, & ſimiles herbas, ad vivificandum & corroborandum membrum: deindè obligavit crus, ut convenit, idque depoſuit ſuaviter in corticem tiliæ. Ipſi ægro bonam præſcripſit diætam, cum potione vulnerariâ, quam ab initio ſauciis exhibere ſolebat. Ad hunc modum tractavit eum primis ſex diebus. Hinc, cùm vulnus ad ſuppurationem veniſſet, cœpit id quotidiè bis curare, lavare, & ſyphone aquam ſuam vitæ inſpergere, uſus intùs mundificante ex melle cocto cum aquâ ejus ardente, in quâ maceraverat marrubium, centaurium & iridem, unxitque totum membrum. Si videbatur opus eſſe majore abſterſione, addebat æruginem & alumen. Mutabat etiam juſto tempore potionem vulnerariam in aliam magis deſiccantem & abſtergentem; eſtque ad hunc modum perſe-

secutus curam, donec ea absoluta fuit. Aliquanto tempore, antequàm superiora illa contigissent, accidit, ut Fajettæ Dominus, Legatus Ducis Guisii, cùm Lutetiæ Parisiorum esset, ictum ungulæ equinæ in crure reciperet gravissimum, unde latè os tibiæ fractum fuit cum vulnere, quod quamvis diligentissimè curatum fuerit per duos menses à juniore Chirurgo Ducis Guisii homine docto in suâ arte; cui & Ambrosius Pareus sæpè adfuit, aliique Chirurgi Parisienses expertissimi; impedire tamen, ob nimis magnam contusionem, non potuerunt, ne vicinæ partes apostematibus exulceratæ fuerint: quæ res eos ad consilium amputandi cruris adduxit. At æger, cùm à tàm odioso remedio abhorreret, vocavit ad se patrem meum, quo cum profectus in arcem Guisianam, per quatuor menses eodem fermè modo curatus est, quo Nobilis ille, cujus in superioribus recitavimus historiam, eo quidem eventu, ut firmiter insistere cruri, & deinceps rectus ingredi potuerit. 3. *Historia*

III.

In cura Luxationum tres scopi proponuntur Medico, ut & in cura fracturarum. Primus *est, ut remittatur os dislocatum in locum suum:* secundus, *ut remissum ibi maneat:* tertius, *ut impediantur noxia accidentia, vel si jam supervenerint, corrigantur. Cùm omnis luxatio consistat in vitiosa situatione partium, erit curatio ejus nihil aliud, quàm correctio vitiati situs, ut benè Gormelenius inquit post Tagautium, sequente utroq; Galenum. Hoc ut obtineatur, proponit Guido Chirurgo quatuor intentiones.* 1. Ut remittat os dislocatum in suum acetabulum. 2. Ut id in eo conservet. 3. Ut impediat, quæ supervenire possent. 4. Ut corrigat ea, quæ jam supervenerunt. *Mihi tamen compendiosius visum est ad tres reducere, conjunctis tertiâ & quartâ. Ad reponendum os dislocatum opus erit, ut fiat extensio membri manibus, vel vinculis aut instrumentis propriis, deindè* In quibus cōsistat cura luxationis. Prima intentio:

impellendum eſt os, quod excidit, clementer in ſuum a-
Secunda. *cetabulum, per eandem viam, per quam exivit. Remiſ-*
ſum ita, continendum eſt firmandumq́, ne denuò exci-
dat, per reſtringentia, compreſſas, ligaturas, collocando
partem affectam conveniente loco & ſitu, ut quieſcat.
Tertia. *Ad præcavendam autem inflammationem, fluxionem,*
& dolorem, qui illam movet, admovenda ſunt non tan-
tùm reſtringentia aliaq́ remedia topica, quæ corrobo-
randi vim habent, ſed etiam victus tenuis obſervandus,
modicéque refrigerans, tantiſper, donec membrum ex-
tra periculum inflammationis fuerit; accedente ſi opus
ſit, phlebotomiâ & purgatione. Ubi verò phlegmone lu-
xaturam comitata fuerit, huic ante omnia remedium
afferatur neceſſe eſt. Si verò acceſſerit vulnus ad luxa-
tionem vel fracturã, tentanda eſt primò reſtitutio dislo-
cati oſſis in locum ſuum, deindè curandum vulnus, vel
fractura. Si luxatio vetus ſit, & jã indurata, neceſſe eſt,
ut emolliatur durities illa, antequàm tẽtetur reductio.

NOTÆ.

Operationes in primo ſcopo duæ.

AD REPONENDUM OS.] Ad primum ſcopum ut perveniamus, duæ operationes ſunt neceſſariæ. *Prior* eſt, ut extendatur membrum luxatum, trahendo id, donec liberum ſpacium ſit inter oſſa disjuncta. Hoc ut fiat, prout muſculi & ligamentã ſunt valida, & oſſa hûc vel illûc tranſportata ſunt, utimur nunc quidem manibus tantùm, aliàs vinculis, aliquando machinis, non ſecùs ac in fracturis. *Poſterior operatio* eſt, ut propellatur os dislocatum in locum ſuum. Hoc dum facit Chirurgus, diligenter conſiderabit, (ut Galenus ait) ubi dislocatio articuli initium ſumpſerit, quo prodierit, ubi conſtiterit. Hinc tentanda eſt reductio ejus in locum ſuum per eandem viam, redeundo uſque ad initium luxationis. Cognoſcitur autem os dislocatum jam reſtitutum, cùm auditur ſonus aliquis intrantis in acetabulum ſuum oſſis, & cùm pars, quæ elevata fuerat, tàm tactu, quàm viſu ſimilis apparet membro ſano in figura & magnitudine.

RE-

REMISSUM ITA CONTINENDUM EST.] Factâ extensione membri luxati, quæ Græcè dicitur ἀντίτασις, & reductione ossis demissi in suum locum, quam iidem Græci vocant ἀποκατάστασιν & καταίρτησιν, incumbit id retinendi labor, qui consistit in duabus rebus: in *ligatione*, quę Græcis est δέσις, & *situatione membri in figura mediocri, ubi requiescat expers doloris*, Græci vocant κατάθεσιν. Est autem ita ligandus articulus, ut fasciæ stringant & repellant à latere, quo pars receperat, utque sint laxæ in loco, unde illa prodierat, sicut præcipiunt Hippocrates & Galenus. Recentiores muniunt retinentque junctura restitutam oleo rosato, operculis compressisque, intinctis in albumine ovi, itemque cum fasciis in oxycrato madefactis, longitudinis & latitudinis convenientis; aliquando etiam ferulis è corio factis, aut sæpiùs duplicatâ chartâ. Hanc ligaturam circa septimum diem resolvunt, (nisi inflammatio vel aliud aliquod accidens cogat citiùs solvere) foventque partem aquâ moderatè calidâ: deindè imponunt emplastrum, compositum è farina volatili, pulvere rubeo & albumine ovi. Ipsum membrum collocant figurâ conveniente, quæ longissimè à dolore absit, ut quiescat, ex consilio Hippocratis. Sub finem curæ fovent partem luxatam (ad corroborandam eam ulteriùs) decoctione quâdam è rosis, absynthio, & musco querno; imponuntque ad extremum oxycroceum. *In secundo.*

AD PRÆCAVENDAM AUTEM.] In omni junctura rum restitutione (inprimis si validus aliquis articulus sit dislocatus) præcipit Hippocrates, ut ratio victûs observetur tenuis, usque ad diem septimum. Celsus verò consulit, ut ab omni cibo abstineatur per totum triduum, aliquando etiam usque in quintum diem, metu inflammationis, quâ finitâ, sine metu, permittit abundantiorem victum, etiam usum vini, sed modicum. Guido & Tagausius suadent etiam à principio avertendam fluxionem per sectionem venę & purgationem, si opus sit.

UBI VERÒ PHLEGMONE.] Si pars luxata vexetur dolore vel inflammatione, antequàm vocetur Chirurgus, omittenda est restitutio, donec dolor conquieverit, & inflammatio fuerit mitigata, velut Celsus præcipit post Hippocratem, ne excitetur convulsio, distensio nervorum, aliaque noxia accidentia, sifiat extensio membrorum, ut Guido testatur. Ad mitigandum autem dolorem & inflammationem,

imponatur lana ſuccida hydrelæo madefacta, (i.e. aquâ & oleo moderatè calido) addito, ut ille ſuadet, pauxillo vini.

SI VERÒ ACCESSERIT VULNUS.] Si vulnus comitatur luxationem, ſuadet Galenus *cap. 9. lib. 3. Meth.* ante omnia rationem habendam vulneris, applicatis medicamentis non tantùm glutinantibus, aut quæ propriè conveniunt recentibus vulneribus, ſed multò magis mitigantibus, propter metum convulſionis. In morbis enim mixtis & compoſitis (inquit ille) utendum eſt curatione mixtâ. Tentandum tamen nihilominus eſt, ex conſilio Guidonis & Tagautii, ut ab initio, antequàm pars luxata cum vulnere corripiatur inflammatione, clementer reponatur junctura in locum ſuum. Quòd ſi non ſine multa vi id fieri poſſit, relinquenda eſt, ſuaſore Hippocrate, ob metum noxiorum ſymptomatum, tractandumque ſolum vulnus, & ſubveniendum accidentibus vel præſentibus, vel futuris.

Luxatio cũ fractura.

VEL FRACTURA.] Si luxatio & fractura ſimul eandem affligunt partem, præcipiunt recentiores, ut reſtituatur priùs luxatio, ſi fieri poſſit, deindè reduniatur os ruptum. Si id fieri non poſſit, ut primò reconcinnetur fractura, quæ ubi firmiter coaluerit, tunc ad reſtitutionem articuli diſlocati veniatur.

Vetus diſlocatio.

SI LUXATIO VETUS EST.] Si in luxatione veteri ſucceſſu temporis calloſa durities genita fuerit, antequàm ad eam reponendam accedatur, oportet (ut Guido ait) eam fovere aquâ moderatè calidâ, decoctione in quam de malvâ, bismalvâ, fœnugræco, aliiſque ſimilibus: deindè inungere unguento de althæâ, & imponere emplaſtrum diachylon magnum, vel hujus loco lanam ſuccidam madefactam mucilagine aliquâ emolliente, ut vim habeat emolliendi. Attamen quando caput oſſis adjutorii, vel femoris ſucceſſu temporis locum contuſum durum fecit atque calloſum, in quem id deſcendit vel adſcendit, & acetabulum ejus interim carne repletum eſt, quanquàm pars indurata emolliri poſſit fotibus, linimentis, emplaſtriſque malacticis, rumpique carnoſitas, quæ occupavit junctura cavitatem, movendo hinc-indè atque agitando membrum luxatum, ut deindè reducatur os in locum ſuum; nunquàm tamen, etſi reducatur, firmiter hærebit in acetabulo ſuo, ut oſtendit Pareus *cap. 5. libri de Luxationibus.* Vide ad hunc locum, Lector, quid concluſum fuerit in conſultatione, quam habui Anno M. DC. XXXVI.

cum

cum multis celeberrimis Medicis & Chirurgis Parisiensibus, pro D. Monticuli, super luxatione costæ, quam historiam invenies *lib. 10. in explicatione octavi canonis prognostici.*

CANONUM
ET
CONSULTATIONUM
MEDICINALIUM
FINIS.



CELSUS libro 5.

Est prudentis hominis, ubi gravis metus est, sine certa tamen desperatione, indicare necessariis periclitantis in difficili rem esse, ut, si victa ars malo fuerit, vel ignorâsse, vel fefellisse non videatur. Sed ut hoc prudenti Viro convenit, sic rursus hystrionis est parvam rem attollere, quò plus præstitisse videatur.

HIPPOC. lib. Præceptionum.

Laudabile est, ægrorum quidem curam gerere, gratiâ sanitatis; sanorum verò curam suscipere, eâ gratiâ, ut sine morbis degant.

Una eſt in dubia mihi re Medicina: IEHOVÆ
Cor patrium, Os verax, omnipotẽs q; Manus.

Non verbis, ſed herbis morbi curandi.

Nunquam hallucinari ſupra hominem eſt; ſed quàm minimè aberrare ſolius eſt artificis.

Pridiè cogita quotidiè, ne quid agas hodiè, cujus te pœniteat poſtridié.

DEUS diſpoſuit OMNIA per numeros, per menſuras, & per pondera.

NATURA non emendatur, niſi in propria ſua natura.

Nec temerè, nec timidé.

INTEMPERANTIA
nutrix
MEDICORUM.

Modicè & Medicé.

Sis ſapiens & ſis patiens, tacendo, ferendo;
Qui ſapit & patitur, denique victor erit.

GUILHELMI FABRICI
HILDANI,
Illustrissimi Marchionis Badensis & Hachbergensis, &c. nec non inclytæ Reipublicæ Bernensis, Medico-Chirurgi ordinarii,

CISTA MILITARIS:

H. E.

Designatio præcipuorum Medicamentorum, tàm internorum, quàm externorum, utì etiam Instrumentorum maximè necessariorum, quibus rationalem Medicum & Chirurgum castrensem instructum esse convenit:

In classes viginti distributa, quarum Indicem sequens pagina exhibet,

Accessêre aliquot Medicamentorum selectorum, ab Authore sæpiùs approbatorum, descriptiones.

Anno M DC XXX III.

INDEX CLASSIUM
hujus Cistæ militaris.

I. *Medicamenta purgantia simplicia.*
II. *Purgantia composita.*
III. *Electuaria & pulveres, cor partesq; nobiles corroborantes.*
IV. *Aromata.*
V. *Aquæ destillatæ.*
VI. *Syrupi.*
VII. *Radices.*
IIX. *Herbæ.*
IX. *Flores.*
X. *Semina.*
XI. *Fructus.*
XII. *Olea.*
XIII. *Unguenta.*
XIV. *Pinguedines.*
XV. *Emplastra.*
XVI. *Gummi.*
XVII. *Metalla.*
XIIX. *Farinæ & pulvis ad sanguinem sistendum.*
XIX. *Instrumenta.*
XX. *Linteamina, & similia.*

AD

AD LECTOREM.

QUOMODO Principes ac Duces Christiani erga milites suos ægrotos & vulneratos se gerere debeant, candide LECTOR, id Centurio ille Ethnicus, de quo divus Matthæus *cap.8.vers.5.* & Lucas *cap.7.v.3.* scribunt, suo exemplo præclaro docet. Cùm enim servus ejus graviter laborâsset, & de adventu Christi audivisset, ad eum Seniores Judæorum misit, (se-ipsum enim, ut Christum interpellaret, indignum esse dicebat) ut pro servo suo intercederent, quò ipsum à morbo curare vellet: quod & è vestigio factum fuit. Præclarus profectò ac maximus fuit amor ille Domini erga Servum suum, ita ut ipsum quoque puerum suum appellaret. Domine, inquit, puer meus projectus est domi paralyticus, vehementer vexatus, &c. Quibus verbis Spiritus sanctus per Ethnicum illum innuere voluit, Principes ac Duces exercitûs esse

veluti patresfamiliâs, ac se erga milites, ut pater erga suos infantes, gerere debere. Et meritò quidem: miles enim fidelis, quia quotidiè vitam suam pro salute Capitanei sui exponit, famem, frigus, ac infinita alia mala sustinet, & in omnibus mandatis se obedientem præbet, impium profectò esset, si Dux belli aut Capitaneus vicissim non redamaret ipsum.

Ducis exercitûs officiû erga milites suos.

Dux itaq; exercitûs *primò* operam det, *ut milites habeant ministros fideles, qui ipsos in pietatè erudiant:* pietas enim, cùm ad omnia utilis sit, etiam in milite requiritur. In quibus verò rebus ipsos instituere debeant, id sanctus Johannes Baptista paucis verbis docet, Luc. cap. 3. v. 14. De quibus plura vide in Speculo meo Germanico de miseriâ Vitæ humanæ, parte secundâ.

Prospiciat *deindè* Dux exercitûs, *ut habeant, unde vivere possint.* Si enim milites, uti divus Johannes docet, nemini obesse debeant, necesse est, ut stipendium recipiant; alioquin mirum non est, si subditi & innocentes pauperes ab ipsis spolientur, Urbes quin-etiã ac Regiones devastentur.

Tertiò perquàm necesse est, *ut Dux exercitûs, fideles, pios, atq; expertos Medicos & Chi-*

Chirurgos habeat, ne, propter inſcitiam, negligentiam, aut temulentiam Medici vel Chirurgi, milites pereant: quod plerumque fieri, exempla non deſunt.

His omnibus Dux & Caput, quod & Patremfamiliâs ſui exercitûs eſſe anteà diximus, proſpicere, neminemque ex militibus, ne minimum quidem, contemnere Chriſtiana jubet charitas. Ut enim plerumque unius, aut ſaltèm paucorum militum, induſtriâ ac magnanimitate hoſtium acies diſrumpitur, & in fugam profligatur, urbes, propugnacula, & arces occupantur; ita etiam nonnunquàm paucorum interitus toti exercitui maximum damnum intuliſſe, obſervatum eſt.

Dux itaque exercitûs, ſi inexpertos Medicos & Chirurgos habuerit, non ſolùm milites, verùm etiam ſemet-ipſum periculo committit. Deus etiam ſanguinem eorum, quòd ipſius negligentiâ pereant, ab ipſius manibus requiret. Hanc ob cauſam apud antiquos, Duces exercituum, Methridatem nimirum, Lyſimachum, Alexandrum Magnum, Julium Cæſarem, & alios, ſe in arte Medicâ oblectâſſe, hiſtoriæ fidem faciunt.

Non sufficit autem, doctos, fideles atque expertos habere Medicos atque Chirurgos, nisi Medicamenta simul & Instrumenta in promptu fuerint, sine quibus nullus commodè mederi potest.

Videant itaque Principes, Duces, Centuriones, cæteráque, qui clavum exercitûs tenent, ut, dum reliqua ad bellum faciendum necessaria prępparant, Cistam quoque militarem minimè negligant. Non enim quivis Medicus & Chirurgus facultatem habet, talem apparatum & thesaurum Medicamentorum, qualis hîc requiritur, sibi comparare. Et quia persæpè eis, qui castra sequuntur, viæ intercluduntur, quò minùs sine vitæ periculo ad Urbes & Myropolia pervenire possint, ideò, ut omnia in promptu sint, necesse est.

De cista militari Illustrissimi Auraici Principis ac Herois Mauritii.

Anno 1612. cùm in Belgium profectus essem, & in urbe Mörß amicos quosdam adiviſſem, multisque honoribus à Nobilissimo ac Strenuo Viro, D. Alexandro de Schweichel/ arcis & propugnaculi gubernatore, quem honoris causâ hîc nomino, exceptus essem, præter reliqua, quæ visenda erant, etiam Cistam militarem Illustrissimi Herois MAURITII, Principis Auraici,

raici, Comitis Naſſovię, &c. mihi monſtravit, in quâ non ſolùm Medicamenta & Inſtrumenta, verùm etiam linteamina, faſciæ, & ſimilia, parata, nondum tamen ciſtis ad id fabricatis incluſa, ſed adhuc in conclavi ordine diſpoſita erant; idque in eum finem, ut non ſolùm ſubſidiariis militibus, quæ eis neceſſaria, ſuccurreretur, ſed &, ſi quæ deficerent, aut obſoleſcerent, maturè reficerentur. Inſigne & præclarum profectò hujus Principis ac Herois, pietatis, prudentiæ ac vigilantiæ de ſuis militibus fuit ſignum atq; indicium! Ciſta hæc, quotiescunque neceſſitas poſtulavit, caſtra ſequebatur. In maximis & periculoſis affectibus milites quidem ab initio ex illa ſublevabantur, mox tamen ad proximas Urbes vehebantur, & Illuſtrium & Prępotentum Ordinum ſumptu à Medicis curabantur. Etſi forſan pauper aliquis miles claudus, mancus aut impotens membrorum ſuorum remanſit, is Illuſtrium & Præpotentum Ordinum ſumptibus ſublevatus & annuali ſtipendio muneratus fuit. Pia atq; Chriſtiana conſtitutio hæc milites audaces, intrepidos, atque animoſos reddidit.

Ut itaque Duces exercitûs ſciant, qui-

búsnam rebus Ciſtam adornare cõveniat, viſum mihi fuit conſignare præcipua tùm Medicamenta, tùm Inſtrumenta, quibus Medicus aut Chirurgus caſtrenſis inſtructus eſſe debeat, ſi quid præterea opus ipſi fuerit, id bonâ ſuâ cum commoditate ex proximis Myropoliis nanciſci poterit.

Ciſta autem ita per claſſes & ordines exſtruenda & adornanda eſt, ut omnis confuſio, & Medicamentorũ inter ſe commixtio evitetur, & ſingulorum virtus atque proprietas conſervetur. Idcirco in claſſes viginti illam diviſi.

In prima *Purgantia ſimplicia* contineantur: illa autem omnia ſacculis coriaceis ſunt includenda, exceptâ mannâ & caſſiâ extractâ, quæ in vaſis figulinis commodè conſervari poſſunt. Prædicti ſacculi ſcatulæ includantur, cum hac inſcriptione majuſculis litteris, PURGANTIA SIMPLICIA.

In ſecunda claſſe ſint *Electuaria purgantia vaſculis figulinis incluſa*, cum hac inſcriptione, PURGANTIA COMPOSITA. Idem de reliquis intelligendum.

Syrupum roſatum ſolutivum, utì & *reliquos Syrupos*, & *Aquas deſtillatas*, ampullis vitreis,

vitreis, vel figulinis cum anguſtis orificiis incluſas, ſubere & veſicâ bovinâ clauſis, ſeparatim in claſſe ſervare convenit. Quæ & ita adaptanda & collocanda ſunt, ut ſe invicem ampullæ non attingant, ne frangantur. Itaque, ut una poſt alteram ſingulatim claſſe ſuâ panno munita imponatur, neceſſe eſt.

Maſſæ pilularum corio albo oleo amygdalarum dulcium illinito involvantur.

Pulveres cordiales, utì etiam *Electuaria*, cor partesque nobiles corroborantia, & cum purgantibus commercium nullum habentia, ſacculis coriaceis includito, & in claſſem ſeparatam collocato. *De pulveribus & Electuariis cordialibus.*

Radices, *herbæ*, *flores*, *& ſemina*, ſacculis quoque, ſi non ex corio, ſaltèm ex tela, includenda, & per claſſes ita diſtribuenda ſunt, ut *radices* primam, *herbæ* ſecundam, *flores* tertiam, & *ſemina* quartam occupent. *De radicibus, herbis, floribus, ſeminibus.*

Olea & balſama communia in lagenis ſtanneis operculis torculatis, *Olea* verò *pretioſa*, velutì *cinamomi*, *caryophyllorum*, *macis*, *nucis moſchatæ*, *aniſi*, *fœniculi*, & hujusmodi, in ampullis cerâ vel ſubere obturatis conſervari debent: horum verò *bal-* *De oleis & balſamis.*

ſama vaſis vitreis aut argenteis, ſtanneisq; includimus.

De unguentis & pinguedinibus. *Unguenta & pinguedines* quàm optimè in vaſis figulinis vel ſtanneis circumferri poſſunt, dummodò diligenter obturentur, & ſeparatim in claſſem collocentur. Ad hanc claſſem quoque pertinet *terebinthina.*

De emplaſtris & gummi. *Emplaſtra, gummi, cera, ſevum cervi, vaccæ, hirci,* & ſimilia, quæ conſiſtentiam habent ſolidam, veſicâ bovinâ, chartâ tectâ, ſunt involvenda.

De metallis. *Metallica & ſubterranea medicamenta,* puto *vitriolum, alumen, lithargyrium, bolum,* & ſimilia, utì etiam *farinas,* ſacculis coriaceis includere oportet: *Tutia* verò *præparata, ſief album, oſteocolla,* & ſi quid ſimile occurrit, quo in collyriis & affectibus internis utimur, ſacculis coriaceis includantur, & cum cordialibus reſerventur. *Sacculi* filo validiſſimo ſunt claudendi, & ligandi, ne in via propter continuam agitationem aperiantur, & ſimplicia inter ſe commiſceantur. *Omnes* prætereà *ſacculi,* ut confuſio evitetur, majuſculis litteris ſingulatim ſunt notandi.

Arſenicum, Auripigmentum, Mercurium cru-

crudum, ſublimatum, præcipitatumq́, lapidem cauſticum, & medicamentoſum, trochiſcos item *de minio Vigonis, ſpiritum vitrioli, aquam fortem, & hujusmodi ſeptica atq; erodentia*, cave, ne ciſtæ tuæ includas, & ex eis fractâ ampullâ unâ reliqua omnia devaſtentur atque corrumpantur medicamina, ægri quin-etiam interficiãtur. Prętstat itaq; illa omnia ciſtulæ ſeparatim includere. *Nota, de Arſenico ſublimato, & ſimilibus.*

Cum *Inſtrumentis* talis ſervandus eſt ordo, videlicet, *ut ſcindentia*, utì ſunt *novaculæ, forfices, ſcalpella* & hujusmodi, *ſuas habeant vaginas, reliqua* verò *chartâ involvantur.* *De Inſtrumentis.*

Hisce præparatis & adornatis, *catalogus* tibi eſt *conſcribendus*, quò ſtatim, & ſine difficultate, quæcunq; tibi neceſſaria ſunt, reperire poſſis. *De catalogo Ciſtæ.*

Quemadmodum autẽ ciſta tua per claſſes diviſa, ita etiam catalogus ut ſit, neceſſe eſt.

Prætereà, quotiescunque ſimplex aut compoſitum Medicamentum aliquod deficit, ad marginem catalogi id notabis, quò defectum reſarcire poſſis.

De his, mi candide LECTOR, te ante omnia monitum eſſe volui. Sequuntur nunc claſſes ordine.

CLAS-

CLASSIS I.
In qua Purgantia ſimplicia continentur.

Agaricum,
Aloë,
Rhabarbarum,
Caſſia,
Crocus metallorum : cujus infuſo nonnunquam in juvenibus robuſtiſsimis & pituitoſis corporibus, & quidem cum fructu utimur; imbecillioribus verò & extenuatis hominibus ſine periculo exhiberi non poteſt, præſertim in ſubſtantia:
Colocynthis,
Diagrydium,
Folia ſenæ,
Hermodactyli,
Manna,
Mechoacana,
Myrobalani,
Succus roſarum pallidarum,
Trochiſci Alhandal,
Turbith.

CLAS-

CLASSIS II.

Purgantia composita.

Benedicta laxativa,
Confectio Hamech,
Diacarthamum,
Diacatholicum,
Diaphœnicum,
Diaturbith cum Rhabarbaro,
Electuarium de succo rosarum,
Electuarium lenitivum,
Pulvis sennæ præparatus Brassavoli,
Syrupus rosatus solutivus, qui vel simplex, h.e. ex multis infusionibus, vel cum agarico, rhabarbaro & senna compositus est:

Pilulæ
- *Aggregativæ,*
- *Aureæ,*
- *Cochiæ,*
- *de Agarico,*
- *Lucis majores.*

Species ad Suppositoria.

Pulvis Passavanti, cujus descriptionem, quia non vulgaris est, hîc adscribere visum fuit.

℞. *Fol. sennæ expurgatorum* ʒ iij.
Turbith gummosi ʒ ij.
Rhabarbari electi ʒ j.
Liquiritiæ,
Seminis anisi,

Fœni-

Fœniculi aã ʒß.

Spicæ Indicæ gran. viij. Fiat omnium pulvis tenuissimus, detur à scrupulis duobus ad quatuor.

CLASSIS III.

Electuaria & Pulveres, corpartesque nobiles corroborantes.

Aromaticum rosatum,
Bolus orientalis,
Camphora,
Confectio { *Alkermes,* / *de Hyacyntho,*
Coralli præparati,
Cornu cervi usti & præparati,
Cremor Tartari,
Diaireos,
Diamargaritum frigidum,
Diarhodon Abbatis,
Diatragacanth frigidum,
Diatrion santal,
Flores sulphuris,
Lapis Bezoar,
Margaritæ præparatæ,
Mithridatium,
Meconium,

Opium,

Opium,
Laudanum opiatum,
Oſteocolla præparata, ut per os ſumi poſſit,
Philonium Romanum,
Pulvis ad Epithemata cordis,
Raſura cornu cervi,
Sal prunellæ,
Tartarum vitriolatum,
Terra ſigillata & ſtrigenſis,
Theriaca.

CLASSIS IV.

Aromata.

Calamus aromaticus,
Caryophylli,
Cinamomum,
Crocus,
Galanga,
Macis,
Nux moſchata,
Piper,
Saccharum,
Zingiber.

CLASSIS V.

Aquæ deſtillatæ, & ſimilia,

Acetoſæ,

Ani-

Aniſi,
Borraginis,
Bugloſſæ,
Calendulæ,
Cinamomi, ſine vino deſtillat.
Meliſſæ,
Plantaginis,
Roſarum,
Aqua vitæ,
Succus Berberorum,
Citronum,
Granatorum,
Acetum roſaceum,
Acetum commune vini & cereviſiæ. In penuria aceti utimur omphacio ex uvis vel pomis immaturis, præſertim in affectibus externis.

CLASSIS VI.

Syrupi,

Acetoſæ,
de Agreſta,
de ſucco Berberorum,
de ſucco Bugloſſæ,
de ſucco Citri,
Cydoniorum,
Granatorum,
de Limonibus,
Liquiritiæ,
de Papavere,

Roſæ

Rosatus simplex, h.e. *non laxativus*,
de Rosis siccis,
Violarum.

CLASSIS VII.

Radices,

Altheæ,
Angelicæ,
Aristolochiæ longæ & rotundæ,
Bistortæ,
Bryoniæ,
Caryophyllatæ,
Cœpæ,
Cichorii,
Consolidæ majoris,
Cyclaminis,
Enulæ campanæ,
Eryngii marini,
Fœniculi,
Gentianæ,
Hirundinariæ sive Vincetoxici,
Iridis Florent.
Liliorum alborum,
Liquiritiæ,
Petroselini,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Polypodii,

Squillæ,
Tormentillæ.

CLASSIS IIX.

Herbæ,

Abſinthium vulgare & Ponticum,
Agrimonia,
Alchimilla,
Alliaria,
Altheæ folia, flores & ſummitates,
Betonica,
Carduus benedictus,
Centaurium,
Centumnodinum,
Cuſcuta,
Dictamnus Cretenſis,
Equiſetum ſive Cauda equina,
Euphraſia,
Fumaria,
Hypericum,
Majorana,
Meliſſa,
Mentha,
Mercurialis,
Nepeta,
Origanum,
Plantag.,
Prunella,

Pyrola,
Quinq; nervia, eſt ſpecies plantaginis,
Roſmarinus,
Ruta,
Salvia,
Sanicula,
Scabioſa,
Scordium: quod duplex eſt, quemadmodum ad calcem Tractatûs mei *de Gangræna & Sphacelo* abundè dixi. Deficiente itaque vero ſcordio, altero, vel etiam alliariâ, ejus loco utimur, ſed in duplo vel triplo. Ego tempore Veris ſuccum ex Alliaria per prælum extrahere, & in ampullis, ſuperfuſo oleo communi, per annum integrum, & ampliùs, conſervare ſoleo. Succus ille in penuria Scordii, quod non ubique creſcit, in Gangrænis & ſordidis Ulceribus præſtantiſſimum eſt medicamentum. Nota *de ſucco Alliario.*

Virga aurea.

CLASSIS IX.

Flores.

Anethi flores & ſummitates,
Betonicæ,
Borraginis,
Bugloſſæ,
Calendulæ,
Chamomillæ,

Granatorum,
Meliloti,
Primulæ Veris,
Roſarum,
Roſmarini,
Salviæ,
Sambuci,
Verbaſci,
Violarum.

CALSSIS X.

Semina,

Anethi,
Aniſi,
Carvi,
Coriandri præparati,
Cumini,
Cydoniorum,
Fœnigræci,
Hordei integri & decorticati,
Lini,
Petroſelini,
Plantaginis,
Raphani,
Sinapi.

CLAS-

CLASSIS XI.

Fructus,

Amygdalæ,
Baccæ lauri,
Caliculi glandium,
Caricæ,
Ceraſa condita,
Cydonia,
Gallæ,
Glandes,
Limones,
Lupini,
Mala arantia,
Mala punica, ſeu Granata,
Myrtilli peregrini,
Nuces cupreſſi,
Peculi Roſarum,
Pruna Damaſcena Ungarica,
Tamarindi,
Uvæ paſſulæ.

CLASSIS XII.

Olea,

Amygdalarum dulcium & amararum,
Anethi,
Aniſi,

Balſamum Indicum ſive Tolutanum,
Balſamum Vigonis, cujus deſcriptionem mox adſcribam,
Carvi,
Caryophyllorum,
Ceræ,
Chamomillæ,
Cinamomi,
Cydoniorum,
Fœniculi,
Hyperici,
Juniperi,
Liliorum alborum,
Lumbricorum,
Maſtiches,
Menthæ,
Myrtillorum,
Nucis moſchatæ,
Olivarum,
Roſarum,
Scorpionum,
Terebinthinæ,
Violarum,
de vitellis Ovorum,
Vulpinum,

Balſamum Dn. D. Johannis Vigonis in vulneribus poſt eorum digeſtionem præſtantiſsimum extat apud prædictum Authorem *lib. 8. cap. 19.* & ſic habet.

℞. *Olei Omphacini* ℔ ij.
Styracis calamithæ,

Lau-

Laudani,
Croci,
Olibani,
Gummi Arabici,
Rubiæ tinctorum,
Gummi hederæ,
Maſtiches,
Caryophyllorum,
Galangæ,
Cinamomi,
Aloës ſuccotrinæ,
Cubebarum añ ʒ ij.
Gummi Elemi ℔ j.
Myrrhæ,
Bdellii añ ʒ j ß.
Galbani ʒ vj.
Spicæ,
Ligni aloës añ ʒ j.
Serapini,
Ammoniaci,
Opopanacis añ ʒ j.

Omnia pulveriſanda pulveriſentur, & permiſceantur cum dicto oleo, deindè ponantur in alembicum cum ſuo capello & recipienti, & arte & igne elambicetur, & omnia ſint benè inlutata & obturata luto Sapientiæ, in principio per horas duodecim ponendo alembicum ad ignem lentum, & ipſum immetiorando in ſex horas, donec elambicatum fuerit: quo facto ſtatim reſiduum ſpecierum iterum pulveriſetur, & cum prædicto oleo elambicato, iterum ordine

antè dicto per tres vices reiterando elambicetur, & tandē habebis oleum, quod ferè eſt ſicut balſamum; ſtat enim ad omnem balſami probationem.

Balſamo prædicto, Vigo etiam in internis affectibus utitur, ut *loco præallegato* Lector videre poterit.

CLASSIS XIII.

Unguenta,

Aegyptiacum, cujus deſcriptionem vide in Tractatu meo *de Gangræna & Sphacelo, cap. 13.*

Album Rhaſis,

Apoſtolorum,

Aureum,

de Minio camphoratum,

Defenſivum Chalmetei, cujus deſcriptionem vide apud prædictum Autorem *lib. 1. cap. 3.*

Dialtheæ,

Diapompholigos,

Digeſtivum in omnibus vulneribus tùm contuſis, tùm inſtrumentis ſcindentibus factis, imò etiam in ſclopetorum vulneribus præſtantiſsimum, cujus hæc noſtra eſt deſcriptio.

℞. *Ceræ novæ* ℥ j ß.
Gummi Elemi pinguiſſimi,
Terebinthinæ claræ aā ℥ j.
Colophoniæ ℥ ß.
Ol. Amygd. dulc.

Roſa-

Roſarum,

de vitellis ovorum lento calore ignis per prælum extractum aã ʒj. Diſſolvantur lento igne & percolentur. Colaturæ admiſce *croci ſubtiliſſimè pulveriſati* ʒj.

Hujus unguenti accipe ʒj. cui admiſce *vitellum unius ovi, olei roſacei* q.ſ. ut formam liquidam acquirat,

Nicotianæ,
Nutritum,
Populeon,
Roſatum.

Unguentum ad ambuſta, ex quacunque materia ignita facta fuerint, præſtantiſsimum. Empyreuma enim potenter extrahit, nec ſinit puſtulas elevari: uti ego multoties expertus ſum, de quo vide Tractatum noſtrum *de Combuſtionibus, cap. 6.*

℞. *Cœpæ crudæ* ʒjß.
Salis,
Saponis albi Veneti aã ʒj.

Miſceantur in mortario, fiatque *Unguentum cum oleo roſaceo, & amygd. dulcium* q.ſ.

Extracto empyreumate, ſi ſubjecta cutis & caro combuſta fuerit, ſequens applicetur Unguentum.

℞. *Unguenti Baſiliconis* ʒj.
Ol. roſacei,
Liliorum alborum aã ʒß.
Vitellos ovorum N.ij.

Miſceantur.

Aliud in maximo dolore. Si dolor adeò vehemens fuerit, ut æger nihil, aut parum quiescere possit, applicetur sequens Unguentum.

℞. *Butyri recentissimi non saliti* ℥ ij.
Ol. amygd. dulc.
de vitellis ovorum aã ℥ ß.
Croci pulverisati,
Opii dissoluti in prædictis oleis aã ℈ ß.
Camphoræ ℈ j.
Mucilaginis seminis cydoniorum ℥ j.
Misceantur.

Plura qui de Combustionibus videre cupit, & quomodo facies, à pulvere tormentario commaculata, sit purganda, videat Tractatum nostrum *de Combustionibus.*

CLASSIS XIV.

Pinguedines,

Anseris,
Bovis,
Capi,
Cervi,
Hirci,
Hominis,
Gallinæ,
Porci,
Ursi.

CLAS-

CLASSIS XV.

Emplastra,

Apostolicum,
Basilicum,
de Betonica,
Diapalmeum,
Dyachylon simplex & compositum,
de Meliloto,
de Mucilaginibus,
Oxicroceum,
de Ranis,

Stictícum sive fodicationum, Germanicè Stichpflaster/ Vigonis, ad fracturas ossium, quia præstantissimum esse scio, ejus descriptionem ex Vigone *lib.8.cap.16.* in gratiam Lectoris hîc adscribere volui: cùm Oxicroceum, quo vulgus in fracturis & dislocationibus utitur, periculosum & damnosum sit, ut idem Vigo docet *loco præallegato.*

℞. *Olei myrthini,*
Rosacei,
Omphacini aã ℔ ß.
Succi rad. altheæ ℔ ij.
Radicum fraxini & foliorum ejus,
Radicum consolidæ minoris & foliorum ipsius,
Myrtillorum & foliorum ejus,
Foliorum salicis aã M.j.

Bulliant omnia, priùs aliquantulùm contusa,

cum

cum vino nigro, & tantundem aquæ, usque ad consumptionem medietatis cum ʒ ß. Myrrhæ, & tantundem Thuris : deindè fortiter colentur, cui colaturæ addantur

Sepi hircini liquefacti ℔ ß.
Terebinthinæ clarissimæ ʒ ij.
Mastiches ʒ j.

& iterum cum prædictis oleis bulliant usque ad consumptionem prædictæ decoctionis, postmodùm colentur, addendo

Lithargyrii, auri & argenti añ ʒ iij.
Boli armeni subtiliter triturati,
Terræ sigillatæ añ ʒ ij.
Minii ʒ j.

& iterum ad ignem baculo semper agitando, lento igne, cum cera nova sufficienti, fiat ceratum, ad modum sparadrapi.

Ego jam à multis annis, magno cum successu, sequenti utor Emplastro in fracturis.

℞. *Emplastri stotani* (cujus descriptionem vide *in consilio de conservanda Valetudine, in Epistola ad D.D. Paulum Croquerum*) ʒ vj.

Ceræ novæ ʒ ij.
Colophoniæ,
Gummi Elemi puinguissimi añ ʒ j.

dissolvantur lentissimo igne, posteà insperge sequentes pulveres,

Rad. consolidæ majoris,
Balaustiorum,
Nucum cupressi,
Rosarum añ ʒ j.

Masti-

Maſtiches,
Olibani añ ʒ ij.

Miſceantur, addendo *olei roſacei* q.ſ. ut fiat ceratum. In adultis & extenuatis ad unciam unam *hujus Emplaſtri*, drachmas duas *oſteocollæ præparatæ* admiſceo; ſingulis quoque diebus manè tres ante paſtum horas de eodem lapide cum juſculo carnis, vel vino albo exhibeo: multùm enim curationem lapis ille accelerat. In Juvenibus verò, qui & optimâ corporis ſanitate fruuntur, lapidem illum, ſive per os datum, ſive exteriùs adhibitum, minimè convenire, Lector *ex obſervatione 91. Centuriæ primæ Obſervationum mearum*, videre poterit.

Non autem ſtatim à principio, neque primis diebus applicãda ſunt prædicta emplaſtra, multò minùs oxicroceum, ne affluxus humorum ad partem læſam ſequatur, peſsimaq; ſymptomata ſuſcitent. Ab initio itaque, poſtquàm os fractum in ſitum ſuum repoſitum eſt, ſequens applico Cataplaſma. *Admonitio.* *Pulvis pro cataplaſmate ad fracturas oſſium.*

℞. *Rad. conſolidæ majoris,*
Tormentillæ,
Biſtortæ añ ʒ ß.
Boli (ſed *albi*, non *rubri*) ʒ j.
Balauſtiorum ʒ j.
Nucum cupreſſi,
Gallarum,
Roſarum rubr. añ ʒ ij.

fiat omnium pulvis tenuiſsimus, cui admiſce *farinæ hordei* ʒ vj. ſervetur in ſacculo coriaceo: pertinet

tinet ad *classem 18.* Hujus pulveris accipe quantum opus est, pro membri fracti magnitudine, ex quo cum posca formetur Cataplasma in mortario, vel alio vase sine calore ignis, addendo vitellum ovi cum albumine, parumque olei rosacei. Applicetur membro fracto, & renovetur ab initio tertio, vel ad summum quarto quoque die, donec symptomata non amplius sunt metuenda, tunc Emplastrum Vigonis, vel meum, applicari, & de sexto vel decimo in decimum diem reiterari poterit.

CLASSIS XVI.

Gummi, & similia.

Ammoniacum,
Benzoinum,
Cera alba & flava,
Colophonia,
Elemi,
Euphorbium,
Mastiche,
Myrrha,
Olibanum,
Pix navalis,
Storax calamitha,
Terebinthina,
Tragacanthum.

CLASSIS XVII.
Metalla, & eorum affinia.

Alumen crudum & uſtum,
Antimonium crudum ad ulcera: de præparato vide *ſuprà:*
Arſenicum,
Calx lota,
Ceruſſa,
Crocus Martis,
Gypſum,
Lapis cálaminaris,
Cauſticus,
Medicamentoſus Crollii,
Sabuloſus, ſive Oſteocolla: de cujus præparatione, & uſu vide *Centuriæ 1. obſerv. 90. 91.* Item *centuriæ 3. obſ. 90.* Detur in oſsium fracturis per os, & cum reliquis medicamentis loco affecto applicetur. Præparatus ad *claſſem tertiam* pertinet.
Lithargyrium aureum & argenteum,
Mercurius { *Crudus,* *Sublimatus,* *Præcipitatus,*
Nihil præparatum,
Nitrum crudum & præparatum,
Plumbum uſtum,
Realgar,
Sief album,
Sulphur,

Tutia,

Tutia præparata,
Vitriolum crudum & uſtum.

CLASSIS XIIX.

Farinæ,

Baccarum lauri,
Fabarum,
Hordei,
Lentium,
Lolii,
Lupinorum,
Siliginis,
Tritici,
Volatilis.

Pulvis pro Cataplaſmatis ad fracturas oſsium: cujus deſcriptionem vide *claſſe 15.*

Pulvis ad ſiſtendum ſanguinem: cujus variæ apud Medicos extant deſcriptiones; mea verò, à multis annis comprobata, hæc eſt.

℞. *Farin. volatilis* ℥ vj.
Sanguinis draconis,
Thuris aã ℥ j.
Boli armeni orientalis,
Terræ ſigillatæ aã ℥ ß.
Gypſi ℥ j ß.
Ranarum aquatilium præparatarum (mirificè enim, proprietateq; quâdam occultâ ſanguinem ſiſtunt) ℥ ij.
Muſci cranii humani ℥ j.

Pil.

Pil. leporum minutißimè inciſorum ʒ ij.

Pulveris albuminum ovorum, ſole caniculari exſiccatorum,

Spumæ maris,

Spongiæ novæ torrefactæ aã ʒ j.

Miſce, fiatq; pulvis ſubtiliſsimus, quo in omnibus vulneribus etiam capitis, & detectis membranis, utì & in hæmorrhagia narium, cum fructu uti poteris.

CLASSIS XIX.
Inſtrumenta.

PRÆTER Medicamenta prædicta, plus quàm neceſſe eſt, ut Chirurgus Inſtrumentis neceſſariis quoq; inſtructus ſit, ſine quibus officio ſuo rectè fungi non poteſt. In duas autem partes diſtribuat Inſtrumenta ſua, ita ut nonnulla continuò ſecum, thecâ Inſtrumentorum inclusâ, in pera circumferre poſsit: hæc verò parva & exilia, ne ipſum onerent, & ægrum deterreant, eſſe convenit. Reliqua Ciſtæ militari includantur, &, donec neceſsitas urget, reſerventur. Ego ægros meos ſine theca Inſtrumẽtorum nunquàm accedo: in ea autem ſequentia continentur;

Novacula:

Forfices:

Scalpella duo:

Phlebotoma quatuor, ad venas incidendas:

Scalpellum incurvatum, ad abſceſſus aperiendos:

Stylus ex una parte nonnihil incurvatus, & veluti ſcalpellum acuminatus, ad gingivas in dentium dolore incidendas: ex altera parte *Volſella* eſt ad res extraneas ex vulneribus extrahendas:

Forceps parva, Germ. Kornzänglin / ad eundem uſum:

Acus, ad ſuenda magna vulnera, quarum aliæ *parvæ*, aliæ *magnæ*, vel *mediocres* eſſe debent:

Cannula feneſtrata, quâ in ſuendis vulneribus utimur. Illa autem ejus ſit longitudinis, ut loco vaginæ ad acus conſervandas tibi inſervire poſsit. Vulnera autem muſculoſarum partium ſolùm ſuenda ſunt; nervoſarum verò nequaquàm. In vulneribus faciei acu nunquàm utor, ſed ſuturam, ut vocant, ſiccam adhibeo:

Spatula parva & magna:

Styli exploratorii ex argento fabricati:

Speculum oris ſimplex, quo unâ parte in faucium & gutturis affectibus lingua deprimitur, alterâ verò lingua abraditur:

Cochleare exile, ad inſpergendum pulverem vulneribus & ulceribus:

Hamulus, ex una parte *ſimplex*, ex altera verò *duplex:*

Coticula, ad ſcalpella &c. acuminanda.

Ego quidem prędicta Inſtrumenta & quamplurima alia ab excellenti Artifice ex argento fabricata habeo, quibus intra mœnia utor; ægri enim mi-

minùs ab eis quàm à ferreis abhorrent. In caſtris tamen ut Chirurgus argenteis Inſtrumentis inſtructus ſit, non ſemper tutum eſt, ideóq; omnia ex ferro & chalybe fabricata eſſe debent, præter ſtylos exploratorios, qui ex plumbo, cupro, aut orichalco conſtare debent.

Hæc ſunt Inſtrumenta, quibus Chirurgum continuò inſtructum eſſe decet.

Habeat præterea apud ſe pyxidem unguentariam ſex claſsibus diſtinctam, quarum primam *unguento Baſilico*; ſecundam *Aureo*; tertiam *Apoſtolorum*; quartam *Nutrito*; quintam *albo Rhaſis*; ſextam *exſiccativo rubro ſive de minio* adimpleat. Sit autem ex cornu, vel ligno aliquo ſolidiſsimo, veluti Ebeno, Guajaco, aut buxo fabricata: melius enim in ligno, quàm in argento, cupro, aut orichalco conſervantur unguenta.

Lagenulam ſtanneam, oleo roſaceo impletam, & operculo torculato munitam, ut Chirurgus quoque continuò ſecum ferat, neceſſe eſt, ut circumferentia vulnerum inungi poſsit: lenit enim dolorem, partemq; læſam corroborat, & à pravis ſymptomatibus vindicat.

Pro Digeſtivo, pyxidem ſtanneam, cum ſuo operculo torculato, habeat.

Hæc de Inſtrumentis, quæ Chirurgus continuò ſecum circumferre debet.

Sequitur nunc de reliquis, & primò de iis, quibus circa caput utimur.

Ea autem ſunt primò *Trepana*, quando in magnis contuſionibus, propter ſanguinem extra-

venatum & concretum, nec non in capite collectum, cranium perforandum eſt.

2. *Elevatoria ſeu vectes*, ad cranium impreſſum elevandum.

3. *Scalpra*, ad cranium carioſum radendum.

4. *Speculum oris integrum*, quo in magnis faucium & linguæ inflammationibus, veluti in angina, lingua deprimitur.

5. *Aliud ſpeculum oris*, ad aperiendum os, quando videlicet in ſpaſmo, ut ego aliquoties vidi, adeò clauditur, ut ne guttula quidem juſculi ægro infundi poſsit.

6. *Inſtrumenta varia*, ad evellendos dentes.

7. Quia nonnunquam inter comedendum, oſsiculum, ſpina piſcis, vel ſimile quid œſophago infigitur, ægrumq; ſuffocat, ideò neceſſe quidem eſſet Chirurgo, habere in Ciſta ſua Inſtrumentum, quale ego *in prima Centuria obſ. 36.* depinxi. Id verò ſi ad manus non habuerit, protinùs *ſpongiolam* extremitati cathereris annectat, & gulæ immittat.

8. *Inſtrumẽta* ad extrahendos globulos plumbeos è vulneribus ſclopetorum, quorum varia ab Authoribus traduntur. Ego aptiſsimum habeo, cujus deſcriptionem & delineationem vide *Cent. primæ obſ. 88.*

9. *Serra magna*, ad magna abſcindenda membra apta, & ab experto arculario diligenter acuminata.

10. *Parva* item *ſerra*, ad digitos tùm manuum, tùm pedum abſcindendos: ſcalpris enim eos abſcin-

ſcindere rationalem Chirurgum minimè decet, utì *in libro meo de Gangræna & Sphacelo, cap. 17.* fuſiùs oſtendi.

11. Quia in abſciſsione membrorum major pars Chirurgorum cultro utitur, ideò habeas *novaculam benè acuminatam, & manubrio firmiter inſertam.*

12. *Cultrum incurvatum:* hujus delineationem vide *in prædicto libro de Gangræna.*

13. Ego in amputatione membrorum, loco novaculæ, *cauterio cultellari, benè ignito,* utor, cujus delineationem quoque vide *in libro præallegato.* Parata quoq; habeas & *alia nonnulla cauteria ignita, magna, parva, mediocria, acuta & rotunda,* ad ſiſtendum ſanguinem, ſive poſt amputationem membrorum, ſive in aliis hæmorrhagiis maximis atque periculoſis.

14. Et quia plerumque inter milites, propter impurum coitum, *gonorrhæa, caruncula, & ſuppreſſio urinæ* graſſatur, neceſſe eſt, ut Chirurgus *catheteribus ex argento vel orichalco* quoq; inſtructus ſit. Habeat & *ſiphones aliquot.*

15. Ad oſſa fracta, luxataque reponenda, variæ ab Hippocrate, Oribaſio, aliisque Authoribus proponuntur Inſtrumenta. Ego *trochleatum inſtrumentum Ambroſii Parei* aptiſsimum eſſe, in praxi mea, ſemper expertus ſui: præſertim ſi *Cingulum*, & *Remoram* ex *Centuria mea quinta obſerv. 36.* adjunxeris. Aptiſsimum autem non ſolùm, verùm etiam commodiſsimum eſt Inſtrumentum hoc: ad omnes enim fracturas & diſlocationes,

pręter digitorum, furcularum, costarum, & mandibularum, (quę solâ manu reponuntur) accommodari potest. Est prætereà parvum & ad circumferendum commodum.

16. Habeat quoque Chirurgus *ferulas varias*, videlicet *parvas*, *magnas*, *& mediocres*, secundùm magnitudinem membri fracti, ex ligno aliquo levi, velutì salicis, tiliæ aut abietis paratas. Necessitate quoque urgente *vaginâ gladii*, loco ferularum, uti poterit. Nonnulli, loco ferularum, *recentes cortices arborum*, velutì salicis viburni, aut quercûs, membro fracto apponunt. Id verò citra damnum ægri, & infamiam Chirurgi fieri non posse, Lector *ex observ. 98. Cent. 4.* colligere poterit.

Post repositionem membri fracti (loquor autem de *tibia*, vel *crure*) in promptu tibi sit *capsula* hunc in modum fabricata.

Asserculi tres, secundùm membri, malè affecti, longitudinem ac spissitudinem, adaptentur, & ex superna atq; inferna parte filo cannabino fortissimo & reduplicato ita connectantur, ut quàm facillimè deligari, iterumq; ad se invicem conjungi atque constringi possint. Horum asserculorum qui fundum capsulæ facit, ex inferiori sua parte, quò calcem excipere possit, nonnihil excisus sit, ne calx à capsula lædatur. Alius insuper asserculus fundo capsulæ filo reduplicato, ex duabus partibus annexus est. Asserculi laterales duobus in locis, ex superna videlicet parte, quæ genu respicit & pedem versùs foramina oblonga, sicuti hîc sunt delineata |_____|, habeant,

beant, per quæ tęniæ traducantur, quarum beneficio capsula clauditur, &, secundùm libitum Chirurgi, constringitur. Asserculus, cui planta pedis insistit, ex superiori quoque parte duobus in locis foramina habet, quò tænias excipere, & lateralibus asserculis annecti possit. Asserculus præterea ille, ut digitos pedis semispithamam excedat necesse est: hic enim pedis à culcitris ac lodicibus compressionem impedit. Omnia præterea gossypio, stuppis, ac linteaminibus sunt munienda, atque infarcienda. Hoc modo in capsulam accommodatâ tibiâ fractâ, & diligenter repositâ, ægrum non solùm ex grabato uno in alterum, verùm etiam per multa milliaria facilè & sine magno incommodo circumferri posse aliquoties in praxi mea vidi. Exemplum habes *in obs. 98. Cent. quarta.*

Habeas quoq; in promptu *mortarium unum, aut alterum, cribra* item & *sartagines,* ad coquenda cataplasmata, & commiscenda unguenta: rarò enim apud rusticos hujusmodi utensilia, imò ne quidem apud paganos ipsos, reperies.

Et quia plerumq; in Angina, vulneribus Capitis, aliisque morbis acutis, Clysteres exhibendi sunt, idcircò ut Chirurgus instrumento quoq; instructus sit necesse est: ejus autem delineationem in Tractatu nostro *de Dysenteria* videre poteris.

Reliquorum Instrumentorum, ad cranium perforandum, abradendum, elevandum, apertas item venas inurendas, incurvata membra ex-

tendenda,& ſi quæ alia ſunt, adumbrationes, apud *Ambroſium Pareum, Joh. Andream à Cruce,* ut & *in Magna Chirurgia Gualteri Riffii,* invenies.

CLASSIS XX.
Linteamina, Faſciæ, & ſimilia.

NON poteſt autem Ciſta tua ex omni parte eſſe perfecta, ſi linteamina, & quæ ex eis fiunt adminicula, in applicatione Medicamentorum defuerint. Quid enim Medicamenta, quamvis præſtantiſſima prodierint, ſi linteamina defuerint, præſertim in maximis atque periculoſis hæmorrhagiis, fracturis & dislocationibus oſsium, aliisq; affectibus, ubi periculum eſt in mora? In promtu itaque habeas

Faſcias magnas, parvas & mediocres:

Linteamina reduplicata (quę *compreſſas* vocant) *magna, parva, & mediocria:*

Hapſos, ex ſtuppis ſuavibus,& benè mundatis, paratos:

Filamenta, ex tela benè munda excerpta, quibus in vulneribus ad medicamenta retinenda,& labia,ne pręter rationem ad-invicem conjungantur,impedienda utimur:

Turundæ quoque, ex tela, ſpongiis præparatis, radicibus Gentianæ & ſimilibus, quarum aliæ *magnæ*, aliæ *mediocres*, aut *parvæ*, vel etiam *mini-*

minimæ, ad anguſtiſsima vulnera paratæ ſint neceſſe eſt. Hæ maturè & ſucceſsivis horis parentur, ut urgente neceſsitate paratæ ſint.

Habeat quoque *ſpongias & bovinas veſicas aliquot*, ad ampullas claudendas, & poſt amputationem membrorum trunco applicandas.

Medicus vel Chirurgus caſtrenſis ſi prædictis inſtructus fuerit, famulosq; fideles, vigilantes & expertos habuerit, toti exercitui prodeſſe poterit, infinitosq; vulneratos conſervabit, & à mortis diſcrimine liberabit.

In deſignatione autem Medicamentorum, reliquorúmve, mi cand. de Lector, aliquo modo prolixus fui, idque in eum finem, ut Ducibus exercituum Ciſtam ex omni parte perfectam proponerem atque deſcriberem. Tu verò, ſi propriis tuis ſumptibus Ciſtam militarem erigere atque adornare volueris, præcipuà & magis neceſſaria ex præſcriptis pro arbitrio atque experientiâ tuâ ſeligere poteris. Interim tamen vide atque etiam vide, ut Medicamentis, reliquisque ita ſis inſtructus, ut ægris, prout neceſſitas poſtulat, ſuccurrere poſſis. Hîc enim non de corio bovino, ſed humano; non de gemmis aut lapidibus pretioſis, ſed de homine, pro quibus Filius Dei

Admonitio ad Chirurgos caſtrenſes.

Dei ſanguinem ſuum pretioſum in Cruce effudit; imò & de ſalute animæ tuæ agitur. Medicus enim ſi aliquid circa ægrum neglexerit, coram Deo, ſuo quoq; tempore, rationem redditurus eſt.

FINIS.



INDEX
RERUM AC VERBORUM,
SPECTANS
ad Sylvam Sententiarum Matthiæ Narvatii,
ad Signa Morborum Jacobi Auberti,
& ad Canones Cheirurgicos Nicolai Abrahami Frambesarii, &c.

A

ABORTUS quid denotet 105
Abscessus quando sit aperiendus 207.
quæ in eo aperiendo considerandæ ibid. & seq.
Accidentia & morbi quomodo profligandi 260
Acrochordones, calli, myrmeciæ, & verrucæ quomodo inter se differant 149
Acrochordonis signa ibid.
Actio læsa 103
Acubus, loco fistularum, recentiores utuntur 254
Aegrotorum sinistrum de Medicis judicium 38
Aegylops ubi fiat 145
Aër 289. frigidus, ægrum lædens quid denotet 138
Affectus capitis varii, eorumq; remedia 33.
proprii quinam 117.
cordis ibid.
narium ibid.
nervorum ibid.
oculorum ibid.
ventriculi ibid.
Alimentum ossium 74
Allegatio 252
Alvi excrementa albida quid portendant 134.
spumosa 111.
in scrotum devoluta 113

Am-

Amplecti ſe, quid ſit 247
Amputatio cauſarum erysipelatis quomodo facienda 216
Aneuriſmata unde fiant 139
Angina 80. *ejus converſio in pulmonem* ibid.
Ani paralyſis quomodo cognoſcatur 103
Anodyna calida & humida 199. *quotuplicia* 198. *ſtupefacientia* 199. *temperata* 198. *eorum genera & modi* ibid.
Anthracis ſigna 140. *ſpecies duæ* ibid.
Apoſtemata 189
Apoſtematis vox unde derivetur 171. *uſus* 172
Aquæ calidæ 49. *frigidæ affuſionis effectus in ulceribus* 48
Arteria 93. *pericula ex ea vulnerata* 54
Arteriæ carotidis vulnus 156. *trachææ vulnus* 157. *trachææ exulceratæ ſigna* 161
Arteriarum vulnus 157
Articuli cubiti gibbi repoſitio 70
Articulorum repoſitio 65. *luxationis curatio* 68
Arthritici humores unde originem ſumant 143. *tumores quomodo diſtinguantur* 144
Aſcitis & Hydroceles hydropis cauſa 184
Atheroma, Steatoma, & Meliceris quid 147
Atheromatis & Steatomatis materia 185
Atrophia quid indicet 104. *& tabes quibus differant* 131
Attrahentia quando adhibenda 206
Aurium fractura deligatio inimica 63. *inciſarum curatio* 61
Autiades quid afferat 146

B

Baculorum genera varia 259
Balſamus naturalis junctarum 281. *Frambeſarii* 277. *Parei* ibid.
Barboriſmus quid ſignificet

cet 137. ventris quid indicet ibid.
Bubo 89. ejus ſpecies variæ 177
Bubones, Phymata, & Phygethla quid accerſant, ſi ab inflammationibus excitentur 139. ſi absq; inflammationibus, quid ibid. è lue Venerea ſi oriantur, quid fiat ibid. Venerei & peſtilentiales 177

C

Cachexia unde deprehendatur 131
Cacochymia quid 197. ejus cura ibid.
Cacoëthes 236
Calcaneū moderatum 75
Calculi ſigna 83
Calli, acrochordones, myrmeciæ, & verrucæ quomodo inter ſe differant 149
Calli generatio in oſſibus 322
Calor præter naturā quid denotet 117
Calorē mitigantia quæ 198
Cancer quid, & unde dicatur 187. quæ obſideat loca 188. unde oriatur 141. exulceratus unde originem ſumat ibid.
Cancri genera 141. ſigna ibid. incipientis cura 224. magni valdè periculoſi cura ibid.
Cancri occulti 60
Cancrorum internorum ſigna 120
in Cancrum & fiſtulam ſæpè degenerat ſcirrhus 195
Cancrum palliantia quæ ſint 225
Cantharidibus devoratis mejitur ſanguis 109
Capite vulneratus quomodo examinandus 6
Capitis affectus proprii quinam ſint 117. affectus varii, eorumq; remedia 33. os quot modis vulneretur 11. prominentia quid 6. ſuturæ 13. 26. vulnus quale lethale 27 vulne-

vulnera ad cerebrum pertingentia, lethaliſſima 12. vulnera ſanguinem fundentia 15. vulnerum cura 284. ex ejus plaga deſipientia, malum 23
poſt Capitis vulnus ſi tumor rubicundus in facie acceſſerit, quid agendum 28
Caput frigidum quid innuat 130
Carbunculi cura 215
Carbunculorum & phlyctænarum differentia quæ 148
Caries in oſſe 24. oſſium quomodo deprehendatur 166
ex Carie oſſium dolor 22
Caro quomodo regeneretur 268. quomodo producenda 30. telo contuſa, celerrimè ſuppuranda 37
Cartilago 90. magna 104. parva, tuſi dejectâ, quid denotet ibid.
Cauſâ ſublatâ tollitur effectus 196
Cauſarũ eryſipelatis amputatio quomodo facienda 216
Cauteria potentialia unde fiant 203. ſerica Parei ibid. eorum deſcriptio 204
Cauterium duplex 203. potentiale ad quæ ſit utile ibid.
Cephalalgia 60
Cerebri corrupti ſymptomata 14. humidi ſigna ibid. humiditas ſomni cauſa 132. læſio lethalis 19. menyngum vulneris ſigna 153. ſiccitatis ſigna 132. vulnerati ſigna 227. vulnerati præſagia 243. cur ſint mortalia 244
Cerebro concuſſo vulnerati privantur ſtatim voce, viſu & auditu 27
de Cerebro corrupto 23. ſiderato 59. vulnerato 15
ex Cerebro corrupto tumor, dolor, livorq; occipitis

pitis 23. concuſſo ſymptomata ibid. *ſauciato febris, bilis, vomitus, &c.* ibid. *diviſo neceſſariò ſuperveniunt febris & vomitus* ibid.
Cerebrum calore gaudet, frigore afficitur 32. concuſſum quid denotet 90. quibus corruptum eſt. ſi ſeptimum diem effugerint, ſervantur 31
de Cervicis oſſe 27
Chirurgum militare oportet 5
Cholagoga 221
Chylus 106
Cibus copioſior vitandus 139. & potus 87. & potus ex vulnere 106. diù in ventriculo contenta quid declaret 113
Ciſta militaris 342. ejus claſſes 348. & ſeqq.
Clavi ubi naſcantur 148
Claviculæ fractæ curatio 69
Colicus dolor ex pituita vitrea 138
Colli veſicæ ſigna 164. uteri ulcus 165
Color cutis quid arguat 134. citrinus 116. flavus 133. pallidus ibid. *urinarum quid denotet 134*
Colum 94
Columella unde dicta 146
Conceptionem impedit ulcus in utero 77
prò Conceptu medicamentum 91
Condylomata 148
Congeſtio quid, & unde 173
Contuſio 79
Convulſio 260. à ſanguinis copioſo fluxu, mala 60. ex inanitione 261. ex repletione ibid. *per conſenſum* ibid.
Cor 95
Cordis affectus 117. vulnerati ſigna 154. 230. vulnerum præſagia 244
Corporis habitudo quid valeat in junctûris 317. impo-

impotentia ex vulnere 52. partium mortuarum resectio 56. plethorici curatio 197
Corruptiones ossium fractorum 72
Cranii fracti signa 166
Critici dies 36
Cubiti dislocatio 71. gibbi articuli repositio 70
Cubitorum ossa 66
Cura cancri incipientis 224. cancri magni valdè periculosi 225. carbunculi 215. convulsionis ex inanitione 261. convulsionis ex repletione ibid. convulsionis à frigore profectæ 262. convulsionis à punctura nervi orta 261. erysipelatis 216. herpetis 217. inflammationis ad palatum 86. ligamentorum & tendinum 278. & seq. morsuum venenatorum 266. narium tumefactarum 80. nervi vulnerati 273. nervorum contusorum 278. œdematis 218. paralyseos 262. phlegmones 209. strumarum 222. syncopes in paroxysmo 263. symptomatũ gravium 258. tumoris aquosi 220. tumoris ventosi 221. tumorum quot modis differat 208. ulceris simplicis 304. & seq. ulcerum compositorum 306. in quibus consistat 327. & seq. uteri exulcerati 77. vulneris simplicis 251. vulneris compositi 257. vulneris in substantia epatis 301. vulnerum capitis 284. factorum in junctûris 279. vulnerum in venis & arteriis 270. & seq.
Curæ generalis intentio 251
ad Curam vulneris quæ requi-

requirantur 250
in Cura phlegmones quæ conſideranda 209. & ſeqq. *vulnerum quinq; ſcopi recentiorum Chirurgorum ſunt attendendi* 251. & ſeqq.
Cutis dolor duplex 133. *quid arguat* 134

D

Denigrationes oſſium fractorum 72
Dentes corroſi 58
Dentitionis temporis adventantis ſigna 88
Dentiū corruptio & ſymptomata 50. *corruptioni febris ſupereminens quid denotet* ibid.
Deligatio inimica fracturæ aurium 63. *ulcerum* 75
Delirium 260
Derivantia quando locum habeant 212
Deſipientia ex plaga capitis, malum 23
Diæta ulceroſorum 56
Diaphragmatis vulnera 154. *vulnerati ſigna* 230. *vulnerum ſigna* 245
Diaria 117. *ejus ſigna* ibid. *pulſus qualis* ibid.
Diaſtole & ſyſtole 192. *earū uſus & ſigna* ibid.
Dies critici 36
Differentiæ tumorum unde ſumantur 173
Difficultas curandi morbos antiquos 53
Diſlocatio cubiti 71. *oſſis femoris* ibid. *oſſium* 66. *vetus* 330
Diſlocationes præ cæteris periculoſæ 316. & ſeq.
Dolor 260. *quid* 196. *quid ſignificet* 115. *omnibus modis mitigandus* 275. *acutus* 115. *colicus, qui ex pituita vitrea, unde* 138. *continuus* 116. *fixus* ibid. *gravis* 115. *intermittens* 116. *major obſcurat ſenſum minoris doloris* 38. *profundus* 115. *pruriginoſus* 116. *pul-*

ſatorius 115. pungens ibid. renum quando irritetur 163. ſuperficiarius 115. tenſivus ibid. vagabundus 116. ex carie oſſium 22. tumor, livorq; occipitis ex corrupto cerebro 23. ubi, ibi morbus 166
Doloris cauſa 87. tres mitigandi modi 198
Dolorum ſedatio 196
Dorſi medullæ ſauciæ ſigna 229
Dyſuriam & ſtranguriam quid ſolvat 90

E

Effectus ſectionis venarum retro aures 59. ſiderationis 60. ulceratorum uterorum 78. tollitur cauſâ ſublatâ 196
Emollientia cur reſolventibus aliquando præcedant 206
Epatis & lienis vulnerum præſagia 246. vulnerati ſigna 232
Ephemera ſeu diaria 117. ejus ſigna ibid. ejus pulſus qualis ibid.
Ephylôma 145
Epiala quæ 124. ejus cauſa continens ibid.
Epulotica 269. quotuplicia ibid.
Eryſipelas 82.87. quid 178. unde dicatur 179. quotuplex ibid. tumor calidiſſimus 141. ejus hepatis ſymptomata 152. ejus ſigna 141. quomodo terminetur 193. cur finiatur reſolutione ibid. cur faciem infeſtet 194. uteri lethalis ibid. in Eryſipelate curando ſcopus quis 216
Eryſipelatis victûs ratio 216. & ſeq. cauſarum amputatio quomodo facienda 216
Evacuatio 50
Exceſſus oſſis tibiæ 74
Excrementa quæ 104. alvi ſpumoſa 111. alvi in ſcrotum 113. alvi albida quid portendant 134. ſuppreſſa

preſſa 104
Excrementorum ulcerum genera 160
Exoſtoſes unde oriantur 143. *quibus eveniant* ibid.
Exſcreatio ſalivæ frequens quid denotet 132
Extenſio membri cur neceſſaria ſit 320. *quæ in ea cavēda* ibid. & ſeqq. *oſſis femoris fracti* 73. *oſſis tibiæ* 74
Exterſoriis quando utendum 43
Exulcerationis renum ac veſicæ ſigna 83

F

in Facie ſi tumor rubicundus poſt capitis vulnus acceſſerit, quid agendum 28
Faciem cur eryſipelas infeſtet 194
de Faucibus exulceratis 45
Febris 260. *epiala* 124. *ejus cauſa continens* ibid. *hectica ſigna ſecundi gradûs* 128. *tertii gradûs* ibid. *pulſus qualis* 124. *quotidianæ intermittentis ſigna* ibid. *pulſus qualis* ibid. *urina* ibid. *ſynoches quid* 118. *quæ* 120. *ejus differentiæ* ibid. *putridæ intermittentis differentiæ* 121. *tertiana quos prehendat* ibid. *ejus ſigna* ibid. *pulſus* ibid. *urina* ibid. *tertiana notha unde oriatur* ibid. *quartanæ pulſus* 123. *urina* ibid. *ſigna* ibid. *& vomitus ex diviſo cerebro neceſſariò ſuperveniunt* 23. *vulneratorum* 16
Febrim inducit tumor pinguior 44
Febrium tres differentiæ 117
Fel 95
Femur 68
Ferulæ deligationis conſervandæ cauſſâ apponuntur 67
Feſtuca quomodo extra-

henda 259
Fibula 252
Fibularum uſus apud veteres 254
in Fiſſuris inflãmatis quid agendum 35
Fiſtulæ,earumq; cauſæ 47. quæ difficillimæ 80
Fluore renum affecto hæmorrhoides levãtur 107
Fluxio quid,& unde 172. à fotu renovata quid indicet 138
Fluxiones ulcerum gravidis doloroſæ,malum 68
Fluxionis cauſa 197
Fluxus ſanguinis conducit vulneribus recẽtibus 57
Fœtida tuſſis 135
Fœtor excrementorũ 136. oris 135. cum ſudore proveniens ibid. è naribus ibid. quid portendat ibid. urinarum 136
Fomentum oculis admotum protinùs juvans quid ſignificet 138
à Fotu fluxio renovata quid denotet ibid.
Fractura quid 310. periculoſa quæ 314.& ſeq. error in iis & Hippocratis & modernorum à Pareo obſervatus 323.& ſeq. circa naſum 63. oſſis partis ſuperna 65. ejus ſigna 165
Fracturarum differentia 311. prognoſis 314. curandarum ſcopi 318. & ſeq. curatarum cum vulnere exempla aliquot 325.& ſeqq.
Frigida temperies 129
Frigidum oſſibus inimicum 88. ulceribus mordax ibid.
Frigus per univerſum corpus quid denotet 130. ubi vitandum 282. ſupra umbilicum 129
Functio tripliciter læditur 103
Fungus in cerebro 105.112. quid in capite portendat 153
Furfures in pericranio 113
Furunculus quid 178

G

Ganglia & tophi quibus parti-

partibus eveniant 143
Ganglion 185
Gangræna quid 142. & Sphacelus unde 190
Gangrænæ ſupervenientis cauſæ 192. & Sphaceli ſigna 142
ad Gangrænam ſiſtendam remedia 214
Genarum rubor 116
Generatio calli in oſſibus 322
Genitale ſemen ſponte ſomno profluens 111
Glabrorum ulcera 89
Glandulæ 185
Granula ſub lingua hominis 112
Gravidis ulcerum fluxiones doloroſæ, malum 68
Grumi in urina quid ſignificent 83
Gula 94

H

Hæmorrhagia in vulneribus 89. mortifera 241
Hæmorrhoides 88. renum fluore affecto levantur 107
Hæmorrhoidum morbus quomodo fiat 91. ulcus 163. uſus maximus 47
Hepar 93
Hepatis eryſipelatis ſymptomata 152. intemperies frigida quibus acquiratur 130. quinq; extremitates 95
Herpes quid 179. unde dicatur 180. quotuplex ibid. eſthiomenus quid 159. miliaris unde originem ducat 141. ejus cura 217. quid in eo notandum 41
Homo inteſtina habet craſſa, canibus majora 97
Humerorum repoſitio 70
Humiditas cerebri, ſomni cauſa 132
Humor pinguior febrim inducit 44. turbatus omnes venas replet 51
Humore ſapores cognoſcuntur 134
Humores quot, tot tumorum genera 173
Humorum ferocitas atq;

impetus 82
Hydrocephali quibus eveniant 144
Hydropis, Aſcites & Hydroceles cauſa 184
Hyperſarcoſis in pene quid denotet 112
Hypogloſſis curatio 79. ſigna ibid.

I

Ichor 111.235
Jecoris vulnus 155. ulcus 163. inflammati ſigna 151. tumor quomodo innoteſcat 149
Ignis inimicus nervis 37. ſacer 43
Ileus in ſtranguria quid ſignificet 91
Impotentia corporis ex vulneribus 52
Inanitio & repletio 290
Indicationes, ulcus in oculo formari 42
Induratio, tertius tumoris modus 191
Inflammata frigefacienda cataplaſmatis 55
Inflammati jecoris ſigna 151. ſplenis 152. ſtomachi ibid.
Inflammatio in ulceribus uterorum arcenda 79. quartus tumoris modus 191
Inflammationis ad palatum curatio 86
Inflammationum internarum ſymptomata 119
Inflatio quid, & quæ ejus ſpecies 184
Inſomnia 260
Intemperies calida ibid. hepatis frigida quibus acquiratur 130
Intentio curæ generalis 251
Inteſtina craſſa homo canibus majora habet 97. ſauciata, per transverſum, mortē inferunt 19
Inteſtini craſſi & tenuis exulcerati ſigna 162
Inteſtinorum ſauciorum ſigna 231. tenuium vulnus 156
Inteſtinum princeps, poſtremum 94
Jugularium venarū vulnus 156
Junctūrarum balſamus naturalis 281. natu-

natura quid faciat ad reſtitutionem luxationis 317. quid in iis habitudo corporis valeat ibid.

L

Lactis non puri indicationes 84
Lagopyri herbæ deſcriptio 44
Lanis ſuccidis vulnera citiſſimè ſuppurantur 54
Laryngis tumorũ ſigna 152
Laſsitudo ſpontanea ſynocho præcedit 119
Lethargi ſigna 153
Liberatio ulcerum ab inflammatione quando fiat 30
Lien 94
Lienis tumor ubi deprehendatur 150. *ulcus* 163. *vulnerati ſigna* 232. *& epatis vulnerum præſagia* 246
Ligamentorum & tendinum cura 278. & ſeq.
Ligaturæ, & earum uſus 201. *Guidonis* 252. & ſeq. *triæ genera* 252
Lingua nigricans quid indicet 116
Livor, tumor doloráq; occipitis ex corrupto cerebro 23
Luxatio quid 312. & ſeq. *cum fractura* 40. 330. *maxillæ* 69. *quæ incurabilis* 317
Luxationis cura in quibus conſiſtat 327. & ſeq. *ſigna* 313. *articulorũ ſanatio* 68. *ad ejus reſtitutionem quid natura junctura-rum faciat* 317
Luxationum differentiæ 313. *prognoſis* 316

M

Matricis percuſſæ ſignæ 233
Maxillæ luxatio 69
Meatûs urinarii morbus unde 138
Medicamẽta agglutinantia ſimplicia 257. *aræotica* 201. *attrahentia* 259. *attrahentia per ſe & per accidens* 202.

diaphoretica ſimplicia & compoſita 201.
emollientia 202.
epulotica quæ & quotuplicia 269.
melanagoga 224.
phlegmagoga 219.
reſolventia quæ & quotuplicia 201.
reſtringentia 273.
ſarcotica quæ & quotuplicia 268.& ſeq.
ſuppurantia 203.
topica 217.
topica in ſcirrho 224.
univerſalia 289.
ad vulnera venarum & arteriarum 273.
ad ſedãdos dolores dentium concavorum 276.
in nervis vulneratis 274. *à quibus abſtinendum* 281
Medicamentum bonum, aliquando nullum medicamentum 64. *deſiccans & mundans vulnera junctturarum* 281. *in inflammatione ulcerum acrium* 78. *pro vulneribus cruentis* 58. *pro conceptu* 91
Medici in morborum malis neceſſariis excuſantur 38. *peregrinis & egenis maximè opitulari debent* 97
de Medicis ſiniſtrum ægrotorum judicium 38
Medullæ dorſi ſaucia ſigna 229
Melen 145
Meliceris 111.185.235. *atheroma, & ſteatoma quid* 147
Membra reſpirationis 104
Membri extenſio cur neceſſaria ſit 320. *ſaucii ſituatio* 281
Meningum cerebri vulneris ſigna 153
Meninx craſſa quomodo ſit tractanda 288
Mens ægrota 83
Menſtrua 106
Meſenterii ulcus 163
Meſocolon 97
Methodus curandi tumores per fluxionem factos 195.& ſeqq.
Mictus noctu plurimus quid denotet 84

Mili-

Militaris ciſta 342. *ejus claſſes* 348. & ſeqq.
Mitigantium & refrigerantium cauſa 212
à Morbillis quomodo phlyctænæ diſtinguãtur 148
Morbi & accidentia quomodo profliganda 260
Morbi recidivi 83
in Morbis curandis quæ conſideranda 208
Morbos antiquos curandi difficultas 53
Morbus hæmorrhoidum quomodo fiat 91. *meatûs urinarii unde* 138
Morſuum venenatorum cura 266
Mulieris teſticulorum tumorum ſigna 150
Mundificantia acida 264. *amara* ibid. *dulcia* ibid. *ſimplicia & compoſita* 263
Mundificativi de apio deſcriptio 208
Muſculi temporales qui 153
Myocephalon unde initium ſumat 145
Myrmeciæ ſigna 149
Myrmeciæ, acrochordones, calli, & verrucæ quomodo inter ſe differant 149

N

Narcotica quando ſint adhibenda 213. *quando iis utendum* 199. 217
Narium affectus 117. *fractura* 63. *tumefactarum curatio* 80
Nervi 90. 95. *denigrati cura* 35. *reverſivi vulnus* 157. *vulnerati cura* 273
Nervis inimicus ignis 37
Nervorum affectus 117. *contuſorum cura* 278. *vulnus* 157. *vulnera quomodo inter ſe differant* 276
Nervoſæ partes non coaleſcentes 38
Nodus & glandulæ 185
Nomæ unde dictæ 159. *lethaliſſimæ quæ* 28
Nudatio oſſis 90
Nutritionis organa 104

O

Oculorum affectus 117.
curatio 82.93.
vitia 92
Oedema quid 180.& ſeq. quotuplex 142. 180.182. purum unde 142. an facilius per congeſtionem, quàm fluxionem generetur 181. verum unde 182. quomodo generetur ibid. quomodo terminetur 194. non verum quid 183. cur in ſcirrhum generet 194
Oedemata quid præ ſe ferant 140. quibus eveniant ibid. eorum ſigna ibid.
Oedematis ſignificatio 181. exquiſiti ſigna 142. tempus 194. cura in quo conſiſtat 218.& ſeq. non veri differentiæ 183. cura 219. diæta ibid. topica in augmẽto 219. topica in ſtatu & declinatione 220
Oeſophagi plagarum prognoſis 244. ſaucii ſigna 231
Oleum non omnibus ulceribus conducit 52
Omentum ſi excidat, quid fiat 43
Omphalocele 150
Ophthalmia 176
Organa nutritionis 104
Oris, carne nudati, difficilis eſt ſedis deprehenſio 12
Os ægrotans 18. carne denudatum 25. cervicis 27. circa ſynciput tenuiſſimum 31. cartilago, nervi 90
Oſſa cubitorum 66. pedis fracta 73. tibiæ luxata 72. manûs, pedis, &c. quot 95. fracta ac contrita quomodo curentur 19. ex alto cadentibus rumpuntur & contunduntur 20
Oſſe ſecto quid fiat 90
Oſibus frigidum inimicum

cum 88
Oßi fiſſo ſerra adhibenda 19
Oßis extenſio 74. diſceſſuri ſignum 15. femoris diſlocatio 71. femoris fracti extenſio 73. fracturæ ſigna 311. nudatio 90. partis ſupernæ fractura 65.165. tibiæ exceſſus 74
ab Oßis vulnere deſipientia 18
Oßium alimentum 74. caries dolorẽ parit 22. caries quomodo deprehendatur 166. contuſio, ruptio aut diſſectio 18. diſceſſus 64. diſlocatio 66. fractorum corruptiones & denigrationes 72. fractura 62. repoſitio ibid. ſonus quid innuat 173. terebratio & perforatio 28
Ozena quando fiat 146

P

Papulæ unde fiant 147
Paralyſis quid 262. ani quomodo cognoſcatur 193. ejus cura ibid.
Paraſtata vaſa 109
Parei balſamus 277. praxis ſuſpecta 274
Paronychia ubi naſcatur ibid.
Parotis 176
ad Partes principes roborandas quæ faciant 219
de Partibus nervoſis non coaleſcentibus 38
Partium corporis mortuarum reſectio 56
Paßionis forma exquirenda 22
Pedis & oßium ejus fractura 73
Penis ulcus 164
Perforatio & terebratio oßium 28
Perfrigerata excalefacienda 88
Pericardii ſigna 154
Pericula ex vulnerata arteria 54. ex vulneribus capitis contemptis 5
Peripneumoniæ ſigna 151. ſymptomata quomodo depre-

deprehendantur ibid.
Peritonei vulnus 155
Perituroruṁ breviſſimo tempore ſigna 54
Pertuſiones lethales quæ 90
in Phlebotomia quæ cavenda 197
Phlegmone 260. *quid* 174. *unde oriatur* 140. *quot modis ſumatur* 174. *quomodo terminetur* 192
Phlegmones calor 175. *derivatio* 174. *differentiæ variæ* 176. *dolor* ibid. *propria generatio* 175. *pulſus* 176. *rubor* 175. *tenſio & renitentia* ibid. *veræ & legitimæ & nõ veræ deſcriptionis opiniones* 176. *quæ in ejus cura conſideranda* 209
Phrenitidis ſigna 153
Phlyctænæ quid 148.180. *à carbunculis quomodo differant* 148. *à morbillis quomodo diſtinguantur* ibid.
Phlyctides 180
Phygethla, phymata & bubones quid accerſant, ſi ab inflammationibus excitentur 139. *quid, ſi abſq; inflammationibus* ibid.
Phygethlon quid 177
Phyma qualis tumor 178
Plaga ſeu vulnus quid, & quotuplex 226.& ſeq.
Plagarum differentiæ 227. *œſophagi prognoſis* 245
Plethorica corpora ut curanda 197
Pleuræ ſigna 154
Pleuritidis ſymptomata 151
Podagra 88
Polypus 89. *ejus ſigna* 146
Præſagia in magnis vulneribus bona & mala 240. *in vulneribus nervorum* 241. *cur tàm periculoſa* 242. *vulnerati cerebri* 243. *vulnerum cordis* 244. *vulnerum epatis & lienis* 246. *vulnerum penetrantium* 243

Priapiſmus unde oriatur 143
Principium ſuppurationis conſiderandum 87
Prognoſes ſeu præſagia vulnerum unde petantur 238. *in morbis unde petantur* 188
Prognoſis fracturarũ 314. *luxationum* 316. *plagarũ œſophagi* 245. *partium ſpermaticarũ & organicarum* 247. *ulceris inveterati* 250
Prognoſtica vulnerum epatis & lienis 246. *vulnerum in renibus* ibid. *vulnerum pulmonis* 244
Pterygionis ſigna 147
Pudenda & teſtes 82
Pulmonis particula excreta quid portendat 161. *ruptio* 55. *venæ quibus modis erodantur* 161. *ulcus quibus ſignis cognoſcatur* ibid. *vulnerati ſigna* 154. *vulnerum prognoſtica* 244. *ulcerum* 248
Pulſationes venarum 89
Pulſus diariæ qualis 117. *tertianæ* 121. *ſynochi qualis* 119. *quartanæ* 123
Pulverum uſus in fracturis cranii 289
Purgatio 255. *ejus utilitas in vulneribus* 256
Puris vulnerũ qualitas 37
Pus quid 23.109. *cum ſanguine quid ſignificet* 110. *cum ſemine quid arguat* ibid. *cum urina celeriter ſubſidens* ibid. *cum urina longo tempore ſubſidens* 109. *è pudendo muliebri* ibid. *ex ano* ibid. *album, curationis celeris indicium, ſanioſum contrà* 47. *ſi tuſſi dejicitur, abſceſſum thoracis indicat* 109

Q

Qualitas puris vulnerũ 37
Quartana intermittens vera & falſa 122. *quibus contingat* 123
Quartanæ exquiſitæ ſigna 122.

122. urina 123. pulſus qualis 123.& ſeq. nothæ & ſpuriæ ſigna 123
Quies & motus 290
Quotidianæ intermittentis pulſus 124. ſigna ibid. urina ibid.

R

Ramenta quid denotent 105
Ratio ſiſtendi ſanguinem 270
Rauca vox quid ſignificet 131
Recreſcere quid ſit 247
Refrigerantium & mitigantium cauſa 212
Remedia ad gangrænam ſiſtendam 214. ad reſectionẽ ulcerum in utero 78. contraria 89. revellentia quæ 199.212
Renes 94
in Renibus vulnerum prognoſtica 246
Renitentia & tenſio phlegmones 175
Renum ac veſicæ vitia 83. dolor quando irritetur 163. exulcerationis ſigna ibid. fluore affecto hæmorrhoides levantur 107. ſauciorum ſigna 233. ulcus 163. vulnus 156
Repercutientia quæ 200. aquoſa ibid. terreſtria adſtringentia calida ibid. terreſtria adſtringentia frigida ibid. quando applicanda 205
Repletio & inanitio 290
Repoſitio articulorum 65. humerorum 70. luxationum & articulorum 67. tibiæ oſſis fracti quando lethalis 85
Requiſita ad curam vulneris 251
Reſectio partium corporis mortuarum 56
Reſolutio, tumoris modus primus 191
Reſpirationis membra 104
Revellentia remedia quæ 199.212
Revulſioni quando ſit locus 199

Riſus Sardonius unde oriatur 154
Rubor quid ſignificet 133. *genarum* 116
Ruptio pulmonis 55

S

Salivæ frequens exſcreatio quid denotet 132
Sanatio luxationis articulorum 68
Sanguis in urina quid denotet 83. *cantharidibus devoratis mejitur* 109. *quid ſignificet* 160. *in ventrem effuſus, ſuppurandus* 23. *è naribus* 106.108. *è pene profluens* 108. *chylo permixtus* ibid. *ſpumoſus* ibid. *tenuis* ibid. *pituitæ permixtus* ibid. *concretus ſi evomatur, quid arguat* ibid. *per pudendum multus & aquoſus, partum recentem denotat; non aquoſus verò, fœtûs imbecillitatẽ & abortum* 109. *exiliens, arteriam apertam eſſe denotat; non exiliens verò, venam* 106. *cum urina excretus quid ſignificet* ibid. *ex ano fluens quid portendat* 107. *craſſus* ibid. *multus cum excrementis* ibid. *paucus cum paucis excrementis* ibid. *tenuis & aquoſus* ibid. *varius* ibid.
Sanguinis fluxus conducit vulneribus recentibus 57. *profluvium quando malum* 84
Sanguinem ſiſtendi ratio 270
Sanies quid 160.235. *duplex* 111. *quæ fœtet* 160
Sapore humores cognoſcuntur 134
Sarcomatis ſigna 145. *polypi & ozenæ differentia* 112
Sarcotica 268. *quotuplicia* 269. *quid de iis Galenus ſentiat* 268

Sardonius riſus unde oriatur 154
Scirrhus quid, & quotuplex 186. & ſeq. *unde dicatur* 187. *quando & cur Cancer fiat* 195. *ejus prognoſtica* 194. *exquiſitus unde oriatur* 141. *ſpurius unde* ibid. *ejus ſigna* 142. *in curatione ejus quid obſervandum ſit* 223. *quomodo in ejus curatione vivendum* ibid. *& quomodo purgatio in eo facienda* 224
Scrophulæ 185
Sectionis venarum retro aures effectus 59
Sedatio dolorum 196
Semen genitale ſponte ſomno profluens 111. *ſponte fluens quid denotet* 105
Septum transverſum 94
Serra oſſi fiſſo adhibenda 19
Sibilus 136. *unde excitetur* ibid.
Siderationis effectus 60.
ſignum, torpores 54
Signa breviſſimo tempore periturorum 54. *calculi* 83. *cancrorum internorum* 120. *diariæ* 117. *tertianæ* 121. *tertianæ nothæ* 122. *quartanæ exquiſitæ* ibid. *quartanæ nothæ* 123. *quotidianæ intermittentis* 124. *tonſillarum* 86. *ſynochi putredinis expertis* 118. *febris hectica ſecundi & tertii gradûs* 128. *cerebri humidi* 132. *cancri* 141. *anthracis* 140. *eryſipelatis* 141. *œdematis* 140. *œdematis exquiſiti* 142. *œdematis ſpurii* ibid. *cerebri ſicci* 131. *ſcirrhi ſpurii* 142. *tophorum* 144. *ſphaceli & gangrænæ* 142. *ſplenis inflammati* 152. *ſtomachi inflammati* ibid. *phrenitidis* 153. *tumorum laryngis* 152. *lethar-*

lethargi 153. acrochordonis 149. cordis vulnerati 154. myrmeciæ 149. polypi 146. pterygionis 147. pericardii 154. peripneumoniæ 151. pleuræ 154. cranii fracti 166. cerebri vulnerati 227. & ſeq. jecoris inflammati 151. inteſtini craſſi & tenuis 162. pulmonis vulnerati 154. ſarcomatis 145. teneſmi 162. tracheæ arteriæ exulceratæ 161. tumorum teſticulorum mulieris 150. ventriculi exulcerati 162. uteri veſicæ ampli 164. fracturæ 165. ſauciæ medullæ dorſi 229. vulneris menyngum cerebri 153. vulneris in pectus penetrantis 229. & ſeq. cordis vulnerati 230. diaphragmatis vulnerati ibid. œſophagi ſaucii 231. lienis vulnerati 232. renum ſauciorum 233. epatis vulnerati 232. inteſtinorum ſauciorũ 231. matricis percuſſæ 233. ſtomachi ſaucii 231. veſicæ ſauciæ 233. vulnerum in juncturis 242. vulnerum diaphragmatis 245. ſyncopes futuræ 263. fracturæ oſſis 311. luxationis 313

Sitis aſſidua quid innuat 131

Situatio membri ſaucii 281

Solutio tuberculi in meatu urinario 82. 90. circa veſicam quando fiat 82

Somnus 200. ejus cauſa, humiditas cerebri 132

Sonitus 136

Sonus in quibus partibus obaudiatur 136. oſſium quid innuat 137

Sordes 235

Specillum teli ſedem indicat 22
Sphaceliſmus 90
Sphaceli nomina varia 192. *uſus & ſigna* ibid. *& gangræna ſigna* 152
Sphacelus & gangræna unde 190
Spina 94
Splenis vulnus 155. *inflammati ſigna* 152
Steatoma, Atheroma, & Meliceris quid 147
Steatomatis & Atheromatis materia 185
Stercus 106
Sternutatio quid innuat 137. *unde procedat* ibid.
Stomachi inflammati ſigna 152. *ſaucii ſigna* 231. *vulnus* 156
in Stranguria Ileus quid ſignificet 91
Stranguriam & dyſuriam quid ſolvat 90
Strepitus 136
Strumarum cura 222. *locus & ortus* 158
Subſtantia perdita quomodo reparanda 268
Succus uvæ immaturæ 59
Sudor criticus 112. *ſponte manans* 111
Suctiones in plagis penetratis 266
Suppreſſio urinæ 113
ad Suppurantia quando recurrendum 206. 214
Suppuratio ventris ſuperioris 57. *ſecundus tumoris modus* 191
Suppurationes peripneumoniacæ 46
de Suppuratis à vulneribus 52
Sutura 252. *glutinans* 253. *interſecta* ibid. *ferrea* 254. *cum pennis facta* ibid. *continua* ibid.
Suturæ capitis 13. 26
Suturarum genera diverſa 253
Symptomata ex cerebro concuſſo & ſauciato 23. *peripneumoniæ quomodo deprehendantur* 151. *pleuritidis* ibid. *internarum inflammationum*

tionum 119.
gravia quomodo curanda 258
Synanche 176
Syncope quid 263.
unde oriatur ibid.
Syncopes cura in paroxysmo 263. futuræ signa ibid.
Synocho præcedit lassitudo spontanea 119
Synochus febris quid 118.
quæ 120.
quotuplex 118.
putris 119
Synoches febris differentiæ 120. pulsus
qualis 119.
urina ibid.
Systole & diastole 192

T

Tabes & atrophia quibus differant 131
Talparia unde dicta 144.
unde oriatur ibid.
Tela, ossa rumpentia 25
Teli sedem speculum indicat 22
Telo caro contusa, celerrimè suppuranda 37
Telorum extractio 5.
sedes 13.
in corpore existentium signa exquirere debet Chirurgus 42
Temperies frigida quid significet 192
Tempora non secanda 9
Temporales musculi qui 153
Tempus ulceribus commodius, calidum 24
Tendinum vulnus 157.
& ligamentorum cura 278
Tenesmi signa 162
Tensio & renitentia phlegmones 175
Tenuium intestinorum vulnus 157
Terebelli usus 286
Terebellis cur utendum ibid. quæ in iis cavenda 287.
quæ in iis observanda 288
Terebello quando locus sit 286
Terebellum in perforatione interdum eximendum, inq; frigidam aquam immergendum 29

Terebrandi ratio 286
Terebratio & perforatio oſsium 28
Tertiana duplex in quibus differat à quotidianis 125. *notha unde oriatur* 121
Teſtes & pudenda 82
Tetanus quid portendat 91
Thymus quid 148. *quæ membra occupet* ibid.
Tibiæ oſſa luxata 72. *oſsis exceſſus* 74. *oſsis extenſio* ibid. *oſsis fracti repoſitio quando lethalis* 85
Tinnitus 136
Tonſillarum ſigna 86. *ulcera æſtate pejora* 46
Tophi ex lue Venerea ortum capiunt 144. *& ganglia quibus partibus eveniant* 143
Tophorum materia 144. *ſigna* ibid.
Topica adſtringentia quæ 198. *evacuantia variare debent* 213. *à principio morbi* ibid. *in declinatione* 214. *in incremento morbi* 213. *in vigore mali* ibid.
Torpores, ſignum ſideration is 54
Trachææ arteriæ vulnus 157. *exulceratæ ſigna* 161
Tubercula, eorumq; diſſolutio 42. *extuberantia quæ meliora* 85. *unde naſcantur* ibid.
Tuberculum 83. *circa veſicam quando fiat* 82. *ejus in meatu urinario ſolutio* 82. 90
Tumor, dolor, livorq; occipitis ex corrupto cerebro 23. *rubicundus ſi poſt capitis vulnus in facie acceſſerit, quid agendum* 28. *cum dolore, malus* 55. *præcordiorum* 81. *aquoſus quid* 184. *contra naturam quid ſit* 171. *contra naturam duplex* 172. *jecoris quomodo innoteſcat*

teſcat 149.
lienis ubi deprehendatur 150
Tumoris aquoſi cura 220.
œdematoſi curati exemplum ibid.
ventoſi cura 221
Tumores arthritici unde originem ſumant 143.
arthritici quomodo diſtinguantur 144.
conſpicui cum ulceribus quid denotent 84.
juxta aures 80. & ſeq.
producti ab humore 181.
qui accidunt partibus vitalibus ibid. & ſeq.
qui muſculis contingunt, quales 140.
veſicæ calidi quid portendant 150
Tumores per fluxionem factos curandi methodus 195. & ſeqq.
Tumorum cura quot modis differat 208.
differentiæ unde ſumantur 173.
exitus varii 190.
tempora quatuor 191.
genera tot, quot humores 173.
laryngis ſigna 152.
teſticulorum mulieris ſigna 150.
ventoſorum cauſæ 184
Tunica quid denunciet 104.
craſſa 105.
lenta ibid.
per alvum ibid.
per vomitum ibid.
in urinæ hypoſtaſi ibid.
ſi evomatur, quid ſignificet 162.
tenuis 105
Tuſſis fœtida 135

V

Varices in tibia 38.
ubi & quibus evenire ſoleant 140
Vaſa paraſtata 109
Venæ 97.
craſſæ ſauciatæ 49.
tenues & craſſæ 41.
craſſiſſimæ 96.
ſphagitides ibid.
pulmonis quibus modis erodantur 161
Venæ ſectio 217. 221.

255. cur neceſſaria ſit 211.256
Venarum pulſationes 89.
vulnus 157.
retro aures ſectionis effectus 59.
jugularium vulnus 156
Venas omnes tumor turbatus replet 51
Venter 94
Ventriculi affectus 117.
vulnus 155.
exulcerati ſigna 162
Ventris pars inferior tactu frigida percepta quid ſignificet 130.
purgationis deorſum uſus 47. ſuperioris ſuppuratio 57.
vulnus 105.
in ejus vulneribus quæ obſervanda 302
Vermes 235
Verrucæ, acrochordones, calli, & myrmeciæ, quomodo inter ſe differant 149
Verticula 66
Veſica 94
Veſicæ colli ſigna 164.
ulceris ampli ſigna ibid.
tumores calidi quid portendant 150. ulcus 163.
vulnus 155.
ſauciæ ſigna 233.
exulcerationis ſigna 83.
ac renum exulcerationis ſigna ibid.
Veſicatoria quid ſint 204.
eorum materia ibid.
Victus 289.
cur tenuis eſſe debeat 211. ejus recta ratio in quo conſiſtat ibid.
Vinum ulceribus commodum 45
Virus quid 235
Ulcera cuniculoſa 39.
in utero 76.
glabrorum 89.
quomodo ſint curanda 205. & ſeq. ſubcava 9.
magna quando inflammari incipiant 10.
recentia citiſſimè ſuppuranda 48.
immatura non conſtringenda 53.
ureterum 164.

inflammata difficulter coaleſcunt 33.
medicamentis humectantibus illinenda 36.
quomodo agnoſcantur 237. *quomodo deliganda* 37.
in tibiis 54.
tonſillarum æſtate pejora 46. *ſimplicia* 158.
cancroſa 159.
mixta 158.
maligna 159.
diuturniora quid ſignificent 166.
fiſtuloſa 160.
putrida 159.
ſordida ibid.
ſinnoſa 160.
virulenta 159.
non purgata nõ coëunt 32. *non niſi vino humectanda* 31.
non deliganda ibid.
quæ facilè ſanantur 248
Ulcerationes voluntariæ 40
Ulceribus tempus commodius eſt calidum 24.
in iis cognoſcendis ratio ſpecierum hominum, ætatum, locorum, habenda 33. & ſeq.
quid in iis ſub profunda carne agendum 39.
quid in annuis faciendum 42.
affuſionis aquæ calidæ in iis effectus 49.
aquæ frigidæ 48.
non omnibus oleum conducit 52.
frigidum mordax 88
Ulceris forma 61.
veſicæ ampli ſigna 164.
inveterati prognoſis 250. *differentiæ* 235.
in oculo formati indicationes 42.
vocabuli uſus apud Arabes & Græcos 234
Ulceroſi in juventute, poſtmodùm ſaniores vivunt 45
Ulceroſorum diæta & victûs ratio 56. 61
Ulcerum deligatio 75.
ſectio 9.

via quatuor 51.
effectus 41.
varicoſorum ſigna 158.
excrementorum genera 160.
prognoſtica 248.
& ſeq. *compoſitorum cura* 306.
& ſeqq. *in utero purgatio* 76.
liberatio ab inflammatione quando fiat 30.
in eorum cura quæ ſit habenda ratio 302.
& ſeqq.
Ulcus quid ſit 234. & ſeq. *hæmorrhoidum* 163.
jecoris ibid.
lienis ibid.
meſenterii ibid.
penis 164.
renum 163.
veſicæ ibid.
ureterum 164.
uteri ibid.
rheumaticum & cacochymum quando dicatur 235.
cacoëthes 236.
putridum ibid.
quotuplex ibid.
junctura rarum 279. & ſeq. *in pene quomodo deprehendatur* 110.
ferinum quare oriatur 35. *in utero impedit conceptionem* 77. *purulentum unde nomen habeat* 160. *pulmonis quibus ſignis cognoſcatur* 161.
ſiccum citiùs curatur 7. *ad id cognoſcendum nihil opus eſt ſignis* 237
ſupra Umbilicum frigus quid ſignificet 129
Uncinus 252
Vomitus & febris neceſſariò ſuperveniunt ex cerebro concuſſo 23
Vox rauca quid ſignificet 131
Ureterum ulcus 164
Urina quartanæ 123.
ſynochi 119.
quartanæ intermittentis 123.
quotidianæ intermittentis

tentis 124.
in febre diaria 118
Urinæ ſuppreſsio 111.113.
quid denotet 112
Urinarum colores quid denotent 134.
fœtor quid innuat 136
Uteri ulcus 164.
colli ulcus 165.
vulnus 156.
exulcerati ſuppuratio 77. *& oſculi exaſperati curatio* 76.
eryſipelas lethalis 194.
obſtructio 134.
in ulceribus malum ibid.
Uterorum ulceratorum effectus 78
Uvæ in faucibus curatio 86. *immaturæ ſuccus* 59
Vulnera capitis ad cerebrum pertingentia, lethaliſsima 12.
capitis ſanguinem fundentia 15.
orbicularia 9.
lethalia quæ 43.
capitis ſimplicia 285.
contuſione facta ibid.
in articulis 36.
magna 83.
citiſsimè ſuppurantur lanis ſuccidis 54.
cæſim facta quomodo curanda 264.
diaphragmatis 154.
cerebri cur ſint mortalia 244.
curatu facilia quæ 239.
perluenda 34.
nervorum quomodo inter ſe differant 276.
ſimplicia & parva 238.
ex ruptis oſsibus 16
Vulnerati concuſſo cerebro, voce, viſu, & auditu privantur 27.
fiunt ſiderati 8.
capite quomodo examinandi 6
Vulnerationis formæ quæſtio 10
Vulneratorum febris 16.
victûs ratio 256
à Vulnere capitis ſi tumor in facie rubicundus acceſſerit, quid agendum 28. *oſsis deſipientia* 18
ex Vulnere capitis prognoſticæ

ſtica morituri 7
ex Vulneribus capitis contemptis pericula 5
in Vulneribus capitis ſymptomata mala quæ 10. in principiis febrium mala quæ 11. febris lethalis quando ibid. tempus nactis quid agendum 50. recentibus conducit ſanguinis fluxus 57
Vulneris capitis cum fractura cranii perſanati exempla inſignia quatuor 290. & ſeqq. conjectura ex ſauciati verbis 21. menyngum cerebri ſigna 153. ſimplicis cura 251. compoſiti cura 257
Vulnerum capitis cura 8. 284. ſectio 16. cura in venis & arteriis 270. & ſeqq. puris qualitas 37. in juncturis ſigna 242. penetrantium ſigna 243. pulmonis prognoſtica 244. cordis præſagia ibid. diaphragmatis ſigna 245. epatis & lienis prognoſtica 246. in renibus prognoſtica ibid. cruentorum medicamenta 58. differentia à diverſa cauſa 265. fractorum in juncturis cura 279. magnorum bona & mala præſagia 240. in eorum curatione ratio habenda eſt ſexûs, ætatis, temporis 26
Vulnus 79. quid 153. quotuplex 227. capitis quale lethale 27. arteriæ carotidis 156. arteriarum 157. compoſitum quid 258. jecoris 155. inteſtinorum tenuium 156. magnum quot modis dicatur 240. nervi rever-

reverſivi 157.
nervorum ibid.
peritonei 155.
renum 156.
ſplenis 155.
ſtomachi 156.
tendinum 157.
tracheæ arteriæ ibid.
venarum ibid.
venarum jugularium 156.
ventriculi 155.
ventris 105.
veſicæ 155.
uteri 156.
ſimplex in parte carnoſa 266.
quâ parte inflictum ſit, conſiderandum 20.
quomodo reduniatur 267

SOLI DEO GLORIA.